J.M.J.

H. T. Blodgett.
Grand Seminary.
Montreal.
Sept. 23rd 1875.

First ordination Grand Seminary Dec 18th 1875 Bishop Fabre.

Priests	21
Deacons	9
Subdeacons	11
Minors	43
Tonsure	7
	91

These were from the Seminary; but there were more from different.

During the retreat we had class of Dogma twice per day Mr Bently. Prof. Wealsh made a sermon on the sacraments in General—

Note Page 288, 248

It is necessary that it be in Latin in order to keep up the uniformity of the Church for were it written in another language it would be so changeable that it would be impossible

Call in Dogma Apr. 11.

ELEMENTA
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ.

TOMUS II.

ELEMENTA THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

E PROBATIS AUCTORIBUS COLLECTA

ET

DIVINI VERBI MINISTERIO

ACCOMMODATA,

opera Francisci Xaverii SCHOUPPE, S. J.

O Timothee, depositum custodi.
I Tim. VI, 20.

TOMUS II.

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI, DE SACRAMENTIS IN GENERE,
DE BAPTISMO, DE CONFIRMATIONE,
DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO, DE POENITENTIA,
DE EXTREMA UNCTIONE, DE ORDINE, DE MATRIMONIO, DE VIRTUTIBUS,
DE NOVISSIMIS.

EDITIO SEPTIMA.

BRUXELLIS
EXCUDEBAT H. GOEMAERE
SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHUS.

EBORACI NOVI (NEW-YORK) ET CINCINNATI APUD FRATRES BENZIGER.

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

TRACTATUS IX.

DE GRATIA CHRISTI (1).

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Definitio entis supernaturalis.* — § III. *Definitio et divisiones Gratiæ.* — § IV. *Catholica circa gratiam doctrina.* — § V. *Errores contrarii.* — § VI. *Instrumenta theologica.* — § VII. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum.

1. Divina Gratia, de qua nobis habendus est sermo, *Gratia Christi* nuncupatur, quia *gratia per Jesum Christum facta est.* Joan. I, 17. Est enim fructus redemptionis gratia, quæ cum divino sanguine de Christi vulneribus veluti effluxit.

2. Per mortem enim Christi, humanum genus, quod ex pristino statu exciderat, instauratum est (2). Hæc autem instauratio in restitutione consistit gratiæ et gloriæ. Ad gloriam seu visionem beatificam tanquam finem filii Adæ iterum vocantur, et per gratiam disponuntur; ita ut gratia sit principium et inchoatio, gloria autem terminus et consummatio hominis per Christum instaurati.

3. Pretiosa illa gratiæ effusio in mundum, ad supernaturalem ordinem iterum elevat quotquot eam recipiunt: *Dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Joan. I, 12.

4. Gratia itaque novum restituit ordinem, novum *regnum gratiæ* pro regno peccati; novum humani generis *statum, naturæ* nempe *reparatæ*, quæ naturæ lapsæ superstruitur. Scilicet per peccatum Adæ gratia exstincta fuit, et homo in

(1) De hac S. Thom. 1. 2 qq. 109-114; Suarez, tom. 6, 7, 8. — (2) Eph. 9, 10.

tenebris et umbra mortis relictus ; sed ecce novus sol per Christum accenditur, cujus ignibus irrigatum humanum genus quasi de suis cineribus renascitur et spiritu vitæ repletur : vitæ supernaturalis, qua filii hominum renovantur in filios Dei, destinatos jam ad habitandum, non in terra terrenos, sed in cœlo cœlestes. Tota hæc œconomia, i. e. hominis vocatio et motus ad terminum supernaturalem gloriæ, est *ordo gratiæ*. Influxus autem divinus, quo homo ad illum finem elevatur et deducitur, est *gratia*.

5. Ut autem penitius intelligatur hujusmodi supernaturale donum, distincte definiendum quid sit *supernaturale* et quid sit *gratia*.

§ II. Definitio entis supernaturalis.

6. *Supernaturale* vi vocis illud est, quod superat atque transcendit *naturale*, seu naturæ dominium, ita ut eousque se natura extendere non possit. Potest autem sumi *relative* (1), respectu alicujus entis determinati ; vel *absolute* respectu omnis naturæ, quo sensu hic *supernaturale* accipimus.

7. *Naturale* proprie dictum (2), et prout supernaturali opponitur, dicitur *illud quod est vel natura aliqua, vel pars naturæ creatæ aut creabilis, vel ex ipsius principiis fluit, vel ipsi quodammodo, sive de jure sive de convenientia, debitum est.*

8. Hinc *supernaturale* illud est *quod nec est natura ulla, nec pars naturæ ullius creatæ vel creabilis, nec ex ipsa fluit, nec ipsi ullatenus debetur; nec proinde cadit sub ullo merito sive naturæ, sive personæ, per solas vires naturales operantis.*

9. Distinguendæ sunt variæ *supernaturalis* species : aliud in primis est supernaturale *essentialiter*, aliud supernaturale *participative*.

10. 1° *Supernaturale essentialiter* est ipse Deus, substantia supernaturalis. Potest autem Deus spectari dupliciter, nimirum in creaturis et in se ipso. 1) *In creaturis*, h. e. quatenus relucet in creaturis, et per eas abstractive cognoscitur : seu,

(1) Cf. quæ dicta sunt tom. 1, tract. 7, *De Creatione*, cap. 3, art. 1, *notion. præv.* n. 129. — (2) Alias multiplices acceptiones *naturalis*, v. in op. Montagni, apud Migne, *Curs. theol.* tom. 10, col. 11.

ut est *auctor naturæ*. 2) *In se*, h. e. sicut in se est, et in se immediate attingitur : seu, ut est *auctor gloriæ*. Solum hoc secundo modo spectatus Deus, est ens essentialiter supernaturale. — Porro Deus *ut in se est*, duobus modis ab homine attingi potest : *a*) *entitative*, quatenus se immediate attingendum communicat, ut fit unione hypostatica et visione beatifica ; et *b*) *dispositive*, quatenus homo ad Deum objective attingendum disponitur, ut fit virtutibus theologicis. Respectu hujusmodi dispositionis, Deus proprie dicitur *auctor gloriæ ;* respectu vero visionis beatificæ, *objectum gloriæ*.

11. 2° *Supernaturale participative* est omne id *creatum*, quod naturæ vires et exigentiam excedit, maxime vero *illud* per quod Deus ut in se est attingitur : sive *immediate*, ut unio hypostatica, visio beatifica ; sive *mediate*, ut gratia, virtutes theologicæ, lumen gloriæ, etc., quæ per modum qualitatum vel affectionum ordinant et disponunt ad visionem beatificam. — Dicitur supernaturale *participative*, quia participatio quædam est virtutis aut rationis, qua se Deus immediate attingit ex natura sua. In Deo illa virtus non est quid superadditum ; at in creatura, est virtus Dei superaddita, per quam creatura ad *esse* divinum elevatur ut ipsum attingat ; et describi potest : *Virtus Dei elevans et ordinans creaturam ad Deum, ut in se est* : *illamque constituens participantem* esse *divini*.

12. Porro *participative supernaturale* aliud est quoad modum, aliud quoad substantiam : *quoad modum* duntaxat, est donum in se quidem naturale, at collatum *modo supernaturali*, i. e. excedente creaturæ vires et exigentiam : ut vita mortuo restituta, visus cæco (1) — *Quoad substantiam* vero, quod proprie supernaturale dicitur, est peculiare Dei donum, quod 1) in se totius naturæ creatæ et creabilis ordinem, vires et exigentiam transcendit ; 2) creaturam elevat et ordinat ad Deum, ut est auctor gloriæ, i. e. ut est in se spectatus et per visionem intuitivam possidendus ; 3) mira quadam et eximia unione hominem angelumque cum ipso Deo, qualis in se est spectato, conjungit. Quæ unio vel est *realis et physica*, qualis est in Incarnatione ; vel *intentionalis* proxima et *immediata*, qualis est in visione beatifica ; vel *intentionalis mediata*

(1) Suar. tom. 6, *De Grat.* proleg. 3, cap. 1, 2.

et minus proxima, qualis obtinetur per gratiam sanctificantem, virtutes theologicas, etc. Illa autem unio tam intime creaturas cum Deo conjungit, ut eas in Deum veluti transformet, atque deiformes efficiat. Hinc per gratiam dicimur a S. Petro fieri *divinæ consortes naturæ*, II Pet. I, 4 ; et ut loquitur S. Dionysius, *deificati*. De Eccles. hier. cap. I.

§ III. Definitio et divisiones Gratiæ.

13. Vox *gratia*, *χάρις* varie accipitur : 1° *improprie*, pro elegantia tum oris tum sermonis, pro favore et benevolentia, pro gratitudine et gratiarum actione.

14. 2° *Proprie*, sensu multiplici. 1) Sensu latissimo, est omne donum gratuitum, i. e. non debitum personæ, seu merito personali, licet sit debitum naturæ : ut liberum arbitrium.

15. 2) Sensu lato, est donum quodlibet gratuitum præternaturale, seu non debitum naturæ : ut immortalitas in primo homine, ut etiam auxilium Dei in statu puræ naturæ, quod et gratia *connaturalis* dici potest.

16. 3) Sensu stricto, est donum supernaturale, creaturæ rationali gratis a Deo concessum, et pertinens aliquo modo ad vitam æternam. Hujusmodi est gratia angelis et hominibus data. — Distingui solet in gratiam *primi status*, seu naturæ innocentis, quæ nempe concessa est homini in statu innocentiæ ; et gratiam *secundi status*, seu naturæ lapsæ, quæ describi potest : *Supernaturalis Dei influxus, homini lapso per Christi merita concessus in ordine ad vitam æternam.* — Gratia primi status a quibusdam auctoribus vocatur *gratia Dei*, ut distincta a gratia secundi status, quæ ab iisdem nuncupatur proprie dicta *gratia Christi*, quasi hæc posterior sola per Christum data esset. Quanquam probabilius omnis gratia, quæ collata est sive angelis sive hominibus, tam in statu naturæ integræ quam lapsæ, Christi meritis tribuenda est, adeoque *gratia Christi* dicenda (1).

17. Gratia sensu stricto accepta, de qua potissimum sermo nobis est, multifariam distinguitur: 1) *ratione finis*, alia est *gratis data*, alia *gratum faciens*. Prior illa est, quæ datur ho-

(1) Suar. tom. 6, proleg. 3, c. 1, 2.

mini principaliter ad salutem aliorum, potestque existere sine charitate; v. g. donum miraculorum. — Altera est illa, quæ datur homini principaliter ad salutem propriam. Dicitur *gratum faciens*, quia per eam homo fit Deo gratus, vel formaliter, vel saltem dispositive.

18. 2) *Ratione sui*, est vel *increata* vel *creata*. — Gratia *increata* est ipse Deus, quatenus Deus ipsemet donum efficitur, et sese creaturis communicat. Talis est charitas Dei erga nos, seu amor quo Deus ab æterno nos diligit: qui amor est simul ipse Deus, et principium omnium donorum quæ Deus nobis in tempore largitur. Talis est etiam *missio Verbi in carne*, et *effusio Spiritus sancti*, quæ a Scriptura et Patribus vocantur gratia (1). — Gratia *creata* est donum a Deo distinctum et creatum: qualis est gratia actualis et gratia sanctificans.

19. 3) *Ratione modi*, est vel *externa* vel *interna*. *Externa* est, quæ hominem extrinsece tantum afficit, ut sunt prædicatio Evangelii, miracula et exempla Christi. — *Interna* est, quæ homines interius afficit: et hæc dividitur in *actualem* et *habitualem*, ut sequitur.

20. 4) *Ratione objecti*, est vel *actualis* vel *habitualis*. Actualis ea est, quam Deus homini largitur per modum actus seu auxilii, ad operandum in ordine ad suam sanctificationem (2); — *habitualis* est ea, quam Deus animæ infundit per modum habitus, seu qualitatis fixæ et permanentis, ut animam sanctam et justam constituat; unde et *sanctificans* ac *justificans* quoque dicitur. Huic habituali gratiæ annexæ sunt *virtutes infusæ* et *dona* Spiritus sancti, quæ tanquam connaturales gratiæ proprietates spectari possunt (3).

21. *Gratia sanctificans* dividitur in primam et secundam. *Prima* est, quæ de injusto facit justum; *secunda*, quæ etiam *augmentum gratiæ* dicitur, de justo facit justiorem.

22. *Gratia actualis* multipliciter subdividitur: *a*) *Ratione finis* immediati, alia est *illustratio* alia *inspiratio*, prout vel ad illuminandam mentem datur, vel ad movendam voluntatem.

(1) Suar. ibid. c. 3 et 4.—(2) Suar. ibid. cap. 6; item tom. 7, lib. 3, c. 1. — (3) Suar. tom. 8, lib. 6, cap. 11, 12.

23. *b*) *Ratione subjecti* immediati quod afficit, est gratia *intellectus* vel gratia *voluntatis*.

24. *c*) *Ratione effectus* quem producit, est vel *medicinalis* vel *elevans*. *Medicinalis* est illa, qua roborando sanat infirmitatem naturæ; *elevans* autem, quæ elevat naturam ad ordinem supernaturalem. Quæ licet ambæ conjunctim dari soleant fidelibus, ab invicem tamen dividi possunt. Quod si seorsim spectentur, prior, id est, gratia medicinalis, *tantum roborat naturam*, v. g. in homine gentili, ut possit legem naturalem observare, quin observatio inde sequens sit altioris ordinis quam est ordo mere naturalis. Gratia vero elevans ita afficit naturalem potentiam, ut actus inde sequens non sit jam ordinis naturalis, sed supernaturalis, splendore quodam divino refulgens, quo dignus evadat aspectu Dei. Quemadmodum fere ut calamus possit scribere, intingi debet atramento: quod si intingatur, non atramento communi, sed auro liquido, characteres inde sequentes non erunt jam communes, sed nobilioris ordinis, scilicet aurei.

25. *d*) *Ratione diversi respectus ad consensum liberi arbitrii*, gratia *α*) est vel *excitans*, *operans*, *præveniens;* vel *adjuvans*, *cooperans* et *concomitans:* quæ tria nomina fere sunt synonyma. *Excitans* consistit, tum in illustratione intellectus, tum in voluntatis motione, quas Deus in nobis, physice quidem, non tamen moraliter et libere agentibus, ac proin *in nobis sine nobis* producit, ut ad bene volendum et bene agendum nos excitet. — *Adjuvans* consistit in auxilio supernaturali, quo Deus nobiscum libere agentibus, ad omnes et singulos actus supernaturales liberos concurrit et influit. Huc etiam reducitur gratia *subsequens;* quæ tamen ab aliis constituitur in auxilio divino, quo *ad opus externum perficiendum*, et in bono proposito perseverandum indigemus.

26. *β*) Gratia *excitans* dicitur vel *sufficiens* vel *efficax*.—*Sufficiens* pure talis, et ut efficaci opposita, est gratia excitans quatenus *non obtentura* liberum hominis consensum, ad quem tamen obtinendum sufficit. Potest esse sufficiens *remote* vel *proxime;* item sufficiens *in actu primo* vel *in actu secundo*.—*Efficax* est gratia excitans, liberum hominis consensum certo et *infallibiliter obtentura*.

§ IV. Doctrina catholica circa gratiam.

27. Gratia distinguitur alia quæ hominem ad justificationem disponit, alia quæ ipsam justificationem formaliter operatur (1): prior gratia *actualis*, posterior *habitualis* vocari solet.

28. Ad quemlibet actum salutarem, etiam ad initium fidei, necessaria est gratia sita in præveniente illuminatione et inspiratione Spiritus S., adeoque *præveniens*, *supernaturalis* et *interior* (2).

29. Hæc gratia præveniens debet esse, vel saltem ei debet adnecti gratia *actualis excitans*, 1° in homine quibusvis habitibus supernaturalibus adhuc destituto; 2° pariter in peccatore (juxta communem et certam sententiam), licet habitum fidei aut spei possidente; 3° denique etiam in justo (3).

30. Ut actus quilibet salutaris reapse existat, necessaria quoque est gratia *adjuvans* (4).

31. Sine aliquo auxilio gratiæ, distinctæ a dono creationis et providentiæ mere naturalis, homo in statu naturæ lapsæ non potest potentia *morali*, sive omnes veritates ordinis naturalis cognoscere, sive universam legem naturalem quoad substantiam adimplere, sive gravem tentationem superare (5).

32. Potest tamen absque ullo hujusmodi auxilio, ut fert longe communior sententia (6), nonnullas ordinis naturalis veritates etiam practicas cognoscere, faciliora ejusdem ordinis naturalis bona opera perficere, et leves tentationes vincere.

33. Potest itaque a fortiori, ante assecutam fidei gratiam, aliqua opera naturaliter honesta patrare. Quod si fidem ha-

(1) Trid. Sess. 6. — (2) Arausic. 2, can. 7, 5, 23, 25. Trid. Sess. 6, can. 3 et cap. 5 et 6.

(3) Hæc postrema assertio de necessitate gratiæ actualis excitantis in justo, est modo loquendi Scripturæ et Patrum conformior, juxta Suarez; longe conformior juxta alios; proxima fidei, juxta P. Antoine: imo, ut eidem immerito videtur, sufficienter definita et declarata per Traditionem. — S. Cœlestin. Epist. 21 *ad Episc. Galliæ;* Arausic. 2, can. 9.—(4) S. Cœlest. ibid. cap. 6.— Araus. 2, can. 9 et 20.— (5) S. Cœlest. ibid.— (6) Adversus Vasquezium et quosdam alios Catholicos.

buerit, licet peccator, poterit, opitulante gratia, actus supernaturales ac salutares elicere (1).

34. Homo justificatus in præsenti statu naturæ lapsæ, sine speciali Dei auxilio, in accepta justitia perseverare non potest; cum eo autem potest. Nequit tamen in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio (2).

35. Gratia Dei omnino gratuita est: neque actus ullus, solo naturæ vigore absque gratia elicitus, potest gratiam quomodocumque mereri vel impetrare (3).

36. Deus autem, pro sua misericordia, eam ita largitur, ut non tantum justis, præsertim volentibus et conantibus, urgente præcepto, concedat gratiam vere et relative sufficientem ad servanda omnia præcepta; sed peccatoribus etiam, quantumvis obduratis et obcæcatis, illud auxilium conferat pro loco et tempore, quo possint et peccata cavere et a peccatis resipiscere (4). Quinimo infidelibus, etiam negativis, non denegat gratiam sufficientem ad fidem consequendam, et infantibus decessuris absque Baptismo præparavit, quantum est ex se, media sufficientia, quibus ad salutem pervenire possint (5)..

37. Omnes enim homines ad salutem ordinati sunt (6); nec Deus quemquam absoluto decreto gehennæ addixit, sed reprobationis causa sunt peccata. — Quanquam non omnes prædestinantur, sed ii soli, qui veri nominis prædestinatione, eaque certa et immutabili ex parte Dei, electi sunt. Quæ prædestinatio fit vel *ante*, vel, ut non paucis probabilius videtur, *post* prævisa merita per gratiam comparata. Numerus autem electorum, in superna civitate locandus, soli Deo cognitus est; nec ullus homo, sine speciali revelatione, de sua prædestinatione certus esse potest (7).

(1) Trid. Sess. 6, can. 7 et 8, cap. 5 et 6; Sess. 14 *de Pœnit.* can. 5 et cap. 4; Cf. prop. damn. Huss, Baii, Quesnelli, Synodi Pistor.

(2) Araus. 2, can. 10; Trid. Sess. 6, can. 22, 23. — (3) Araus. 2, can. 3, 6, 18. — (4) Araus. 2, can. 25 circa finem; Trid. Sess. 6, can. 4, et cap. 11, can. 18 et cap. 14. — (5) Prop. 5 inter damn. ab Alex. VIII; item Quesn. 26, 27. — (6) Cf. tom. 1, tract. 5, *De Deo*, n. 178 et seqq. — (7) Trid. Sess. 6, cap. 9, can. 15, 16. — Orat. secreta 3 in Quadrag.

38. *Gratia sanctificans* est donum Dei permanenter inhærens animæ, quo homo immediate sanctus efficitur, justus, amicus Dei, filius Dei adoptivus; hæres secundum spem vitæ æternæ, et capax eliciendi opera æternæ mercedis meritoria (1).

39. In justificatione impii peccata vere remittuntur, ac prorsus delentur; et homo interius renovatur gratia et charitate, quæ in ejus corde per Spiritum S. diffunditur. In eadem justificatione simul cum gratia sanctificante infunduntur tres virtutes theologicæ, et probabilius etiam virtutes morales et dona Spiritus S. (2).

40. Ad justificationem consequendam, in adultis prærequiruntur quædam dispositiones præter fidem. Fides autem quæ requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus præstitus iis omnibus quæ Deus revelavit; neque fide credere quisquam tenetur se esse justificatum: cum nemo, absque speciali revelatione, de propria justificatione certitudine fidei certus esse possit (3).

41. Accepta justitia per peccatum lethale amitti potest, et per quodlibet peccatum mortale revera amittitur (4),

42. Conservatur autem, et augetur coram Deo, operibus bonis ex gratia factis, quibus vere *merentur* justi augmentum gratiæ, vitam æternam et gloriæ augmentum.

43. Et quidem hoc augmentum gratiæ et gloriæ justus meretur *de condigno* (5). Primam autem gratiam sanctificantem peccator, per contritionem perfectam, *de congruo* tantum, licet infallibili, meretur.

44. Peccator, etiam absque contritione perfecta, probabilius potest sibi veniam mereri de congruo fallibili.

45. Justus potest sibi mereri perseverantiam, item de congruo fallibili; sicut et potest idem justus mereri pro altero primam gratiam.

46. Conditiones meriti de condigno sunt sequentes: 1° operans sit viator et in statu gratiæ, 2° opus sit liberum, bonum, supernaturale.

(1) Trid. Sess. 6, cap. 7, can. 11 et 32. — (2) Trid. Sess. 5, can. 5; Sess. 6, cap. 7. — (3) Trid. Sess. 6, cap. 9, can. 12, 13, 14. — (4) Trid. Sess. 6, cap. 15, can. 22, 27. — (5) Ibid. can. 32.

§ V. Errores contrarii (1).

47. Errores præcipue referuntur ad gratiam actualem, et sunt duplicis generis: alii nimirum inflando naturæ vires gratiam destruunt; alii nimis extollendo gratiæ virtutem, liberum arbitrium exstinguunt. Primum errorum genus ad *veteres*, secundum ad *recentiores* hæreticos pertinet.

48. I. *Veteres* sunt Pelagiani, Semipelagiani et Prædestinatiani.

49. *Pelagius*, ineunte sæculo V, Manichæorum hæreseos oppugnandæ specie, gratiam Redemptoris omnino evertere conatus est. Docuit enim carnem nostram, quam illi a malo principio profectam dicebant, ita puram esse, ut ab omni labe originali sit immunis.

50. In pelagiana hæresi distingui possunt tria capita, quatuor periodi vel status, et tria fundamenta.

51. Errores Pelagii universim ad *tria capita* referuntur: 1° Non dari in nobis originale peccatum. 2° Sufficere homini naturales vires et liberum arbitrium, nec esse necessariam gratiam Dei. 3° Gratiam Dei secundum meritum naturalium operum concedi.

52. Quod attinet ad gratiæ necessitatem ejusque naturam, Pelagianismus percurrit periodos quatuor, totidem signatas variationibus. 1° Fuit velut *Ethnicismus*, nullam gratiæ mentionem faciens.—2° Fuit velut *Semi-ethnicismus*, naturam ipsam et liberum arbitrium pro gratia agnoscens. Tunc invecta est celebris illa distinctio inter *posse*, *velle*, et *agere*. *Posse*, h. e. *naturalis potentia*, est, aiebant, a Deo; *velle* autem et *agere*, est ab homine. 3° Fuit velut *Judaismus*, admittens pro gratia legem et doctrinam, exempla Christi, et remissionem peccatorum. — 4° Demum fuit velut *Semi-christianismus*: scilicet ab anno 418, Pelagiani admittere cœperunt, juxta Jansenium, veram gratiam internam, sed illustrationis tantum, et simul triplici errore infectam. Etenim eam dari dicebant, non ad inchoandum opus bonum, sed solummodo ad perficiendum; nec esse gratuitam, sed retribui pro merito naturali;

(1) Cf. Wirceb. Theol. *De gratia*.

nec esse necessariam, sed tantum conferre ad operandum facilius.

53. *Fundamenta* Pelagianismi erant hæc tria : 1° absolutam gratiæ necessitatem repugnare libero arbitrio et inducere fatum ; 2° Deum non præcipere impossibilia, nec proin homini imposuisse legem, quam suis viribus implere non possit ; 3° Deum non esse personarum acceptorem, nec proin gratiam suam dispensare nisi pro meritis cujusque.

54. Hos errores Pelagius spargere cœpit Romæ, anno 405. Discipulos et adjutores nactus est tres præcipuos : Cœlestium. Julianum Eclanensem et Anianum diaconum ; impugnatores vero acerrimos, Hieronymum præsertim et Augustinum. Damnatus est 24 conciliis particularibus : quorum præcipua sunt Carthaginense (412), Diospolitanum (415), et Milevitanum in Numidia (417), quo misit Innocentius I decretales litteras, quibus receptis Augustinus illud solemne edixit : *Rescripta ab Apostolica Sede venerunt : causa finita est. Utinam finiatur error* (1) !

55. Damnatus præterea ab Innocentii I successore, Zozimo, edita *Tractatoria*, cui ab universis orbis Episcopis subscriptum est (418). Hanc damnationem confirmarunt subsequentes Romani Pontifices : Bonifacius, Sixtus, Cœlestinus, Leo ; et OEcumenicum Concilium Ephesinum (431).

56. Ex Pelagianismo orti sunt *Semipelagiani* (428), sic dicti a dimidiata quasi hæresi Pelagii. Dicuntur etiam Massilienses ab urbe Massiliensi in Gallia. In hoc errabant, quod initium boni salutaris tribuerent, non gratiæ, sed homini, dicentes, *initium fidei ac salutis esse a nobis*, *non vero augmentum et perseverantiam.* Initium fidei, eorum sensu, complectebatur : 1° pium credulitatis affectum, qui potest per prædicationem et auditionem Evangelii excitari ; 3° desiderium salutis inde ortum ; 3° implorationem divinæ benignitatis. Exemplo utebantur ægroti, qui cupit sanari et vocat medicum : his actibus, aiebant, qui prorsus ab ægroto pendent, continetur principium curationis, non tamen pars curationis, quæ tota perficietur a medico. — His opinionibus errarunt, ante dilucidatam plene quæstionem, ac proin non culpanda fide, viri

(1) Serm. 131, n. 10, alias Serm. 2 *De verbis Apost.* c. 10.

quidam alioquin probatissimi, ut Jo. Cassianus, dictus Collator (1), Faustus, Vincentius Lirinensis abbas, Gennadius.— Semipelagianismus tandem damnatus est in concilio Arausicano II (529); quam damnationem approbavit Felix IV Pontifex, et Bonifacius II confirmavit (530). A quo tempore Semipelagiani haberi hæretici cœperunt, cum antea catholici nominis honore non excidissent.

57. *Prædestinatiani*, rigidi scilicet et proprie dicti, quos jam in præcedenti Tractatu recensuimus (2), dicebant, prædestinationem esse absolutam Dei voluntatem, qua Deus sincere non vult salvare nisi solos electos, neque reliquis gratias vere sufficientes concedit. Apparuerunt sæc. V, sæc. IX, et deinceps. Damnati sunt in conc. Carisiaco (849), et recentius per censuram latam in propos. quintam Jansenii (1653).

58. II. *Recentiores* circa gratiam hæretici sunt: Lutherani et Calviniani, Baiani, Janseniani et Quesnelliani.

59. *Lutherani*, *Calviniani* et aliæ sectæ sæc. XVI, quos communi nomine *Protestantes* vocabimus, erarunt in materia gratiæ, tum actualis tum habitualis, sequentibus capitibus: 1° Liberum arbitrium, aiebant, in statu naturæ lapsæ esse vanum nomen, nec aliud ad summum significare quam libertatem *a coactione*, nequaquam vero *a necessitate*. 2° Hominem non posse resistere gratiæ, et necessitari absolute, sive ad bonum sive ad malum. 3° Nullam de facto dari gratiam sufficientem, quæ simul non sit efficax. 4° Præcepta Dei homini esse impossibilia, nec posse ab homine per gratiam, qualem Deus largiri solet, impleri. Consonat in his Luthero Calvinus; at hæresiarcha gallus horribiliorum doctrinam de prædestinatione proposuit, dicens, absoluto Dei decreto homines alios esse destinatos ad beatitudinem, alios vero irrevocabili sententia creatos ad æterna supplicia. Et hæc quidem spectant ad gratiam actualem.

60. Ad gratiam habitualem quod attinet, docuerunt: 1° Justificationem, seu ejusdem causam formalem, gratiam justificantem, consistere in sola remissione peccatorum, sive in favore Dei extrinseco, sive in ipsa justitia Christi nobis

(1) In collatione 43.— (2) Vid. tom. 1, tract. 8, *De Incarn.* n. 34.

duntaxat imputata. 2° Ad justificationem acquirendam sufficere solam ac nudam fidem sive fiduciam. 3° Justificationem semel receptam esse inamissibilem, in omnibus hominibus æqualem, nec per ulla opera variabilem. Omnes isti errores damnati sunt in Concilio Tridentino (1545).

61. *Baii* (1567) errores circa gratiam sunt sequentes : 1° Gratiam et dona in Adamo fuisse debita naturæ. 2° Liberum arbitrium sine gratia non nisi ad peccandum valere. 3° Peccatores, et eos omnes qui gratia sunt destituti, in omnibus actionibus peccare (1). 4° Non dari alium amorem præter charitatem theologicam et vitiosam cupiditatem. Hæc est hypothesis illa de *duplici amore* (2), quæ præcipuum Baïani systematis principium est. Ista damnavit S. Pius V, anno 1567.

62. *Jansenii* errores summatim continentur famosis quinque propositionibus, quas excerptas ex ejus libro, cui titulus *Augustinus*, damnavit ut hæreticas Innoc. X (1653), aliique subsequentes Pontifices. Sunt autem sequentes :

63. — 1. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

2. *Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ, nunquam resistitur.*

3. *Ad merendum et demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

4. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.*

5. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.*

64. Totius Janseniani systematis principium ac fundamentum in *delectatione relative victrici* consistit. Statuit nempe discipulus Baii, ex mente Magistri sui, loco liberi arbitrii successisse in homine lapso duplicem delectationem, ter-

(1) Prop. 25 et 35. — (2) Prop. 38.

renam et cœlestem; quarum eam, quæ major fuerit, necessario flectere voluntatem, juxta hoc Augustini effatum, perperam ab hæretico homine interpretatum : *Secundum id operemur necesse est, quod amplius nos delectat.*

65. Quinque autem Jansenii propositiones, in sensu ab auctore intento, jure et recte fuerunt damnatæ. Ecclesia enim cum in decidendis quæstionibus *facti dogmatici* sit infallibilis, in definiendo hæretico propositionum Jansenii sensu errare non potuit. Quod et Alexander VII, per constitutionem datam 16 oct. 1665, expresse declaravit (1).

66. Quesnellismus, ita dictus a Paschasio Quesnello, factionis Jansenianæ post Arnaldum (†1694) antesignano, non est nisi systema Baianum et Jansenianum, tum accessione aliorum errorum auctum, tum majori pertinacia et Ecclesiæ contemptu defensum. Universi errores Quesnelli reducuntur ad tres fundamentales : 1° de gratia, 2° de virtutibus theologicis, 3° de Ecclesia et ecclesiastica disciplina. — Circa gratiam statuit : *a*) habitualem non intrinsece sanctificare; *b*) actualem vero esse efficacia ineluctabilem, ad omne opus etiam naturaliter bonum necessariam, omnibus peccatoribus denegatam ; *c*) non dari medium inter supernaturalem *charitatem* qua Deus gratis et propter se diligitur, et vitiosam *cupiditatem*. — Quesnelli errores damnati sunt a Clemente XI, Constitutione *Unigenitus*, 8 sept. 1713.

67. Hic adnotare juvat, sicut catholicæ de gratia doctrinæ radix sita est in recte intellecto statu hominis ante peccatum, et per peccatum mutato ; ita in eodem statu perperam intellecto, errorum omnium de gratia radicem latere. Et reapse Pelagius dicebat : Peccatum Adæ nihil naturæ humanæ nocuit ; ergo natura humana nihil indiget gratia Christi. — Protestantes vero : Peccatum Adæ essentialiter naturam humanam vitiavit, exstincta omni bonitate et libertate : ergo gratia actualis sola movet hominem, et gratia habitualis nihil, nisi ad tegendam extrinsecus intimam ejus corruptionem, valet. — Catholici autem docent, peccatum Adæ tantum spoliasse et vulnerasse naturam humanam, nec eam intime corrupisse aut liberum arbitrium exstinxisse;

(1) Cf. tom. 1, tract. 4, *De regula fidei*, cap. 3, art. 3, n. 218.

unde sequitur, et gratiam actualem libertati cooperari, et habitualem detracta per peccatum ornamenta animæ restituere.

§ VI. Instrumenta theologica in materia gratiæ.

68. Instrumenta in hoc Tractatu usurpanda alia sunt traditionalia, alia canonica. Inter *traditionalia*, primo loco veniunt Augustini opera illa, quæ S. Doctor in causa Pelagianorum et Semipelagianorum exaravit; sunt autem sequentia : Libri tres *de libero arbitrio*, liber unus *de duabus animabus*, libri duo *de diversis quæstionibus ad Simplicianum*. Hæc tria opera scripta quidem sunt antequam Pelagii errores vulgarentur, sed eosdem jam tum præfocasse censeri possunt. — Cætera sunt : 1) *De peccatorum meritis et remissione*, 2) *de spiritu et littera*, 3) *de natura et gratia*, 4) *de perfectione justitiæ*, 5) *de gestis Pelagii* vel *Palæstinis*, 6) *de gratia Christi*, 7) *de peccato originali*, 8) *de nuptiis et concupiscentia*, 9) *de anima et ejus origine*, 10) *contra duas epistolas Pelagianorum*, 11) *contra Julianum*, 12) *Enchiridion*, sive *de fide, spe et charitate*, 13) *de grati et libero arbitrio*, 14) *de correptione et gratia*, 15) libri duo *Retractationum*, 16) *de prædestinatione Sanctorum*, 17) *de dono perseverantiæ* ad SS. Hilarium et Prosperum, 18) *opus imperfectum contra Julianum*. Hæc opera continent plus quam 30 libros, quibus addendæ sunt plures S. Doctoris epistolæ.

69. Secundo loco nominanda veniunt scripta aliorum Patrum, præsertim S. Prosperi Aquitani, qui cum S. Hilario de Semipelagianorum erroribus ad S. Augustinum retulit; item Marii Mercatoris et S. Fulgentii Ruspensis.

70. Instrumenta *canonica* sunt præcipue sequentia : 1° Canones Concilii Milevitani II, contra Pelagianos, ab Innocentio I, nec non Concilii plenarii Carthaginiensis (418), a Zosimo per Tractatoriam illam celeberrimam, quam in totum orbem misit, probati.

2° Canones 1us et 4us Concilii Ephesini, adversus Cœlestianos, h. e. Pelagianos (431).

3° Canones 25 Concilii Arausicani II (529), contra Semipelagianos, confirmati a Bonifacio II.

4° Concilii Tridentini Sessionis VI capita dogmatica 16 et canones 33.

5° Propositiones 79 Michaelis Baii, damnatæ a S. Pio V (1567); a Greg. XIII (1579), et ab Urbano VIII (1641).

6° Propositiones 5 Jansenii Yprensis, damnatæ ab Innocentio X, Constitut. *Cum occasione* (1653); ab Alexandro VII, Constitut. *Ad sanctam B. Petri Sedem* (1665); et a Clemente XI, Constitut. *Vineam Domini Sabaoth* (1705).

7° Propositiones 101 Paschasii Quesnelli, damnatæ a Clem. XI, Constitut. *Unigenitus* (1713).

71. — CANONES CONCILII TRIDENTINI SESS. 6, DE JUSTIFICATIONE.

Can. 1. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit: quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit; anathema sit.*

Can 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed, veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.*

Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum,*

sed etiam proprie, et per se : adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.

Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint vere esse peccata, vel odium Dei mereri ; aut, quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare ; anathema sit.*

Can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere ; anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi ; anathema sit.*

Can 10. *Si quis dixerit, homines, sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse ; anathema sit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei ; anathema sit.*

Can. 12. *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.*

Can. 13. *Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.*

Can. 14. *Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi, ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat ; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.*

Can. 15. *Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit.*

Can. 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit ; anathema sit.*

Can 17. *Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.*

Can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.*

Can. 19. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.*

Can. 20. *Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.*

Can. 21. *Si quis dixerit, Jesum Christum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant; anathema sit.*

Can. 22. *Si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit*

Can. 23. *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit*

Can. 24. *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo, per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.*

Can. 25. *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.*

Can. 26. *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo, per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit.*

Can. 27. *Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis; aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis, peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.*

Can. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.*

Can. 29. *Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide, amissam justitiam recuperare sine Sacramento Pœnitentiæ prout sancta Romana et universalis Ecclesia, a Christo Domino, et ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit et docuit; anathema sit.*

Can 30. *Si quis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; anathema sit.*

Can. 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.*

Can. 32. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.*

Can. 33. *Si quis dixerit, per hanc doctrinam Catholicam de justificatione, a sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri, derogari, et non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari; anathema sit.*

—

§ VII. Divisio Tractatus.

72. Gratia universim considerata, ut est medium ad gloriam, tribus quasi gradibus distinguitur, qui sunt : gratia actualis, gratia habitualis et meritum. Actualis scilicet ducit ad habitualem; hujus autem fructus est meritum, quod est semen gloriæ. Hinc tria capita :

Caput I, *de gratia actuali.*
Caput II, *de gratia habituali et justificatione.*
Caput III, *de merito.*

CAPUT PRIMUM.

DE GRATIA ACTUALI.

73. Circa gratiam actualem quæri possunt quatuor: 1° quid in se sit, 2° quam sit necessaria, 3° quam efficax, 4° qua mensura ac regula a Deo distribuatur Quæ quatuor distinctis articulis tractabimus.

ARTICULUS I.

DE GRATIÆ ACTUALIS NATURA.

QUÆSTIONES.

1° *Quænam est vera gratiæ actualis notio? — 2° Quænam circa gratiæ actualis naturam sententiæ sunt removendæ? — 3° In quo illa natura videtur reponenda? — 4° An gratia adjuvans distinguitur ab excitante? — 5° An gratia adjuvans et cooperans, qua talis, potest esse gratia præveniens? — 6° Quodnam est principium gratiæ adjuvantis in homine justo, quodnam in peccatore? — 7° An differt gratia naturæ lapsæ a gratia naturæ integræ?*

74. QUÆR. 1° *Quænam est vera gratiæ actualis notio?* — R. Gratia actualis, juxta definitionem superius positam, est *influxus supernaturalis, quem Deus homini lapso largitur per modum actus, vel motionis transeuntis, ad operandum in ordine ad sanctificationem.*

75. Hæc gratiæ descriptio, secundum constantem Ecclesiæ doctrinam expressa, veram quidem de gratia notionem tradit; non tamen quid in se sit ille divinus influxus aperit. Ulterius itaque de intima gratiæ natura quæri potest; quæ

licet non diserte ab Ecclesia explicetur, tamen ad mentem Scripturæ, Conciliorum et Patrum a Theologis exponitur. Hæc porro expositio fit 1) removendo sententias erroneas, 2) scrutando seorsim gratiam excitantem et gratiam adjuvantem, quibus quasi duobus elementis gratia actualis constituitur.

76. Q. 2° *Quænam circa gratiæ actualis naturam sententiæ sunt removendæ?* — R. Tres sequentes, quarum duæ priores erroneæ sunt, et ab hæreticis prolatæ; tertia vero, licet Catholicorum quorumdam, fundata non videtur. Prima est Quesnelli, secunda Arnaldi, tertia Alvarezii et Lemos.

77. 1° Quesnellus dicit gratiam actualem esse *Dei omnipotentem voluntatem.* — Sed hæc sententia falsa est, quod patet ex ejusdem Quesnelli propos 19ª damnata. Et vero, gratia, ex constanti Ecclesiæ idiomate, sonat illustrationem, visionem, suasionem *in intellectu*; aut inspirationem amoris, suavitatem, dulcedinem, voluptatem sanctam, concupiscentiam boni et delectationem cœlestem *in voluntate*: sed hoc falsum esset, si Dei gratia *nihil aliud* foret, quam voluntas Dei omnipotens; ergo.

78. 2° Arnaldus dicit, gratiam actualem esse *actum creaturæ deliberatum.* — Sed hæc sententia pariter neganda. Licet enim actus deliberatus, si sit positus ex aliqua gratia actuali prima, quæ non fuerit actus deliberatus, possit etiam ipse *aliquo sensu* vocari gratia actualis excitans (1); non tamen dici potest gratia excitans *proprie dicta*. Nam gratia excitans proprie dicta est ea, quæ, ut infra statuemus, requiritur ad quemlibet actum supernaturalem, *etiam ad primum* in aliqua serie hujusmodi actuum invicem dependentium. Porro talis gratia esse nequit actus deliberatus creaturæ. Etenim 1) Concilia et PP. supponunt gratiam excitantem esse distinctam a libera voluntatis actione; 2) actus deliberatus est consensus vocationi divinæ præstitus. Atqui hic consensus non est gratia excitans: tum quia est effectus hujus gratiæ tanquam causæ, tum quia hujus gratiæ natura est talis cui possit homo non consentire. Ergo gratia excitans non est hominis consensus, nec proin ejus actus deliberatus.

(1) Cf. Suarez, *De Gratia*, parte 2, l. 3, cap. 5, opp. tom. 7.

79. 3° Dicunt Alvarez et Lemos gratiam actualem consistere in *qualitate aliqua mortua*, seu *non vitali*.—Sed et hoc negandum videtur; cum hanc notionem nequaquam insinuent Scripturæ, Concilia aut Patres; imo potius a gratia removeant, eam explicantes per *illuminationem* et *inspirationem* (1), quibus intelligunt *cognitionem* et *voluntatis affectionem*, qui sunt actus vitales in homine.

80. Q. 3° *In quo gratiæ actualis natura videtur reponenda?* — R. Ut hæc melius perspiciatur, distincte gratia actualis, tum ut est excitans, tum ut est adjuvans, consideranda est.

81. *Gratia excitans*, theologice sumpta, formaliter stat in duplici actione vitali creaturæ rationalis, nempe *sancta cogitatione* circa objectum, aut veritatem pertinentem ad salutem, quæ dicitur *illustratio;* et *pia affectione* ad actus salutares, quæ dicitur *inspiratio*. Etenim concil. Milevitanum, can. 4, definit, utrumque esse donum Dei, *et* SCIRE *quid facere debeamus, et* DILIGERE *ut faciamus*.

82. Sancta autem cogitatio et pia affectio ejusmodi, sunt actus *indeliberati*, h. e. vitaliter quidem et physice, non vero libere a nobis producti; et *supernaturales*. Sunt indeliberati, quia *fiunt in homine sed non ab homine*, Araus. II, can. 20. Sunt supernaturales, quia juxta Concilia et PP. producuntur a Spiritu S., id est, supernaturaliter.

83. Illustratio intellectus habetur maxime per *judicium;* imo haberi potest per *apprehensionem suasivam*, h. e. talem quæ proponat convenientiam objecti. — Inspiratio plerumque est *affectio simplex* et indeliberata; non autem est semper formaliter *amor*, multo minus *charitas* proprie dicta, ut asseruerunt Jansenii discipuli.

84. Influxus gratiæ excitantis in actum salutarem deliberatum, qui ex ea ponitur, probabilius videtur esse tantum *moralis;* quandoquidem Concilia et Patres eumdem per vocationem et suasionem explicant.

85. *Gratia adjuvans* recte dicitur consistere in actione, qua Deus, ut specialis auctor gratiæ, actum salutarem nobiscum, libere operantibus, physice producit; unde et in Scriptura *noster adjutor* vocatur.

(1) Cf. Trid. Sess. 6, cap. 5.

86. Q. 4° *An gratia adjuvans distinguitur ab excitante?* — Respondeo ad mentem Suarezii (1): gratia adjuvans, modo descripta, distinguitur ab excitante in hoc, quod supra gratiam excitantem addit novum auxilium, id est, *physicum influxum actualem* in opus salutare deliberatum. Hic autem influxus realiter distinguitur a gratia excitante, quippe quæ, si spectetur dum non obtinet consensum, non influit *actu*, sed tantum *ordinatione* et *aptitudine* in opus salutare; si vero spectetur dum obtinet consensum, influit etiam *actu*, sed influxu *morali*, non physico. Unde gratia excitans potest dici *moraliter* adjuvans, *ordinatione* scilicet vel etiam *actu*. Sic igitur distinguuntur gratiæ excitans et adjuvans: 1) Gratia excitans fit sine libera cooperatione nostri arbitrii; adjuvans vero fit cum libera cooperatione nostri arbitrii, per unicam actionem indivisibilem, immediate et a Deo et a libero hominis arbitrio profluentem. 2) Gratiæ excitanti de se potest resisti, et ideo sæpe est tantum *sufficiens;* actuali adjuvanti nunquam resistitur, et semper est actu *efficax;* quia non datur nisi homini actualiter operanti et consentienti. 3) Gratia excitans non est regula majoris sanctitatis: potest enim aliquis recipere magna auxilia excitantia et illis non cooperari, uti fecerunt Judæi; sed regula et mensura majoris sanctitatis sumenda est a majori gratia adjuvante actuali. — Nihilominus si utraque gratia *principiative* spectetur, re non distinguitur: quandoquidem idem est utriusque gratiæ *principium*, utraque videlicet procedit ab eodem Deo, ut auctore gratiæ; vel insuper sæpe, ab eodem habitu supernaturali. Pariter, si nomine gratiæ excitantis adæquate sumptæ, intelligatur complexus gratiarum actualium, actum salutarem deliberatum *aliqua ratione* prævenientium, gratia excitans dicenda est ab adjuvante distingui inadæquate, sicut totum a parte, ex. gr. homo ab anima; satis enim constat, gratiam adjuvantem esse partem gratiæ excitantis, acceptæ pro illarum gratiarum complexu.

87. Q. 5° *An gratia adjuvans et cooperans, qua talis, potest esse gratia præveniens?* — R. Non potest esse præveniens nostram operationem deliberatam, respectu cujus adjuvans est.

(1) Tom. 7, *De Grat.* part. 2, l. 3, c. 16.

Nam gratia quidem *etiam ut adjuvans*, 1) prævenit merita naturæ, 2) prævenit nostram justificationem, quia ad eam disponit; 3) prævenit etiam *prioritate naturæ* nostrum actum salutarem, quia ad illum ponendum cooperatur. Tamen, *quatenus præcise adjuvans* est, gratia non prævenit, sed simpliciter comitatur nostram operationem deliberatam, qua actum salutarem elicimus. — Imo gratia adjuvans ab hac interna operatione nostra, ut modo cum Suarezio adnotavimus, realiter distingui non videtur, sed tantum virtualiter: quatenus nimirum eadem operatio, præcise spectata ut est seu fluit vitaliter et libere a nobis, concipitur esse operatio nostra ; spectata vero ut est seu fluit a principio supernaturali (de quo mox dicemus), concipitur esse gratia adjuvans.

88. Q. 6° *Quodnam est principium gratiæ adjuvantis in homine justo, quodnam in peccatore?* — R. In homine justo, per gratiam prævenientem ad actus supernaturales excitato, principium physicum gratiæ adjuvantis est habitus virtutis supernaturalis, per se infusæ, influens in effectum seu actum salutarem. Ejusmodi enim habitus se habet ad instar naturæ, respectu actuum supernaturalium.

89. In homine peccatore, *qui habitibus supernaturalibus caret*, vel qui saltem non habet *habitum* supernaturalem *respondentem actui* salutari, puta spei, charitatis, eliciendo ; principium gratiæ adjuvantis est Deus ipse, vel Spiritus S. specialiter assistens, et per se immediate supplens (juxta probabilem sententiam), in genere causæ efficientis, defectum alterius principii intrinseci in actum salutarem physice influentis.

90. *Nota.* Adjutorium gratiæ adjuvantis non est *tota ratio* agendi ; sed voluntas per illud elevata etiam cum illo concurrit, tanquam concausa, ad actus salutares liberos : *Non ego, sed gratia Dei mecum.* I Cor. XV, 10.

91. Q. 7° *An differt gratia hominis lapsi a gratia primi hominis innocentis?* — Respondetur juxta S. Augustinum (1), gratiæ adjutorium etiam homini innocenti necessarium fuisse, sed a gratia præsentis status discrepasse. Gratia enim naturæ lapsæ est potentior et major, quam gratia primo ho-

(1) Lib. *De corrept. et gratia.*

mini collata : hæc præstabat quidem potentiam faciendi bonum et perseverandi : illa autem præstat etiam ipsum velle et perseverare; gratia in natura integra erat penes liberum arbitrium: in natura lapsa, gratia est per donum gratiæ ; primo homini datum fuit auxilium *sine quo non* posset recte operari et perseverare: hominibus autem lapsis datum est præterea auxilium *quo* reapse justi plurimi bene operentur et perseverent (1).

ARTICULUS II.

DE GRATIÆ ACTUALIS NECESSITATE.

92. Tria stabilienda nobis sunt: 1° gratiæ necessitas contra Pelagianos; 2° ejusdem necessitatis extensio, contra Semipelagianos; 3° ejusdemque limites, contra Protestantes et libertatis peremptores.

93. Quæ ut efficiantur, necessitas gratiæ in omni hypothesi, tum respectu operum, tum respectu operantium, consideranda est.

Propositio I, *de gratiæ necessitate ad opera supernaturalia.*
Propositio II, *de gratiæ necessitate ad initium fidei.*
Propositio III, *de gratiæ necessitate ad omnia opera naturalia.*
Propositio IV, *de gratiæ necessitate ad aliqua opera naturalia.*
Propositio V, *de gratiæ necessitate in infidelibus.*
Propositio VI, *de gratiæ necessitate in peccatoribus.*
Propositio VII, *de gratiæ necessitate in justis ad omnia peccata vitanda.*
Propositio VIII, *de gratiæ necessitate in justis ad perseverandum.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Ad omnes et singulos actus salutares, necessaria est interior Spiritus S. gratia illustrationis et inspirationis.

94. *De fide*, ut patet ex Conc. Arausicani II canone 7: *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere; sive salutari i. e. evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque*

(1) Theol. Wirceb. *De gratia*, cap. 1, art. 4. — Circa adjutorium *quo* et *sine quo non*, notandum est, inter Theologos, etiam orthodoxos, non satis convenire quid nomine utriusque adjutorii intellexerit S. Augustinus. Hac de re vid. Theol. Wirceb. ibid. art. 5.

illuminatione et inspiratione Spiritus S., hæretico fallitur spiritu. — Confer Trid. Sess. 6, can. 2 et 3.

95. Dicitur in propositione, gratiam necessariam esse ad *actus salutares*, h. e. *ad salutem aliquo modo positive conducentes.* Actus enim *salutaris* est actus, non tantum moraliter bonus vel honestus ; sed insuper ad salutem, i. e. ad finem supernaturalem, situm in visione beatifica, tanquam medium proportionatum, saltem remote, conferens.

96. Dicitur *gratia interior Spiritus S.*, scilicet distincta a revelatione, atque externa objecti credendi propositione ; ut excludatur Pelagianorum gratia, quam in doctrina et exemplo Christi reponebant (1).

97. Dicitur gratia *illustrationis et inspirationis*, quin tamen determinetur an utraque *immediate* per Spiritum S. efficiatur. Probabilius quidem hoc est affirmandum, sunt tamen auctores graves, qui, saltem absolute loquendo, negant necessariam esse gratiæ excitationem quæ immediate afficiat voluntatem, quam sufficienter excitari posse per gratiam intellectus arbitrantur.

98. Dicitur : ad *omnes* actus salutares ; quod generaliter, scilicet tam de justis quam de peccatoribus, asseritur.

99. PROB. 1° *Scriptura*, II Cor. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est. — Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum ; quia sine me nihil potestis facere.* Joan. XV, 4 et 5.

100. 2° *Traditione*. S. Augustinus præcedentia Christi verba commentans, ait : *Sive parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Tract. 81 in Joan. — Idem Pater, Lib. de grat. Christi, c. 19, recitatis hisce Pelagii verbis : *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam*, subjungit : *Tolle* facilius, *et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus.*

(1) Supra n. 53.

101. Huc accedit constans Ecclesiæ sensus, quæ a principio sic orare consuevit: *Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere...*

102. 3° *Ratione theol.* Medium debet habere proportionem ad finem; ergo actio ut sit salutaris, h. e. ut sit medium ad finem supernaturalem, et ipsa supernaturalis esse debet, ac proin ex principio supernaturali gratiæ procedere. — Sicut homo, etiamsi multis passibus ambulet in terra, non ideo tamen ad cœlum ascendet aut cœlo appropinquabit: quia non est proportio inter passum, quo secundum longitudinem inceditur super terram, et altitudinem secundum quam ascenditur in cœlum; ita fieri nequit, ut operibus mere naturalibus homo ad finem supernaturalem accedat. — Sicut etiam oleaster natura sterilis est; si autem insertam habuerit bonam oleam, quasi mutat naturam suam ut fructus bonos producat; sic homo ex natura nihil valet ad salutem nisi, accedente gratia, supra naturam elevetur ut fructus salutares possit producere.

103. OBJIC. 1° Actus fidei, spei et amoris Dei sunt salutares; atqui hujusmodi actus possunt viribus naturalibus produci; ergo aliqui actus salutares fieri possunt sine gratia. — R. *Dist. maj.* Hujusmodi actus sunt salutares quatenus per gratiam elevantem dignificantur, *conc.;* quatenus naturæ viribus eliciuntur, et mere secundum se spectantur, *neg.*

104. *Obj.* 2° Natura hominis debet esse proportionata fini ejus; atqui, si natura humana non potest ullum actum salutarem elicere, non est proportionata fini; ergo. — R. *Dist. maj.* Natura hominis debet esse proportionata fini ejus naturali, *conc.;* fini ejus supernaturali, *subdist.*, aptitudinaliter, *conc.;* formaliter, *neg.* Scilicet natura humana debet esse proportionata bono ordinis naturalis operando, saltem mediate: ut nimirum, mediante oratione ordinis naturalis, possit acquirere vires sufficientes ad legem implendam, et ita consequendum finem suum naturalem, qui in Deo abstractive contemplando consistit. — Posito autem quod homo elevatus sit ad finem supernaturalem, hoc est, ad Deum intuitive videndum, sufficiet ut habeat aptitudinem ad recipienda media, nimirum gratiæ auxilia, quæ Deus ipsi

largiturus est, ut ad finem illum supra sphæram suam positum perveniat.

PROPOSITIO II.

Eadem gratia necessaria est ad salutare initium fidei.

105. *De fide*, ut patet ex Conc. Araus. II canone 7, supra citato, et ex Trid. Sess. 6, can. 3.

106. Propositio contra Semipelagianos dirigitur, quorum error nitebatur in eo, quod liberi arbitrii vigorem naturalem, quem non penitus exstinctum fatebantur, cum ejusdem elevatione ad operationem supernaturalem confunderent.

107. PROB. 1° *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Joan. VI, 44. Atqui qui incipit credere venit ad Christum, sicut qui incipit venire reapse venit. — *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis?* I Cor. IV, 7. *Quo præcipue testimonio*, ait S. Augustinus, *etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis* (1).

108. 2° Præter auctoritatem S. Augustini, qui data opera Semipelagianos confutavit, non desunt anteriorum Patrum testimonia. Inter alios, Chrysostomus ait: *Nihil ex te habes, sed a Deo accepisti... Ergo cum acceperis, habes: non hoc vel illud, sed omnia quæ habes; non enim hæc tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem dixeris, ex vocatione illa venit.* Homil. 2 in I epist. ad Cor. n. 1 et 2.

109. 3° *Ex praxi Ecclesiæ*, quæ semper pro infidelibus et inimicis suis oravit ut crederent.

110. 4° *Ratione theologica.* Ex opinione Semipelagiana sequitur *gratiam non jam esse gratiam.* Rom. XI, 6. — In fide consistit fundamentum seriei bonorum operum, quibus ædificium salutis conficitur (2): atqui hoc ædificium homo viribus suis exstruere non potest; ergo nec ejusdem ponere fundamentum. Facilius enim est aliquam ædificio partem adjungere, quam ejusdem jacere fundamentum.

(1) Lib. *De prædest. Sanct.* cap. 3, n. 7.
(2) Cfr. Conc. Trid. Sess. VI, cap. 8.

111. OBJIC. 1° Dicit Apostolus: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, Rom. VII, 18; ergo hominis est initium. — R. *Dist. antec.* Adjacet *velle*, jam a gratia præveniente productum, et adhuc indigens gratia perficiente, *conc.;* adjacet *velle* ex solis viribus naturæ, *neg. Deus est enim*, ait ipse Apostolus, *qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.* Philip. II, 13.

112. *Obj.* 2° Hominis est præparare cor suum, secundum illud I Reg. VII, 3: *Præparate corda vestra Domino;* ergo. — R. *Dist. antec.* Hominis est præparare cor cooperando gratiæ jam præsenti, *conc.;* viribus naturæ, *subd.:* præparare negative, *conc.;* positive, *neg.* Præparatio negativa sita est in tollendis seu removendis obicibus gratiæ; porro non negamus, viribus naturæ posse nonnullos obices removeri. Verum hæc negativa præparatio neutiquam se habet per modum meriti, impetrationis, aut generatim per modum conditionis, bonitate sua aliquomodo moventis Deum ad gratiam largiendam; sed tantum se habet per modum puri termini, qui nempe non movet quidem Deum ad dandam gratiam, sed jure potest a Deo exigi, antequam, aliunde motus, homini gratiam conferat.

113. *Obj.* 3° Axioma est apud Theologos receptum: *Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam;* ergo. R.—*Dist.* sensum axiomatis: *Facienti quod est in se, per vires gratiæ* jam gratuito prævenientis, Deus non denegat gratiam ulteriorem, *conc.;* facienti quod est in se *ex viribus naturæ*, Deus non denegat gratiam primam, *subd.:* non denegat ex gratuita bonitate, *conc.;* non denegat quia denegare non potest, *neg.* — Deus scilicet ex Christi, non hominis meritis, gratiam se daturum omnibus promisit *sub conditione negativa*, ut nempe non ponant obstaculum. Quanquam vel eam conditionem Dei liberalitas non semper requirit (1). Itaque, 1) si homo non faciat viribus naturæ quod in se est, Deus potest, spectatis suis promissis, non largiri gratiam, licet nihilominus eam sæpe largiatur; 2) si autem homo faciat viribus naturæ quod in se est, Deus gratiam concedet, non motus ex eo quod homo fecit quod in se est, sed aliunde: id est, ex meri-

(1) Cf. Suar. t. 7, l. 4, cap. 12-15.

tis Christi et promissionibus suis. *Facere quod in se est viribus naturæ*, ut exemplo aliquo rem illustremus, sic se habet in ordine ad gratiam a Deo obtinendam, sicut *esse bene lotum ac mundatum* se habet in ordine ad dignitatem famuli regii a Principe obtinendam. Suppono enim Principem, qui gratuito velit quemdam hominem sibi in famulum assumere, ideoque jubeat illum ad se venire: si veniat ille bene lotus et mundatus, admittetur in famulum; sin sordidus, non admittetur. In primo tamen casu, id quod movet Principem ad hominem admittendum, non est ullo modo ejus mundities; sed alia causa, puta ipse filius Principis, qui pro tali homine admittendo patrem enixe rogavit.

PROPOSITIO III.

Necessaria est Dei gratia homini lapso, tum ad plures veritates ordinis naturalis cognoscendas, tum ad universam legem adimplendam, tum denique ad graves tentationes superandas.

114. Propositio *ad fidem catholicam pertinet* quoad omnes suas partes. Si enim, uti Pelagius asserebat, homo in præsenti statu cognoscere veritatem et implere legem valeret, sicut Adam ante lapsum, sequeretur non fuisse *totum hominem in deterius mutatum*, quod est contra Trid. Sess. 5, can. 1.

115. Gratia, in præsenti propositione, consideratur quatenus est *medicinalis* ac roborat infirmitatem naturæ; non vero quatenus est *elevans*, atque actionem ad supernaturalem ordinem evehit. De sola enim operis *substantia* agitur, non autem de *modo* aut supernaturalitate ejus. Porro ad operis substantiam in ordine naturali *per se* sufficit gratiæ auxilium ordinis similiter naturalis, at supernaturaliter ultra vires naturales collatum: seu tale, ut supernaturale quidem sit *quoad modum*, naturale vero *quoad substantiam* (1).

116. Dicitur *homini lapso*, nimirum qui totus in deterius commutatus fuit. Quæ commutatio potissimum complectitur ignorantiam ex parte intellectus, infirmitatem ac in malum proclivitatem ex parte voluntatis, et concupiscentiam ex parte sensuum.

(1) Cf. Suar. tom 6, l. 1, cap. 1, 2, 8, 27, 28.

117. Dicitur: *ad plures veritates cognoscendas:* quales sunt abstrusiores: — *ad observanda legis præcepta*, præsertim difficiliora, ut est præceptum diligendi Deum super omnia. — Præcepta *omnia*, scilicet *collective* sumpta; imo probabilius de quibusdam in sensu *distributivo* idem est asserendum.

118. Additur: *ad graves tentationes superandas.* Tentationes dicuntur sollicitationes ad malum, quæ vel revocant ab actibus præceptis a lege, vel ad actus prohibitos impellunt. Oriuntur vel ab *appetitu inferiori*, vel ab *objectis extrinsecis*, sive veris, sive apparentibus phantasiam concitantibus; vel a *dæmone*, aliove principio extraneo, judicium et voluntatem sollicitante. — Tentationes porro possunt esse *graves* vel *leves*, prout ad vincendum faciles vel difficiles, non tantum *respective* ad tale objectum, sed etiam *absolute;* sive difficultas ex duratione, sive ex intensitate, sive ex ipso habitu et consuetudine prava proveniat. — Triplex potest esse *victoria:* 1° *vitiosa*, ubi quis tentationem ad peccatum vincit alio peccato: ut si avarus largiatur pecuniam ex vana gloria. 2° *Salutaris*, ut ex. gr. cum quis, gratia elevante adjutus, ex motivo fidei et vitæ æternæ intuitu, superat tentationem. 3° *Præcise honesta* et naturaliter moralis, ubi quis propter motivum naturalis honestatis tentationi resistit. De hac ultima victoria in præsentiarum controversia agitur.

119. Ad supradicta omnia dicitur gratia *necessaria* homini, eo sensu, quod sine gratia sint ei *impossibilia*, non quidem *physice* sed *moraliter*. Distinguitur enim duplex impotentia: physica et moralis. Impotentia *physica*, quæ nonnunquam dicitur etiam *absoluta*, ea est quæ superari nullatenus potest; cujusmodi est in homine impotentia ad volandum, quia alis destitutus est. Impotentia *moralis* ea dicitur, quæ ægre quidem ac difficile, attamen absolute vinci potest; qualis in ægroto concipitur ad pondus quoddam attollendum, quod ingentem ipsi molestiam afferret. Hæc moralis impotentia seu verius *difficultas*, plures admittit gradus, tum absolute tum relative: *absolute*, cum oritur ex ipsa rei arduitate; *relative*, cum non solum ex arduitate operis pendet, verum etiam ex ratione temporis, loci, personæ, aliarumque circumstantiarum, quæ negotium illud jam per se arduum

impotentia physica quæ nonnunquam potest superari.

comitantur. Impotentia moralis eo potest pervenire ut *physicæ*, vel *absolutæ* impotentiæ æquivaleat : sic vir probus et sanæ mentis moraliter non potest se ex turri in terram dejicere : et hæc est moralis impotentia *summa*. — In propositione autem, ut dictum est, impotentia *moralis*, non physica asseritur.

120. PROB. I. PARS. *Etiamsi dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire*. Eccl. VIII, v. ult. — *Da mihi sapientiam et intelligentiam.... Quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare?* II Paral. I, 10.

121. Deinde experientia et historia constat, humanam sapientiam sibi derelictam, multis gravibusque erroribus esse obnoxiam.

122. II PARS. Impotentia ad legem implendam. *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset donum, adii Dominum et deprecatus sum illum*. Sap. VIII, 21. — *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. Rom. VII, 24.

123. Deinde impotentia ex eo oriri cernitur, quod ex una parte summa quibusdam præceptis difficultas, ex altera autem maxima homini imbecillitas inesse sentiatur.

124. III PARS. Impotentia ad vincendas tentationes. Hæc pars sequitur ex præcedenti. In immensum enim augetur difficultas implendi legem, cum graves tentationes animum pulsant. *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritum autem adversus carnem*. Gal. V. 17. Quod et ipsi ethnici viderunt :

Sed trahit invitum nova vis; aliudque cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora proboque ;
Deteriora sequor.

OVID.

125. *Objicies:* In statu naturæ puræ homo haberet potentiam moralem totius legis naturalis diuturno tempore servandæ; atqui in statu naturæ lapsæ homo potentiam omnem retinet, qua in statu naturæ puræ gauderet ; ergo, etc. — 1° Respondent quidam Theologi : *Neg. maj., conc. min., neg. conseq.* — 2° Respondent alii : *Dist. maj.* Homo potentiam istam haberet *in re, N.; in spe*, i, e. haberet spem obtinendi a Deo supplementum potentiæ, *subdist.;* spem fundatam in *exigentia*

naturæ, cui proinde auctor naturæ *deberet* satisfacere, *N.*; fundatam in naturæ *indigentia.* iterum *subd.*: in naturæ indigentia *inculpabili*, utpote naturæ innocentis, cui proin *deceret* ut auctor naturæ subveniret, *conc.*; in qualicumque indigentia, præsertim orta ex culpa, *neg.* — Ad *min.*, pariter *dist.* Homo lapsus retinet *in re* omnem potentiam, qua innocens gauderet *in re*, *C.*; retinet quoque *in spe* potentiam qua innocens gauderet *in spe*, *subd.*: si agatur de spe fundata in naturæ *exigentia*, *trans.*; si de spe fundata in *indigentia* naturæ *inculpabili*, *N.* Etenim in statu naturæ lapsæ indigentia ista oritur ex culpa originali; dum e contra, in statu naturæ puræ, culpam nullam supponeret, sed connaturalis prorsus imperfectio foret (1).

PROPOSITIO IV.

In statu naturæ lapsæ potest homo, absque speciali gratiæ auxilio, nonnullas ordinis naturalis veritates cognoscere, tum faciliora ejusdem ordinis opera perficere, ac leves tentationes superare.

126. Propositio *certa* est, si intelligatur de auxilio gratiæ ordinis supernaturalis, seu gratiæ *supernaturalis quoad substantiam*: ex damnatione enim variarum propositionum tum Baii tum Quesnellii (2), id, ut minimum, eruitur.

127. Quod si universalissime intelligatur de auxilio cujusvis gratiæ, *etiam* naturalis quoad substantiam et duntaxat quoad modum supernaturalis: id est, de omni gratia, quæ a dono creationis et providentiæ mere naturalis distinguitur; in hoc sensu, propositio nostra est longe communior et probabilior. Etenim, ut cætera argumenta mittamus, videtur ea sequi ex damnatis Baii proposit. præsertim 27 et 28.

128. PROB. I PARS. Potest homo quædam cognoscere: *A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Sap. XIII, 5. — Cfr. Rom. I, 18 et II, 14.

129. Augustinus: *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi fieri non vis, ne feceris alteri.*

(1) Vide quoque Platel. *De gratia*, c. 6, § 2, n. 514.
(2) Cf. prop. Baian. 25, 27, 28, 30, 35, 36, 37, 38, 40; — Quesn. 38, 39-49.

Hoc, et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est. Enarr. in Ps. LVII, n. 1.

130. II PARS. Potest quædam opera perficere : *Gentes quæ legem* (Mosaicam) *non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Rom. II, 14.

131. III PARS. Potest tentationes leviores superare. — Ex præcedentibus sequitur, hominem, qui veritatem moralem faciliorem cognoscere et eam implere valet, etiam leviorem tentationem posse vincere.

132. Eadem confirmantur ratione. Adversarii falso nituntur fundamento, scilicet, originalem justitiam et dona connexa, homini essentialia ac naturæ debita fuisse; proindeque per peccatum, quidquid bonum esset in homine fuisse perditum, ac imaginem Dei in anima ejus prorsus deletam. Hæc autem veritati catholicæ, in Tractatu de peccato originali demonstratæ, contraria sunt. Quocirca recte Augustinus dicit : *Non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere.* De Sp. et litt. cap. 28, n. 48.

133. OBJIC. S. Augustinus ait : *Regnat carnalis cupiditas ubi non est Dei charitas*, Enchir. cap. 117 ; ergo S. Doctor, præter charitatem quæ est opus gratiæ, nihil boni in homine agnoscit.— R. *Dist antec.* Regnat carnalis cupiditas *habitualis*, quæ tamen vim suam non exerat in actus singulos, *conc.;* regnat semper *actualiter* in omni opere, *neg.* — Notandum quoque est, S. Augustinum adversus Pelagianos requirere charitatem ad omne opus bonum, intelligendo *supernaturale* et *vitæ æternæ meritorium;* ad opus vero naturaliter honestum si quandoque videtur requirere charitatem, hanc intelligit lato sensu et improprie dictam, quæque nihil aliud sit quam *naturalis amor honesti.* Duplicem enim S. Doctor nominat charitatem : divinam scilicet seu theologicam, et humanam seu naturalem, quæ nihil præter naturalem honestatem inducit.

134. Doctrina de naturali possibilitate in ordine morum, quæ ultima propositione *generatim* propugnata est, duabus subsequentibus propositionibus *speciatim* est explicanda.

PROPOSITIO V.

Possunt infideles, sine gratia fidei, aliqua opera moraliter bona facere.

135. Propositio *certa* : sequitur enim ex hac : *Aliqua infidelium opera non sunt peccata;* quæ contradictoria est propositioni 25æ inter proscriptas Baii : *Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes sunt vitia* (1).

136. Dicitur *sine gratia fidei*, intelligendo nomine *fidei*, non tantum actum aut habitum fidei, sed etiam fidei initium.

137. Dicitur *moraliter bona*, scilicet bonitate ordinis naturalis, non autem supernaturalis. Ante fidem enim, opera supernaturalia non dantur; cum absque fide opus ad finem supernaturalem dirigi ab homine nequeat, quæ tamen directio ad actus supernaturalitatem essentialis est (2). Quocirca dicit Apostolus : *Sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. XI, 6; et Tridentinum : *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.* Sess. 6, c. 8. — Gratia ergo fidei adæquate sumpta, quatenus etiam fidei initium comprehendit, prima gratia supernaturalis et elevans ad ordinem salutis vocari potest (3). Unde ubi de bonitate operum fidem præcedentium sermo est, hujusmodi bonitas mere moralis ac naturalis intelligitur. — Quæ tamen non obstant quominus auxilium infidelibus collatum, naturale *quoad substantiam*, dicatur et sit supernaturale *quoad modum* quo a Deo confertur, et *quoad finem* qui a Deo intenditur, qui est ut infideles ad fidem et salutem consequendam negative disponantur.

138. Propositio præsens a præcedenti differt eo, quod vim naturæ præcise *in infidelibus* consideret.

139. PROB. 1° Ex propositione præcedenti, in qua, tanquam in generali principio, hæc particularis conclusio continetur.

140. 2° *Dedi ei* [Nabuchodonosor] *terram Ægypti, pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Ezech. XXIX. 20. In quæ verba S. Hieronymus scribit : *Ex eo, quod Nabuchodo-*

(1) Cfr. propos. damn. Quesnelli 27, 28, 48, 51.
(2) Cf. supra prop. 1, n. 102.— (3) Cf. Suarez, l. 6, l. 1, cap. 27.

nosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri. Lib. 9, in Ezech. loc. cit.

141. 3° Ratio abhorret ab isto paradoxo : Infidelis, stipem indigenti tribuendo, obsequium parentibus deferendo, male agit, et sic deterior fit coram Deo. — Porro quid vetat, quominus homo rationalis actum ponat honestum, tum *ratione sui* seu substantialiter, tum ratione *finis proximi?* Jam vero, finis proximus *naturaliter* bonus pondere suo fertur in finem ultimum *naturalem*, quem, saltem virtualiter, includit : et propterea actus, qui attingit finem proximum bonum, respicit etiam finem hominis ultimum, ac proin bonus est.

PROPOSITIO VI.

Potest homo cum sola gratia actuali, sine gratia sanctificante, actus bonos et salutares elicere.

142. Propositio est *ad fidem pertinens*, adversus Hussitas damnatos in Conc. Constantiensi (1); item adversus Lutherum et Calvinum, quorum doctrinam damnavit Trid. Sess. 6, can. 7; item adversus Baium, cujus damnata prop. 35 ita sonat : *Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.* Eadem doctrina quoque damnata postmodum fuit in Jansenianis, qui cum Protestantibus in hunc eumdem errorem, licet ex distincto principio, devenerunt (2).

143. PROB. 1° Scriptura supponit, opera bona et salutaria a peccatoribus ante conversionem elici : *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos.* Zach. I, 3.

144. 2° Conc. Araus. II, can. 25 : *Credendum esse*, ait, *nec pii latronis, nec Cornelii centurionis, nec Zachæi conversionem sine divinæ largitatis dono accidisse.*

145. 3° Hypothesis adversariorum omnem viam conversionis peccatoribus præcludit ; siquidem negat ab eis posse actus illos elici, quibus conversio ad Deum peragitur. — Infideles possunt quædam opera bona facere (3); a fortiori hoc possunt

(1) Cf. artic. 16, inter articulos 30 Joannis Huss damnatos a Conc. Const. et Martino V, 1418. — (2) Cfr. Perrone, *De gratia*, n. 160. — (3) Propos. præced.

peccatores, qui fidem habent, et præterea ipsa fide ad operationes supernaturales sunt idonei.

PROPOSITIO VII.

Homo justificatus non potest in tota vita sua vitare peccata omnia, etiam venialia, nisi ex speciali privilegio.

146. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, can. 23.

147. Propositio contra recentiores hæreticos statuitur, qui, sicut Pelagiani, impeccabilitatem homini tribuunt, diverso tamen modo. Pelagiani enim, quos supra confutavimus, aiunt, hominem ad perfectionem, imo impeccabilitatem, naturæ viribus posse pertingere; rationalistæ similiter asserunt, homines, non solum *ideale* prototypon, ut dicunt, hominis paradisiaci, sed ipsum reale quod in se exhibuit Christus Jesus, æmulari posse.—Protestantes pariter impeccabilitatem in homine, non quocunque, sed justificato, admittunt. Hæc tamen Protestantium *impeccabilitas* potius dicenda est *impunitas;* cum nequaquam excludant culpam, docentes, peccare quidem justos, imo in quolibet opere peccare; peccata autem eorum sub indumento justitiæ tegi, nec ad pœnam imputari.

148. Dicitur *venialia omnia*, i. e. tam *deliberata* quam *subreptitia*, quæ nempe plenam advertentiam præveniunt. — *In tota vita*, h. e. per spatium moraliter longum, ut passim interpretantur Theologi. — *Non potest* homo, *de potentia*, non physica, sed *morali*. Obstat itaque *impotentia moralis*, consistens in difficultate tantam perfectionem consequendi : quam difficultatem superare quidem possumus, sed re ipsa non superamus; ita ut omnes committamus peccata, saltem venialia, saltem illa venialia quæ dicuntur *subreptitia*.—Vitare *peccata omnia*, scilicet *collective*, non seorsim seu *distributive* sumpta; nam singillatim sumptam quamlibet peccati venialis speciem, præsertim quoad actus deliberatos, potest justus ordinaria gratia præcavere. Potest etiam quamdiu vivit sua venialia minuere.—*Nisi ex speciali privilegio;* nimirum gratiæ communes non sufficiunt, sed requiritur privilegium, quo plene sanetur infirmitas naturæ. Hujusmodi autem *privilegium* videtur esse

non *præter*, sed *contra legem*, quale est conceptio sine peccato originali (1).

149. PROB. 1° *In multis offendimus omnes*. Jac. III, 2. cf. I Joan. I, 8.

150. 2° S. Gregorius Naz. : *Illud cognoscamus, quod omni quidem vitio carere, ejusmodi procul dubio est, ut humanum modum excedat, solique Deo conveniat*. Orat. XV in Plagam grandinis.

151. 3° Ratio hujus impotentiæ percipitur in infirmitate virium superiorum ex una parte, et in perduratione luctæ sustinendæ ex altera. Sic infirmus, dum ambulare incipit, singulos quidem passus facere potest, longum iter conficere non potest; sic etiam viator, per viam salebrosam incedens, aliquoties offendet; et miles fortissimus, qui singulos hostes facile prosternere valet, non poterit tamen, si plurimi ad certamen usque instaurandum succedant, aliquando non occidi. His consonat S. Thomas 1, 2, q. 109, art. 8 et 9 (2).

152. OBJIC. 1° Jubet Deus vitari omnia peccata ; ergo vitari possunt. — R. *Dist. consequens :* Ergo vitari possunt potentia physica, *conc.;* potentia morali, *neg.*

153. *Obj.* 2° Atqui si datur impotentia moralis, non amplius datur voluntarium, ac proin neque peccatum ; ergo omnia peccata vitari possunt. — *Dist. antec.* Si datur impotentia cadens in aliquod peccatum particulare, determinatum, *trans. antec.;* si impotentia quædam generalis, vaga, oriens ex multitudine offendiculorum, tunc non amplius est voluntarium, *neg. antec.* Motus pravi singuli ab homine reprimi possunt, et ex hoc, dum non reprimuntur, habent rationem peccati et voluntarii ; non autem omnibus coercendis humana infirmitas sufficit.

154. *Obj.* 3° Si res ita esset, non recte peteremus a Deo gratiam vitandi omne peccatum ; ergo. — R. *Nego antec.* Recte petimus illam gratiam a Deo, sperantes ex parte Dei datum iri, licet timeamus ex parte nostra ne sæpius frustranda sit. Deinde hujusmodi desiderium et conatus honestissima sunt, ad minuendos lapsus utilia, et rationi conformia, quoniam singuli lapsus vitari possunt.

(1) Suar. t. 8, l. 9, c. 8. — (2) Cf. Suar. ibid.

PROPOSITIO VIII.

Homo justificatus non potest in accepta justitia perseverare, nisi ex speciali auxilio.

155. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, can. 22.

156. *Perseverantia* generatim est *in accepta justitia perduratio.* — Sumitur tripliciter : pro bono proposito nunquam a virtute recedendi, pro habitu perseverandi, et demum pro actuali perduratione in statu gratiæ. Ultima hæc perseverantia, nempe *actualis*, ad quæstionem nostram pertinet.

157. Actualis autem perseverantia multipliciter distinguitur. Est enim 1° ratione *personarum*, perseverantia infantium et perseverantia adultorum. 2° Ratione *modi*, dicitur passiva vel activa. *Passiva* scilicet est illa, quæ bonorum operum exercitium non requirit, ut in infantibus baptizatis evenit; *activa*, qua quis adultus justificatus in operando bono perdurat, et potest esse *diuturna*, vel *brevis*. 3° Ratione *termini* est vel temporalis vel finalis. *Temporalis* perseverantia dicitur, qua quis adultus justificatus brevi vel longiore tempore durat, donec relabatur in peccatum mortale; *finalis*, qua justus acceptam gratiam conservat usque ad mortem. — Porro finalis perseverantia potest esse *mere passiva*, ut infantibus post baptismum morientibus, aut adultis statim post justificationem decedentibus contingit; vel simul *activa et passiva*, quum adultus acceptam justitiam, bene operando, custodit, donec mors illum occupet, in quo casu *perfecta* perseverantia dicitur.

158. *Potentia* perseverandi, alia est *physica* et *absoluta* : hæc adest communibus gratiæ auxiliis, etiam absque auxilio speciali. Alia est *moralis*, in eo sita, quod quis summa perseverandi difficultate non laboret. Utraque vero potentia est vel *reducenda* ad actum, si nempe perseverantiam allatura prævideatur et reapse allatura sit; vel *mere reducibilis*, si nempe perseverantiam non obtentura prævideatur.

159. Jam vero canon Trid. citatus certissime intelligendus est, *ut minimum*, 1) de perseverantia quæ *perfecta* et *diuturna* sit; 2) de potentia perseverandi quæ *moralis* sit atque *reducenda* ad actum. Sensus itaque canonis est saltem iste : *Si*

quis dixerit justificatum... sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare (active, diu, usque ad mortem) *posse* (absque summa difficultate, atque ita, ut reapse perseveret); *anathema sit.*

160. Porro Propositio nostra stricto hoc sensu accipienda est. Quod si desideras de aliis perseverantiæ speciebus cognoscere quid sentiendum sit, an nempe specialia auxilia ad eas requirantur; an sint speciale Dei donum, etc. consule P. Suarezium qui de his fuse agit (1).

161. *Nota.* Auxilium speciale, de quo in Propositione, constituit in adultis illud, quod Tridentinum *magnum perseverantiæ donum* appellat (2). — Donum autem perseverantiæ in genere sumptum, et prout etiam ad parvulos extenditur, definiri potest: *Beneficium Dei, seu gratuita Dei operatio, quæ præstat ut homo in statu gratiæ sanctificantis moriatur.*

162. PROB. 1° Scriptura perseverantiam exhibet ut donum distinctum a dono bonorum operum, seu gratiæ communis: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* Jer. XXXII, 40. In quæ verba ita scribit Augustinus: *Quod quid aliud est, quam, talis et tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant.* De dono persev. cap. 2. — En perseverantia activa.

163. *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Sap. IV, 10, 11. — En perseverantia passiva.

164. 2° Augustinus ait: *Videte jam a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ: cum vitæ huic, quando voluerit, ipse det finem. Quem si dat ante imminentem lapsum, fecit hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis detur hæc gratia.* De dono persev. cap. 17.

165. 3° Tria ad perfecte perseverandum sunt necessaria: declinare a malo in omni occasione, — facere omne bonum ad salutem necessarium, observando constanter omnia præcepta affirmativa, — mortem contingere dum hæc duo rite

(1) Opp. tom. 8, lib. 10, cap. 4 et seqq. — (2) Sess. 6, can. 16.

observata sunt; quæ tria simul homini diu viventi in hoc mundo, sine speciali divinæ gratiæ dono, evenire non possunt (1).

QUÆSTIONES.

1° *Quanta est supernaturalitas gratiæ actualis, seu auxilii necessarii et sufficientis, de quo hactenus disseruimus? — 2° An donum perseverantiæ ita est gratuitum, ut nullatenus sub meritum cadat? — 3° An potest homo lapsus, Deum solis naturæ viribus amare super omnia? — 4° An gratia actualis, ad omne opus salutare necessaria, in justo a gratia sanctificante diversa est? — 5° Quibusnam privilegium immunitatis ab omni actuali peccato fuit concessum? — 6° Quomodo differt donum perseverantiæ a dono confirmationis in gratia? — 7° Quinam sunt varii gratiæ gradus qui in justis distingui possunt?*

166. QUÆR. 1° *Quanta est supernaturalitas gratiæ actualis, seu auxilii necessarii et sufficientis, de quo hactenus disseruimus?* — R. Distinguendum est inter auxilium *positive* sufficiens ad aliquod opus, et auxilium *negative* sufficiens. Positive sufficiens illud est, quod præstat potentiam tali operi proportionatam sensu positivo; negative sufficiens est, quod præstat potentiam proportionatam sensu negativo. Voco autem potentiam ad opus aliquod proportionatam sensu positivo, eam, ex qua opus illud vere et proprie procedere potest; proportionatam sensu negativo voco eam, a qua vere et proprie procedere potest, non quidem opus, sed remotio obicis seu impedimenti quod forte obesset, quominus vel opus ponatur, vel potentia positiva obtineatur. — Porro *auxilium positive sufficiens* potest esse vel *proxime* vel *remote* sufficiens, prout potentiam positive proportionatam præstat vel proximam vel remotam. *Proxima* est ea, ex qua opus procedere potest proxime seu immediate; *remota* est ea, ex qua opus procedit quidem, sed remote seu mediate. Sic v. g. gratia actualis, qua tempore tentationis excitaris ad peccati horrorem fiduciamque erga Deum, est, non tantum positive, sed etiam proxime sufficiens ad tentationem superandam; gratia vero qua, nondum concepto tali horrore peccati et fiduciæ

(1) Cf. Trid. Sess. 6, cap. 13.

sensu, excitaris tamen ad utrumque a Deo postulandum, est ad tentationem vincendam positive quidem sufficiens, sed solum remote. His positis, respondeo ad quæstionis solutionem :

167. 1° Gratia actualis necessaria, et positive sufficiens ad actum salutarem eliciendum, qui quidem supernaturalis sit quoad substantiam, cujusmodi sunt saltem actus fidei, spei et charitatis christianæ, debet esse et ipsa *supernaturalis quoad substantiam*, atque adeo infusa.

168. 2° Si darentur actus deliberati salutares, qui, licet ordinis naturalis ac nonnisi quoad modum supernaturales, tamen vere salutares forent (id est ad vitam æternam positive conducentes), videretur ad illos eliciendos sufficere gratia ordinis naturalis, nempe tantum *quoad modum supernaturalis*. Verum communior ac probabilior sententia, quam prorsus cum Suarez (1) sequimur, tenet, nullum actum salutarem esse nisi sit supernaturalis quoad substantiam (2).

169. 3° Gratia actualis necessaria et positive sufficiens ad legem naturalem diu implendam quoad substantiam (id est modo non salutari, sed tantum naturaliter honesto), *per se* posset esse mere supernaturalis quoad modum ; verum ex decreto Dei per Scripturas, Concilia et Patres satis manifestato, reapse requiritur gratia entitative, seu quoad substantiam supernaturalis. Spectata itaque præsenti Providentia, gratia diuturnæ observationis legis, est simul gratia initialis fidei.

170. 4° Auxilium actuale infidelibus necessarium, et ad fidem negative sufficiens, i. e. quo possint obices removere, quibus stantibus Deus, vi suæ promissionis, minime tenetur iis suppeditare gratiam positive sufficientem, videtur esse supernaturale duntaxat quoad modum ; siquidem ante positivam vocationem ad fidem, seu ante omnem initium fidei, nulla datur gratia supernaturalis quoad substantiam. — Nec dicas : quare non potius statuitur requiri in infidelibus, ad obices illos removendos, gratias supernaturales quoad sub-

(1) Cf. Suar. opp. tom 7 *De gratia*, l. 1, cap. 12, 13, 14, 15, præsertim n. 19 et seqq.; cf. etiam, l. 1, cap. 11 et seqq. — (2) Suar. *De gratia*, l. 1, cap. 27, n. 13, 14 et seqq.; Wirceburg. *De grat.*, n. 313, resp. ad object. 2.

stantiam, pias videlicet cogitationes atque motiones, quæ sint inchoationes fidei ipsius? — Respondeo: licet id plures statuant, nobis tamen cum Patre Suarezio videtur minime admittendum (1): cujus rationes tamen, brevitatis causa, afferre prætermittimus.

171. Q. 2° *An donum perseverantiæ ita est gratuitum ut nullatenus sub meritum cadat?* — R. Donum perseverantiæ adæquate spectatum, quatenus etiam includit primum auxilium efficax, est plane gratuitum, nec in ullo antecedente merito fundari potest. Consummatio vero, aut progressus et perfectio perseverantiæ jam inchoatæ, a bono gratiarum usu pendere potest, adeoque sub meritum cadit; ita ut justus perseverantiæ donum possit mereri de congruo, nempe per orationem ac bona opera impetrare, seu, ut Augustinus ait, *suppliciter emereri* (2).

172. Q. 3° *An potest homo in natura lapsa, Deum solis naturæ viribus amare super omnia, amore non quidem salutari, sed naturaliter honesto?*—Resp. affirmative, si sermo sit de amore *affectivo imperfecto;* negative vero, si agatur de amore *effectivo*, qui scilicet, diu perseveret, et actualem divinæ legis observationem importet. Imo, probabilius, amor Dei super omnia *affectivus* sed *efficax*, viribus naturæ lapsæ, elici nequit (3).

173. Q. 4° *An in homine justo, præter gratiam habitualem, requiritur etiam actualis ad opus salutare?* — R. Quidam cum Thomassino negant, dicentes, gratiam habitualem in anima residentem, et opera bona ad supernaturalem ordinem elevantem, supplere gratiæ actualis officium. Communior autem et verior sententia statuit, necessariam esse gratiam actualem, qua justus excitetur ad agendum. Habitus enim non erumpit in actum nisi applicetur a facultate in qua est: atqui hæc applicatio non potest esse naturalis pro habitu supernaturali. Quare S. Aug. L. de nat. et grat. c. 26: *Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo, etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere* (4).

(1) Tom. 7, *De grat.*, l. 4, locis citatis.— (2) Lib. *De dono persev.* cap. 6, n. 10.— Cf. Suar. t. 8, lib. 10, c. 7 — (3) Cf. Suar. tom. 6, lib. 1, cap. 3 et præcedent. Item Wirceburg. Theol. *De grat.*, n. 314.—(4) Suar. t. 7, l. 5, c. 8.

Ergo necesse est, ut per gratiam actualem habitus supernaturalis applicetur.

174. Q. 5° *Quibus concessum fuit privilegium impeccantiæ?* — R. Concessum id fuisse B. Virgini tenet Ecclesia (1). Concessum quoque fuisse Præcursori Domini, quidam concludunt ex his Matth. XI, 11: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista;* at conclusio non est certa; nam Luc. VII, 28, habetur: *Major inter natos mulierum* PROPHETA *Joanne Baptista nemo est* (2).

175. Q. 6° *Quomodo differt donum perseverantiæ a dono confirmationis in gratia?* — Resp. juxtà Suarez (3): licet omnes qui salvantur perseverantiæ dono fruantur, tamen, intra doni hujus latitudinem, possunt quasi duo gradus distingui: unus *communis*, importans nempe auxilia interna et externa communis seu ordinariæ efficacitatis; alter *singularis*, importans nempe auxilia, non communis, sed singularis atque excellentioris efficaciæ. Prior gradus *donum perseverantiæ;* posterior *donum confirmationis in gratia* appellatur. Nota vero, eos, qui confirmati sunt in gratia, intensiorem gratiam sanctificantem frequentius possidere, quam qui tantum perseverantiæ dono præditi sunt. Hinc donum confirmationis a dono perseverantiæ accidentaliter differt, sicut gratia intensior a minus intensa.

176. Q. 7. *Quinam gradus gratiæ actualis distingui possunt in justis?*—R. Hi quinque: 1) cum justus habet *auxilia communia*, quibus vitare mortalia et perseverare possit, *potentia physica*, quam peccandi possibilitas supponit: imo *potentia morali sed remota tantum.* Trid. Sess. 6, can. 18.

2) Cum justus habet *speciale auxilium*, quo *possit* vitare mortalia, et perseverare, *potentia morali proxima.* Ibid. can. 22.

3) Cum justus habet magnum *donum perseverantiæ*, quo *actu perseverabit.* Ibid. can. 16.

4) Cum justus habet *privilegium* confirmationis in gratia, quo efficaciter præservetur ab omni mortali.

5) Cum justus habet *privilegium speciale* ad vitanda etiam omnia venialia. Trid. Sess. 6, can. 23.

(1) Trid. Sess. can. 23. — (2) Cf. Suar. t. 8, l. 9, c. 8.
(3) Cf. Suar. t. 8, l. 10, c. 8.

ARTICULUS III.

DE GRATIÆ EFFICACIA.

177. Imprimis Fidei dogmata hac in re vindicabimus adversus hæreticos, qui libertatem sub actione gratiæ destrui contendunt. Prædestinatiani et Protestantes passim dicunt, hominem ad bonum vel malum non quidem cogi, sed necessitari *absolute*, ac libertate carere. — Janseniani eumdem errorem, licet per ambages, profitentur dicentes, hominem libertate non carere, eumque ad bonum vel ad malum non necessitari *absolute*, sed tantum *relative*. Scilicet, juxta ipsos, homo vires gratiæ habet ad bonum *absolute* sufficientes, sed insufficientes *relative* ad oppositam concupiscentiam, quoties hæc vehementior est delectatione cœlesti. Ergo necessitatur quidem, sed ita ut tamen liber dicendus sit.

178. Hos primum errores confutabimus, et deinde Catholicorum opiniones exponemus.

PROPOSITIO I.

Datur in præsenti statu, tum gratia vere et relative, sed mere sufficiens, tum gratia certo et infallibiliter efficax.

179. *De fide*, quoad utramque partem: quoad primam, patet ex Jansen. prop. 1ª et 2ª damnatis; quoad secundam, ex apertis Scripturæ testimoniis, et Ecclesiæ constanti doctrina, qua docet nos orare, ut *Deus faciat nos amare quod præcipit; ut nostras etiam rebelles compellat voluntates.*

180. Prænotandum est, efficacem vel sufficientem dici gratiam, non quamcumque, sed eam quam supra (1) appellavimus *excitantem*, seu *prævenientem.*

181. Dicitur *gratia vere et relative sufficiens*, ea, quæ subjecto, cui datur, præstat potentiam ad illud opus vere proportionatam, et quidem relative ad præsentes subjecti

(1) NN. 25, 26.

circumstantias. Gratia hæc vocatur *proxima* vel *remote* sufficiens, prout potentiam præstat proxime vel remote proportionatam. — Dicitur *mere sufficiens* gratia illa, quæ opus ad quod sufficit, reapse non producit, culpa scilicet voluntatis; vel etiam gratia illa, cui voluntas resistit. Notio gratiæ *mere sufficientis* non est confundenda cum notione gratiæ *præcise sufficientis*. Mere sufficiens negat consensum liberum secuturum; præcise sufficiens id neque negat neque affirmat; utraque vero affirmat proportionem ad consensum obtinendum.

182. Propositio militat adversus Jansenium, qui non admittit nisi gratiam *magnam*, id est efficacem et victricem, sensu supra exposito; et *parvam*, quæ victrix non est, sed sufficiens, imo juxta Jansenium, sufficientissima, non quidem *relative*, sed *absolute* considerata.

183. PROB. I PARS. 1° *Ex Script.* Isai. V, 4: *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci?* Hoc textu patet, 1) datam fuisse Judæis gratiam *vere et relative* sufficientem; secus enim aliquid *ultra faciendum* fuisset; 2) remansisse tamen *mere* sufficientem, Judæis nempe gratiæ resistentibus, quod eis sæpe Deus exprobrat. — Act. VII, 51: *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Ex hoc textu iterum constat, Judæos *vere et relative* potuisse Spiritui sancto consentire, et nihilominus culpa sua *mere* potuisse, reapse vero restitisse.

184. 2° *Ex CC. et PP.* Arausicanum II, can. 25: *Secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati quæ ad salutem pertinent possint* (utique *vere et relative*, quandoquidem) *et debeant si fideliter laborare voluerint*, (quæ conditio iterum clare supponit, eos *vere et relative* posse velle,) *adimplere.* — Dicitur: *omnes;* ergo etiam illi qui reapse non adimplent, *vere* tamen et *relative* possunt adimplere quæ ad salutem pertinent. En gratia *vere* quidem et *relative*, sed *mere* sufficiens. — Trident. Sess. 6, can. 4: Homo *Deo excitanti atque vocanti* (cui reipsa cooperatur assentiendo, et cui hoc ipso *vere* et *relative* potuit consentire), *potest* nihilominus *dissentire, si velit:* i. e. potest efficere ut illa divina excitatio, licet *vere* et *relative* sufficiens, maneat tamen *mere* sufficiens. Et etiam Sessione 6, cap. 11: *Deus impossibilia*

non jubet; sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod nonpossis. Desumpta est hæc doctrina fere tota ex S. Aug. lib. *De Nat. et Grat.* cap. 43, n. 50.

185. 3° *Ratione theol.* Quantum est ex parte Dei, datur *omnibus* gratia *vere* et *relative* sufficiens, ut ex dicendis de distributione gratiæ patebit. Atqui certum est, sæpissime in eis gratiam remanere *pure* sufficientem, ex culpa voluntatis resistentis. Ergo.

186. PROB. II PARS. *Datur gratia efficax*. Id constat ex Scriptura, Conciliis, SS. Patribus, maxime Augustino, et ex ipso omnipotentiæ divinæ conceptu. Quæ argumenta innuisse sufficiat; cum adversarii, i. e. Janseniani, hanc IIam partem libentissime concedant.

187. OBJIC. 1° Scriptura testatur omnem gratiam, vere et relative sufficientem, esse quoque efficacem. Nam ex. gr. Joan. VI, 45 : *Omnis, qui audivit a Patre... et didicit, venit* ad Christum; atqui quicumque habet gratiam vere et relative sufficientem, *audivit a Patre, et didicit*. Ergo quicumque habet gratiam sufficientem, venit ad Patrem seu consentit; ac proinde gratia non remanet in eo *mere* sufficiens. — R. *Neg. assertum,* ut patet ex textibus Script. allatis in probatione. — Ad argum. *Nego min*. Non enim a Patre *didicisse* dicitur quicumque gratiam vere et relative sufficientem accepit; sed ille solum qui gratiæ consentit. Et *nego conseq.*

188. *Obj.* 2° Augustinus gratiam omnem, *vere* et *relative* sufficientem, dicit esse efficacem, ut pluribus testimoniis ejusdem comprobatur. — R. *Nego assertum.* — Ad rectam testimoniorum, quæ afferri ex Aug. solent, intelligentiam, confer Perrone *de gratia*, n. 346 et seqq.

189. *Obj.* 3° Gratia *mere* sufficiens potius maleficium esset quam beneficium. Nam pater aliquis humanus censeretur nocere filio, si illi suppeditaret ea media recte vivendi, quæ prævidet ei fore certe noxia, præ mediis quæ prævidet certo profutura. Ergo idem de Deo sentiendum foret, si gratiam mere sufficientem tribueret. — R. Nego assertum, si de gratia *vere* et *relative* sufficienti intelligatur. — Ad comparationem allatam, resp. Pater ille conseretur nocere filio, si sciret media illa fore noxia *per se, conc.*; si sciret media *per se* vere

sufficere, sed noxia fore *per accidens*, et quidem sola culpa filii, *subd.* : censeretur nocere filio *directe* et positive, *nego.*; *indirecte*, i. e. non impediendo illam culpam, quam posset impedire aliorum mediorum largitione, *iterum subd.* : ideo censeretur nocere filio, saltem indirecte, quia pater humanus *foret obligatus* ad impediendam illam culpam, *conc.* vel *trans.*; ideo censeretur nocere, *quia prævideret* illam culpam filii, eamque *posset* impedire, *nego.* Et *nego* paritatem. Siquidem Deus, ut cætera omittam, minime tenetur, quemadmodum in casu allato pater humanus, impedire mediorum vere et relative sufficientium abusum quem prævidet; quippe Deus non tenetur, pro genio et inordinatis cupiditatibus hominum, gratias suas, cæteroquin *vere* et *relative* sufficientes, mutare, etc.

PROPOSITIO II.

Gratia efficax ita hominem ad bonum adducit, ut non tollat ejus libertatem.

190. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, can. 4.

191. PROB. 1° *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Zach. I, 3. — *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit.* Eccli. XXXI, 10.

192. 2° S. Aug. integro opere *De gratia et libero arbitrio* hanc veritatem defendit.

193. 3° Ratio reprobat contrarium novatorum dogma; ex quo sequeretur nullam esse virtuti laudem, nec vitio ullum vituperium (1).

194. *Nota.* Difficultates omittuntur brevitatis gratia; sed dicenda de systematibus circa naturam gratiæ efficacis pluribus difficultatibus enodandis poterunt inservire (2).

PROPOSITIO III.

Gratia efficax non consistit in delectatione relative victrici ad sensum Jansenii.

195. *Ad fidem pertinet*, ut patet ex propositionibus Jansenii damnatis tanquam hæreticis; nec non ex Trid. Sess. 6, can. 4.

(1) Cf. tom. I, tract. 7, *De creat. et peccato orig.* cap. 3, prop. 6, *de non. exstincto libero arbitrio hominis*, etc., n. 230 et seqq. — (2) Infra n. 199.

196. PROB. I. *Indirecte*, ex falso supposito Jansenii. Nam sacræ Litteræ ostendunt, delectationem non esse unicum principium, quo homo inflectitur ad bonum : *Timor Domini expellit peccatum.* Eccli. I, 27. Ergo falso supponitur, omnem gratiam efficacem esse cœlestem delectationem.

197. II. *Directe.* 1° Ex Augustino. *Non faciebam quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat.* Confess. I, 3, cap. 8.

198. 2° Ratione theologica. Gratia efficax non tollit liberum arbitrium; atqui, si consisteret in delectatione Janseniana, illud tolleret; ergo. — Deinde falsum, imo hæreticum est principium, unde necessario ac evidenter profluunt hæreticæ propositiones; atqui tale est Jansenii principium de delectatione sive cœlesti sive terrena relative victrici : ex illo enim fluunt quinque ipsius hæreticæ propositiones ; ergo.

CATHOLICORUM DE GRATÍA EFFICACI SYSTEMATA (1).

199. I. *Systema Thomistarum.* Hujus systematis auctor, vel saltem ejusdem promovendi princeps fuit, sæc. XVI, Bannesius, Ord. Prædicatorum Theologus. Juxta ipsum, et Thomistarum scholam generatim, gratiæ efficacia consistit in quadam *prædeterminatione physica*, quam gratia efficax infert, gratia vero mere sufficiens non infert. Hujusmodi prædeterminatio, ex eorumdem Thomistarum mente, definiri potest : *Actio Dei, quæ voluntatem humanam, priusquam ipsa se determinet, ita ad actum movet insuperabili virtute, ut voluntas nequeat omissionem sui actus cum illa præmotione conjungere.* Hac autem præmotione voluntati necessitatem agendi *antecedentem* minime imponi contendunt, nec proin libertatis exercitium impediri.

200. II. *Systema Augustinianorum*, est ipsum Jansenii systema, sed emollitum et ab hæresi purgatum. Dicunt, e delectationibus duabus, altera cœlesti, altera terrena, eam

(1) Gonet. *Clypeus theologiæ thomisticæ;*—Billuart. t 2. *De Deo*, dissert. 8;—Gotti, t. 2, *De Grat.* tract. 4, dub. 4 ; — Clericus a Belliberone, *De gratia*, apud Migne, *Curs. theol.*, t. 10. col. 1312 seqq. ; — Molina, *Concordia liberi arb. cum grat.*; — Suarez, tom. 7, lib. 5, cap. 6 seqq. ; — Lessius, *De gratia efficaci disputatio apolog.*;—Wirceb. theol. *De grat. actual.*, cap. 4, art. 1, 3, 4, 5; — Perrone, *De grat. actual.*, cap. 4, art. 2.

quæ potentior fuerit trahere voluntatem *semper*, non tamen *necessario;* gratiamque proinde esse de se efficacem. Quod si quæratur quomodo salva sit libertas, respondent, delectatione illa determinari quidem voluntatem, sed tantum *moraliter*, non *physice* et *absolute*.

201. III. *Systema Molinistarum* ita dictum est a P. Molina Soc. Jesu, qui anno 1588 celebre opus edidit *de concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis;* ex qua occasione deinde habitæ sunt Congregationes dictæ *de auxiliis*, quia in illis exagitata potissimum fuit quæstio de auxilio divinæ gratiæ [1598-1607]. — Juxta systema Molinæ, 1° gratiæ efficacia, seu *infallibilis* ejus *connexio* cum hominis consensu obtinendo, pendet a duobus : *a*) a virtute gratiæ intrinseca, tanquam principio *activo* voluntatem sollicitante : hæc autem virtus, in actu primo considerata, non differt a virtute quæ inest gratiæ sufficienti; *b*) pendet a scientia Dei media, tanquam principio *directivo* et extrinseco, quod de humano consensu certitudinem præstat.

202. 2° Efficacia gratiæ cum libertate arbitrii componitur ope *scientiæ mediæ :* scilicet Deus per hanc scientiam, quæ etiam *conditionatorum* vocatur, videt hominem libere consensurum, si ei talem vel talem gratiam tribuet. Quod si reapse illam dare decernat, duo simul consistunt : nempe gratiæ infallibilis efficacia, et hominis libera cooperatio; ita tamen ut gratiæ efficacia, respectu cognitionis divinæ, concipiatur *consequenter* ad liberum consensum hominis conditionate prævisum.

203. IV. *Systema Congruistarum* illud dicitur, quod fundatur, saltem partialiter, in gratiæ concessæ congruitate. Congruitas ista, juxta Suarez (1), reponenda est in duobus : alterum est, quod gratia ita sit homini cui conceditur proportionata, ut effectui obtinendo vere et relative sufficiat : in quo a gratia mere sufficienti *per se* non differt. Alterum est, quod homini revera detur in iis præcise circumstantiis, in quibus, teste scientia media, illi gratiæ homo consentiret, si eam haberet. — Hinc congruitas hæc partim *intrinseca* est gratiæ, quatenus dicit aptitudinem ad movendum ; par-

(1) Tom. 10, Opusc. 1, *De concursu, motione et auxilio Dei*, lib. 3, c. 14, maxime n. 9, 10.

tim *extrinseca*, quatenus importat consensus conditionate futuri prævisionem per scientiam mediam, a qua habet gratia omnimodam infallibilitatem.

204. Hinc patet Congruismum (1) a Molinismo substantialiter non differre. Quamvis enim Molina efficaciam gratiæ in ejus congruitate modo definita, explicite, ut Suarez, non reponat; tamen, rem ipsam non negat, imo satis, saltem implicite affirmat : quod ex ejus systemate supra adumbrato facile intelligitur (2).

ARTICULUS IV.

DE GRATIÆ DISTRIBUTIONE.

205. Hactenus spectavimus gratiam secundum se; in hoc autem articulo eam principalius considerabimus quatenus homini tribuitur. Qua in re plura quæri possunt sequentibus propositionibus indicata.

Propositio I, *de gratiæ gratuitate.*
Propositio II, *de gratia concessa justis.*
Propositio III, *de gratia concessa peccatoribus.*
Propositio IV, *de gratia concessa infidelibus.*
Propositio V, *de gratia concessa infantibus.*
Propositio VI, *de existentia prædestinationis.*
Propositio VII, *de arcano prædestinationis.*
Propositio VIII, *de reprobatione.*
Opiniones catholicorum *circa prædestinationem.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Gratia est omnino gratuita, seu nulla opera mere naturalia possunt mereri gratiam, neque de condigno neque de congruo.

206. *De fide*, ut patet ex synodi Araus. II can. 18 : *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.*

207. Gratuitatem gratiæ negabant Pelagiani et Semipelagiani. Priores nullam gratiam dari aiebant, nisi homo eam

(1) Saltem eum qui in dicto Opusculo a Suarezio exponitur. Quamvis enim Suarez alibi videri forte possit *speciale quoddam elementum* ad gratiæ efficacitatem requirere, quod Molina non requirit; in dicto tamen Opusculo id non postulat.

(2) Paulus V, anno 1607, post celebres congregationes *de auxiliis*, ubi sententiæ Thomistarum et Molinistarum acriter fuere discussæ, utrique parti propriam tueri opinionem permisit; simulque prohibuit ne quis alterutram censura notaret.

per conatus suos *de condigno* mereatur.—Semipelagiani dicebant, solam gratiam fidei non esse gratuitam. Initium enim fidei esse ab homine, qui per conatus proprios primam gratiam meretur *de congruo*. — Pelagiani docebant, hominem propria industria atque labore a perditionis massa *se ipsum discernere*; Semipelagiani vero tantum statuebant, hominem viribus naturalibus sic se *posse discernere*. Adversus utrosque S. August. catholicam doctrinam propugnavit.

208. Dicitur *mere naturalia*, i. e. quæ neque quoad substantiam, neque quoad modum supernaturalia sint. Nam 1) opera supernaturalia quoad substantiam, seu, ut aiunt, *ordinis supernaturalis*, non tantum quæ a justo, sed etiam quæ a peccatore eliciuntur, possunt gratiam actualem de congruo mereri (1), sive ad surgendum a lapsu, sive ad perseverandum in bono. 2) Etiam opera naturalia quoad substantiam, seu *naturalis ordinis*, modo supernaturalia sint quoad modum, censent quidam Catholici, si minus omnia, saltem aliqua, esse posse gratiæ actualis impetratoria, vel etiam meritoria de congruo: utpote quæ non sine aliqua gratia eliciantur (2). Quam opinionem, licet nos non approbemus; tamen, ne damnare, præsertim ut hæreticam, videamur, ab ea hic abstrahentes, de operibus mere naturalibus propositionem statuimus. — Dicitur *neque de condigno neque de congruo*, ad excludendam quamlibet *positivam* dispositionem quæ se teneat ex parte nostra, et vim habeat movendi Deum ad primam gratiam nobis conferendam: ita ut quomodocumque præveniatur Dei electio. Nulla enim admitti potest dispositio in homine, quæ, per modum *causæ moralis* vel *conditionis positivæ*, certam cum gratia recipienda connexionem habeat. — *Negativa* tamen dispositio admittitur, quæ non est nisi remotio obicis gratiæ, et appellari etiam potest aptitudo quædam negativa ad gratiam recipiendam; sicut vas quodpiam, postquam evacuatum fuerit, dicitur ad recipiendum liquorem aptum evasisse (1).

209. PROB. 1° *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*. Rom. XI, 6.—Cumque de gratuita vocatione ad gratiam, tota parte dogmatica illius epistolæ ad

(1) Infra, *de merito*, n. 351.—(2) Vasquez, opp. t. 4, disp. 190, c. 11, n. 107.

moveatur a potestate et ab alio moveri fa

Rom., disserat Apostolus, tandem, cap. IX, 16, ita concludit: *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

210. 2° Augustinus: *Quare gratia? Quia gratis datur? Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt: sed beneficia Dei te prævenerunt. Illi ergo gloria qui nos liberat.* Enarrat. 2 in Ps. XXX, n. 6.

211. 3° Nullatenus homo opere naturali mereri gratiam potest, quia nulla inter opus naturale et donum supernaturale proportio datur. — Gratia est principium meriti; ergo ipsa sub meritum cadere nequit.

PROPOSITIO II.

Justis omnibus, urgente præcepto, datur a Deo gratia vere ac relative sufficiens ad servanda omnia præcepta.

212. Propositio intellecta de justis volentibus et conantibus, est *de fide*, ex damnata Jansenii prop. 1a: *Aliqua præcepta*, etc., adversus quem errorem militat nostra Propositio. Animadvertendum est, non agi de quovis *præcepto*, sed tantum de illo ad quod implendum, deficiente gratia, non superesset in justis potentia, saltem physica, vere et positive sufficiens.

213. PROB. 1° Ex Scriptura. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* I Cor. X, 13.—*Si volueris* (supponeris ergo id posse velle) *mandata servare, conservabunt te.* Eccli. XV, 16.

214. 2° Ex Conc. Araus. II can. 25, supra citato (2). — Trid. Sess. 6, cap. II et præsertim can. 18: *Si quis dixerit, Dei præcepta justificato esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* Unde sic argumentamur adversus Jansenistas: hoc canone anathema dicitur asserentibus illam impossibilitatem observandi mandata, quam Tridentinum rejicit doctrina exposita cap. II ejusdem Sessionis. Porro illo capite Tridentinum rejicit, Deum sua gratia actuali prius deserere justificatos quam ab eis deseratur: id autem dicit Jans. propos. Ia. Ergo canone 18 citato, propositio Ia Jansenii anathemati subjicitur.

215. 3° Ex PP. — Idem ac Tridentinum sensit Augustinus, lib. I *De nat. et gratia*, cap. 2, et iisdem fere verbis tradit:

(1) Cf. supra, n. 112 et 166. — (2) Art. præced. prop. 1, n. 184.

Deus, cum per mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, i. e. justificat impium ; et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit: non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. — Et *Enarr.* in Ps. 39, n. 27: *Te* (jam justum) *ex fide viventem negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria* (utique, etiam relative necessaria) *subministrat... nusquam tibi deest. Tu illi noli deesse: tu tibi noli deesse.*

216. OBJIC. De Petro Christum negante dicit S. Augustinus: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum* (1)*?* Et cum Augustino consonant alii Patres; atqui S. Petrus erat e justis; ergo justi remanent aliquando sine gratia. — *Dist. min.* S. Petrus erat ex justis humilibus, volentibus et conantibus, ut supponitur in propositione Jansenii, *neg.;* erat ex iis qui nimium propriis viribus, constantiæ ac firmitati suæ confidunt, *subdist.:* et fuit derelictus sine gratia vere et relative sufficienti ad volendum et conandum tentationem vincere, *neg.;* ad ipsam tentationem vincendam, iterum *subd.:* sine gratia proxime sufficienti, *trans.;* remote sufficienti, *neg.* Nec alius est sensus Patrum qui ut contrarii afferuntur: *Quis enim dubitaverit*, ait Augustinus (2), *quod... Petrus si voluisset, ter Dominum non negasset?* Scilicet, juxta S. Doctorem, derelictus fuit Petrus ob mentis suæ tumorem et præsumptionem ; nec tamen interim ita derelictus, ut gratia orationis fuerit destitutus, qua potuisset gratiam tentationi vincendæ proxime sufficientem impetrare.

PROPOSITIO III.

Omnibus fidelibus peccatoribus, etiam obduratis et obcæcatis, Deus gratias vere sufficientes confert, quibus possint et peccata cavere, et a peccatis resipiscere.

217. *Prima pars ad fidem pertinet,* ut patet ex Araus. II can. 25 (3). — *Secunda pars*, de obduratis et obcæcatis, *certa est*, ut ex Scriptura et Traditione luculenter ostenditur.

218. Dicitur dari *gratia vere sufficiens*, scilicet vel *proxime* vel saltem *remote*, ita ut saltem gratia orationis præsto sit.

(1) Serm. 124 de Temp. n. 1. — (2) Lib. *De unit. Eccl.* cap. 9. — (3) Supra, n. 184.

Ea *dari* asseritur, non quasi singulis momentis, sed ita, ut pro tempore et loco sufficiens auxilium conferatur. — Hujusmodi auxilium dicitur conferri peccatoribus *omnibus*, etiam *obduratis* et *obcæcatis*. Est autem *obduratio*, ea *voluntatis* dispositio, qua cor, ex consuetudine peccandi et gratiis resistendi, fit velut lapideum: adeo ut vix aut ne vix quidem moveatur, sive remorsu conscientiæ, sive minis divinæ justitiæ, sive invitatione misericordiæ. Obduratio hæc non excludit necessario fidem. — *Obcæcatio* est dispositio *intellectus*, quæ tum ex neglectu instructionis, tum ex lectione vel auditione falsitatis, accedente ut plurimum corruptione cordis, oritur; quaque fides exstinguitur, et intellectus ita obscuratur, ut respectu veritatum religiosarum fiat velut crystallum opacum, *non percipiens atque intelligere non valens ea quæ sunt Spiritus Dei*. I Cor. II, 14.

219. PROBATUR simul utraque pars. 1° *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii; sed ut convertatur impius a via sua, et vivat*. Ezech. XXXIII, 11. — DURA CERVICE ET INCERCUMCISIS CORDIBUS, *vos semper Spiritui sancto resistitis*. Act. VII, 51. — *Patienter agit* (Deus) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*. II Pet. III, 9.—Et ad Rom. II, 4... *An divitias bonitatis ejus contemnis?... Secundum autem* DURITIAM *tuam...*

220. 2° Ex CC. Araus. II can. 25. (1). — Trid. Sess. 6. cap. 14. *Qui vero exciderunt* (indefinite loquitur Conc., nullos excipit,) *rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo... gratiam* (habitualem) *recuperare procuraverint*. Evidenter supponit Concilium quoslibet, qui a gratia exciderint, pro loco et tempore ad pœnitentiam a Deo excitari; aliunde diserte asserit, sic excitatos posse rursus justificari. Atqui id non assereret, si eos non putaret gratia vere et relative sufficienti esse præditos. — Lateranense IV cap. 1: *Si post susceptionem Baptismi quisquis prolapsus fuerit in peccatum, per veram* POTEST SEMPER POENITENTIAM REPARARI.

221. 3° *Ex* PP. — Augustinus: QUIDQUID *feceris*, QUÆCUMQUE *peccaveris, adhuc in vita es, unde te Deus omnino, si sanari* (alias *sanare*) *nollet, auferret*. Similia alibi.

(1) Supra n. 184.

222. 4° Ex ratione theol. —1) Excæcatio hujus vitæ est inchoata: alterius vitæ est consummata. Sic Aug. et S. Thom. Porro, si hujus vitæ excæcatio non posset, potentia vera et relativa, auferri, esset consummata. — 2) Nemo in hac vita desperare debet, sed tenetur sperare salutem. Ergo nemini deest gratia vere et relative sufficiens. — 3) Deus impossibilia non jubet (ex S. Aug., Trident. etc.); atqui Deus jubet excæcatos et obduratos resipiscere: aliunde hæc resipiscentia impossibilis est sine gratia vere et relative sufficienti; ergo gratia hujusmodi adest. — 4) Deus habet *seriam* voluntatem salvandi omnes, etiam excæcatos et obduratos (1). Porro seria non esset hæc voluntas, si gratiam saluti relative sufficientem non largiretur.

PROPOSITIO IV.

Infidelibus omnibus, etiam negativis, gratia ad fidem et salutem positive sufficiens, pro loco et tempore non denegatur.

223. Propositio *certa*, ut ex Scriptura et Traditione luculenter ostenditur; imo suadetur ex prop. 4ª inter damn. ab Alex. VIII: *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermen, sine omni gratia sufficienti.* — Item ex Quesn. 27ª: *Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum.*

224. Infideles *negativi* dicuntur illi, qui ad actum fidei eliciendum vocati seu excitati non fuerunt: *positivi*, qui ad hujusmodi actum vocati seu excitati sunt saltem inchoate: cujusmodi communiter censentur esse illi, qui Evangelii prædicationem audiverunt.

225. Dicitur: *positive* sufficiens, quæ scilicet præstat potentiam, ex qua opus vere et proprie procedere potest (2).

226. PROB. I. *Generatim.* 1° Ex Scriptura et Patribus. — *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. I, 9.—Quæ verba expendens S. Joannes Chrysostomus, ait: *Illuminat omnem hominem... quantum in ipso est. Si qui autem, sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint : non ex natura lucis evenit, quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se*

(1) Cf. tom. I, tract. 5, *De Deo*, n. 182. — (2) Cf. supra, n. 166.

hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est. Hom. 8 in Joan. opp. t. 8.

227. 2° Ex voluntate Dei seria salvandi omnes homines (1).

228. II. *Speciatim* de infidelibus *positivis*. Etenim isti infideles peccant, actum fidei ad quem per gratiam sollicitantur non eliciendo: non autem peccarent, si hujusce actus eliciendi ne remotam quidem potentiam haberent.

229. III *Speciatim* de infidelibus *negativis*. Nam gratia positive sufficiens ipsis non denegatur a Deo, si 1° ea certissime confertur omnibus infidelibus negativis, qui obicem gratiæ tollunt, i. e. abstinent a peccatis contra naturalem legem; et si 2° obicem tollere *tenentur* et *possunt*. Atqui utrumque constat. Nam *ad primum quod attinet*, si infidelibus obicem gratiæ tollentibus Deus gratiam denegaret, jam non haberet voluntatem seriam eos salvandi: quum per ipsum solum, non autem ipsorum culpa staret, quominus salvarentur. Præterea S. Thomas idem docet tum alibi, tum maxime. *De veritate, quæst.* 14ª quæ agit de Fide, art. 11 ad 1m: *Si aliquis taliter nutritus* (i. e. in silvis vel inter bruta animalia) *ductum rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime tenendum est, quod ei Deus...* aliquomodo, etiam miraculose, si opus foret, necessaria ad fidem suppeditaret. — *Ad secundum vero quod attinet*, infideles negativos *teneri* a peccatis contra legem naturalem abstinere, nemo profecto negabit; eos porro abstinere *posse*, probatur, tum ex eo, quod alias ne tenerentur quidem: cum nemo peccet in iis quæ vitare non potest (1), et Deus impossibilia non jubeat; — tum ex eo, quod aliter non possent obicem gratiæ removere: jam vero, cum Deus serio velit eos salvare, debet efficere ut possint obicem removere.

230. OBJIC. 1° Infideles quamdiu negativi remanent, non habent ullum positivum initium fidei, ne indeliberatum quidem, nec proinde ullam gratiam supernaturalem quoad substantiam; atqui absque *tali* gratia nemo potest diu vitare peccatum contra legem naturalem; ergo infideles quamdiu negativi remanent, nequeunt diu peccatum, adeoque obicem vitare. — R. *Conc. maj., dist. min.* Si sermo sit de fuga pec-

(1) Tom. 1 tract. 5, *De Deo*, n. 178. — (2) Cf. prop. 3, modo probatam.

cati. *absolute* diuturna et *completa*, *C.*; si sermo sit de fuga sufficienti ad hoc, ut censeatur infidelis non admisisse obicem gratiæ, saltem substantialem, *subd.*: nemo potest peccatum vitare absque gratia ordinis supernaturalis et elevante, *N.*; absque aliqua gratia saltem ordinis naturalis et medicinali, *C.* (1); et *neg. consequens.* in sensu objectionis. — Porro gratiam medicinalem, necessariam ad removendum obicem, Deus infidelibus negativis non negat, ut ex propositione modo probata sequitur.

231. *Nota.* Ut infidelis censeatur *fecisse quod in ipso est*, seu removisse obicem, debet a peccato mortali tamdiu abstinere, donec terminus effluxerit a Deo præfixus ad gratiam, seu vocationem ordinis supernaturalis, ei concedendam. Porro hic terminus non æquali temporis lapsu advenit respectu omnium; sed quibusdam infidelibus citius, quibusdam vero serius pro Dei beneplacito. Quemcumque autem terminum Deus præfixerit, semper justissimus est Hoc tamen est valde credibile, infidelem negativum, si incipiat facere quod in ipso est, primæ gratiæ medicinali cooperando, a Deo majora semper auxilia recepturum esse, quibus juvetur ulterius, ad totum illud perficiendum quod a Deo requiritur, ut infidelis ille censeatur *fecisse quod in ipso est* (2).

232. *Obj.* 2° Supponitur in probationibus, fugam peccati esse, ex parte infidelis, dispositionem sufficientem ad gratiam ordinis supernaturalis; atqui id sapit Semipelagianismum. —R. *Dist. maj.* Supponitur fugam peccati esse dispositionem negativam, *C.*; positivam, per modum meriti vel impetrationis, *N.* Item respectu Dei, supponitur fugam peccati esse conditionem non stricte dictam, sed late, seu *purum terminum*, quem sibi Deus præfigit, ut eo posito ex parte infidelis, gratiam huic largiatur, ad hanc largitionem motus *aliunde*.— *Ad min.*, *neg.*, si res intelligatur sensu explicato, qui potius conformis est iis quæ habet S. Thomas, *Cont. Gent.* l. 3. c. 159, et alibi.

(1) Cf. Suar. tom. 6, *De grat.* 1, 1, cap. 27, n. 27.
(2) Ita fere P. Mayr, *De grat.* tract. 6, disp. 1, q. 2, n. 8.

PROPOSITIO V.

Infantibus absque Baptismo decedentibus Deus, quantum ex se est, sufficientia præparavit media salutis.

233. Propositio est *inter Theologos disputata;* nos eam defendimus ut argumentis fundatam non spernendis, et sensui christiano valde consentaneam.

234. De infantibus agitur, qui vel hominum culpa, vel solo naturæ cursu, sic e vita excidunt, ut Baptismi beneficium non assequantur. — Hos dicimus non a Deo neglectos fuisse; Deumque ipsis providisse *media salutis quantum est ex se;* licet ex parte creaturarum fuerit impedimentum, quominus illa media applicarentur. — *Sufficientia*, quæ scilicet proxime vel remote talia sint.

235 PROB. I PARS. Præparavit media. *Omnes homines vult salvos fieri*, I Tim, II, 4; ergo et hos infantes vult salvos fieri, et quidem serio (1); ergo et iis gratias præparavit ad quas jus quoddam remotum habent. — *Pro omnibus mortuus est Christus*, II Cor. V, 15; ergo et pro his infantibus; quibus proinde gratias acquisivit, quas vi promissionis divinæ et meritorum Christi infallibiliter accipient, nisi naturæ cursu vel hominum culpa impediantur.

236. II PARS. Sufficienter præparavit, si tanquam provisor universalis constituit medium universale, per se sufficiens omnibus, et applicabile omnibus qui juxta naturæ cursum applicationis hujus capaces sunt. Atqui ita est; ergo. — Quid enim amplius Deus facere potuit, aut quid præterea ab eo postules, nisi ipsam naturam ejusque cursum mutandum velis?

237. Confirmatur et declaratur exemplo. Ille dominus redemptioni servi sui, apud Saracenos captivi, satis providisse censeretur, qui pretium redemptionis mitteret per famulum, licet hic in itinere moreretur; similiter Deus providisse infantibus, licet hi absque Baptismo decedant, et circa salutem eorum providentiæ suæ satisfecisse existimandus est, hoc ipso, quod medium per se sufficiens, ut explicatum est, constituit, etc.

238. OBJIC. 1° Parvuli qui moriuntur in utero materno, nul-

(1) Cf. vol. I, tract. 5, *De Deo*, n. 191, prop. *De voluntate Dei salvandi etiam parvulos.*

lum medium salutis habent. Ergo. — R. *Dist. antec.* Nullum habent salutis medium, ipsis immediate collatum, *C.;* collatum aliis, puta parentibus, curatoribus, etc. in bonum parvulorum, *N.*

239. *Inst.* 1° Atqui media ista collata aliis reapse non cedunt in bonum parvulorum, qui in materno utero moriuntur. Ergo stat difficultas. — R. *Dist. antec.* Non cedunt, Deo auctore, *N.;* non cedunt, causa aliorum : quia nempe illi, quibus hæc media in manu data sunt, iis uti omittunt, sive culpa sua, sive prohibiti cursu naturæ, etc. *conc.*

240. *Inst.* 2° Quod consequitur ex naturæ cursu, id voluit seu vult Deus ; atqui ex cursu naturæ consequitur aliquando (juxta concessa), ut homines impediantur uti mediis necessariis ad parvulorum salutem ; ergo aliquando Deus vult homines impediri in usu talium mediorum. Ergo, etc. — R. *Dist. maj.* Quod consequitur *per se*, id voluit Deus, etc. *C.;* quod consequitur *per accidens*, id voluit, *subd.:* voluntate positiva, *neg.;* voluntate negativa, id est, voluit Deus non impedire quominus id consequeretur, *conc.* — *Dist. min.* ...consequitur *per se*, *N.;* per accidens, *C.* — Et *dist. conseq.* Vult homines impediri, *positiva* voluntate, *N.; negativa*, *subd.;* et hæc voluntas conciliatur cum Dei voluntate seria salvandi parvulos, et, quantum est ex se, eis providendi, *C.;* aliter, *N.*

241. *Inst.* 3° Pater qui posset impedire, quominus excluderetur a Baptismate filius suus, nec tamen impediret, minime censeretur, *quantum est ex se*, media sufficientia ad salutem filio providisse. Ergo a pari Deus, qui posset impedire nec tamen impedit, quominus cursu naturæ prohibeantur parvuli a Baptismate suscipiendo, minime censendus est, etc. — R. *Dist. anteced.* Si posset impedire via ordinaria et regulari, minime censeretur... *C.*; si tantum via extraordinaria, *subd.:* posito quod teneretur ille pater ad providendum etiam viis extraordinariis, *C.*; alias, *N.* Et *nego consequens.* — Quando dicitur *quantum est in ipso* vel *ex se*, Deus providit parvulis, sensus non est : Deus providit quantum est in potestate ejus absolute spectata ; sed : Deus providit quantum est in ejus potestate ordinariis viis procedente, et de cursu naturæ nihil derogante.

242. *Inst.* 4° Augustinus expresse dicit, *aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis*, DEO NOLENTE, non dari gratiam Baptismatis (1). — R. *Distinguo*: dicit, *Deo nolente positive*, *N.*; nolente *negative*, seu nolente tollere impedimenta Baptismatis conferendi, quæ per accidens affert naturæ cursus, *conc.*

243. *Inst. ultimo.* — Deus aliquando inspirat matri aliquid, ex quo mortem infantis in utero secuturam prævidit; ex. gr. inspirat ingressum in templum, cujus dein ruit fornix, et matrem cum prole occidit. Ergo. — R. 1° modo: inspirat Deus aliquid ex quo prævidet mortem *per se* secuturam, *N.*; secuturam per accidens, *trans.* — R. 2° modo et forte melius. *Dist. antec.* Deus aliquando inspirat tale aliquid, et quando hoc inspirat simul prævidet mortem illam jam aliunde secuturam fuisse, *C.*; id simul non prævidet, *N.*

PROPOSITIO IV.

Datur, ex parte Dei, veri nominis prædestinatio, eaque certa est et immutabilis.

244. *Utraque pars de fide* est; ita propugnata fuit ab Augustino in lib. *De prædest. Sanct*, et *De dono persev.*; cujus Doctoris judicium universa Ecclesia adversus Pelagianos et Semipel. approbavit.

245. *Prædestinatio*, sensu *lato*, est *pars providentiæ, quæ versatur circa finem supernaturalem creaturæ liberæ.* Sensu *stricto* est, juxta S. Augustinum (2): *Præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.* Huic consonat illa definitio, quam S. Thomas magistralem vocat (3): Prædestinatio est *præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro* (4). Duo includit, actum intellectus et actum voluntatis; ita ut simul sit pars providentiæ et opus misericordiæ.

246. Prædestinatio potest 1° sumi *complete* vel *incomplete*. Complete sumpta, prout in propositione nostra accipitur, est efficax præparatio gratiæ finaliter efficacis, (i. e. de facto perducentis ad gloriam,) et etiam ipsius gloriæ. Sumpta vero incomplete, est efficax præparatio, vel solius gratiæ finaliter

(1) Epist. 217 ad Vitalem, num 17.— (2) Lib. *de dono persev.*, cap. 14. — (3) In I, dist. 60, quæst. 1, art. 2.—(4) Cfr. Summ. p. 1, q. 23, art. 2.

efficacis, et dicitur etiam prædestinatio ad gloriam *radicalis* seu *virtualis;* vel solius gloriæ, et dicitur prædestinatio ad gloriam *formalis.* 2° Considerari potest, vel prout est *in intentione*, Dei scilicet prædestinantis ; vel prout est *in executione:* i. e. in *actu primo* vel in *actu secundo*; in *principio* vel in *termino.*

247. Prædestinationis proprietates sunt certitudo et immutabilitas ex parte Dei, incertitudo et mutabilitas ex parte nostra ; adeo ut immutabilitas ex parte Dei nullatenus officiat libertati ex parte hominis. — Prædestinationis existentiam inficiati sunt Pelagiani ; certitudinem et immutabilitatem iidem Pelag. et Semipelagiani. Incertitudinem ex parte fidelium reprobavit Calvinus.

248. PROB. I PARS. 1° *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Matth. XXV, 34.— *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti... prædestinavit nos... secundum propositum voluntatis suæ.* Eph. I, 4. Ex quibus verbis, licet de prædestinatione ad gratiam pronuntiatis, a fortiori tamen concludi potest, dari prædestinationem ad gloriam. Si enim Deus prædestinat hominum justificationem, quod minus est, procul dubio prædestinat quoque eorum glorificationem, quod majus est. Cfr. Rom. VIII, 29, seq.

249. 2° Augustinus : *Veritatem prædestinationis hujus et gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiore defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.* Lib. De dono persev. cap. 23.

250. 3° *Ratione.* Nihil fit a Deo in tempore quod non fuerit ordinatum ab æterno ; ergo ab æterno fuit præparata salvatio electorum (1).

251. II PARS. Prædestinatio est immutabilis ita, ut certissime numerus electorum nec majore nec minor futurus sit, quam a Deo prævisum est atque præordinatum. 1° *Oves meæ vocem meam audiunt... et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Joan. X, 27.

252. 2° S. Fulgentius : *Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit ad regnum cælorum ;*

(1) Confer. S. Thom. part. 1, q. 23, art. 1.

nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla ratione posse (potentia consequenti) *salvari*. Lib. De fide. cap. 35.

253. 3° *Ratione*. Immutabilis est prædestinatio, quia actus est intellectum infallibilis Dei, et voluntatis insuperabilis qua vult absolute et efficaciter solam electorum salutem: quamvis cæteroquin omnium etiam non electorum, salutem *sincere* ac *serio* velit, et quantum in ipso est, *sufficienter* procuret (1).

254. OBJIC. Si sors futura hominum esset immutabiliter prædeterminata, inutile esset vel superfluum allaborare saluti. Atqui hoc dici non potest. Ergo. — R. *Dist. maj.* Si sors hominum foret ita prædeterminata, ut felix vel infelix esset futura independenter a libera ipsorum operatione, *conc.*; si ita est prædeterminata, seu prævisa et præordinata, ut nihilominus felix vel infelix futura sit dependenter a libera ipsorum operatione, *neg.* — *Dist. min.* Inutile esset, etc., si sors nostra ita esset præordinata, ut futura esset felix vel infelix independenter a nostris liberis actionibus, *conc.*: si ita sit præordinata, ut nihilominus futura sit felix vel infelix dependenter a nostris liberis actionibus, *neg.* — Inde sequitur hominem ex parte sua debere salutem operari, quasi nulla esset prædestinatio ex parte Dei, seu quasi homo ipse suis operibus suam prædestinationem determinare deberet, juxta illud II Pet. 1, 10: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Et hinc illud effatum: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* — Fertur de sancto quodam anachoreta, eum aliquando fuisse impugnatum a dæmone dicente: Vel salvus eris, vel non eris; si primum, superflua est tua pœnitentia; si alterum, est inutilis; ergo relinque pœnitentiam. Respondit anachoreta retorquendo dilemma: Vel salvus ero, vel non; si primum, inutilis est tua tentatio; si alterum, est superflua; ergo mitte me tentare (2).

(1) S. Thom. ibid. art. 6 et 7. Cf. tom I, tract. *De Deo*, n. 178, *De voluntate Dei seria salvandi omnes*; item supra, *de distribut. grat.*, n. 2 2 seqq.
(2) Cf. Lessius, *De prædest. et reprob.* sect. 6, assertione 5, n. 79 et 80.

[illegible] in quibus se aliquis patet propriam actionem privare prætermissa propria actione est [illegible] et Deum tentantis. Hoc enim ad divinam bonitatem pertinet ut [illegible] provideat movendo ad proprias actiones non est [illegible] expectanda a Deo ut omnem actionem [illegible] sibi aliquis

... subveniat hoc ... ordinatio repugnat et bonitati ipsius. (contra gentes lib. 3.) St. Aug

PROPOSITIO VII.

Nemo, absque speciali revelatione, absolute certus esse potest de sua prædestinatione.

255. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, cap. 12 et can. 16.

256. PROB. 1° *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* I. Cor. X, 12. — *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Phil. II, 12.

257. 2° Augustinus : *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?* De corr. et grat., cap. 13.

258. *Ratione.* Cum prædestinatio sit actus liber divinæ voluntatis, nullus eam seclusa revelatione cognoscere potest.

259. *Notandum.* In propositione agitur de absoluta et infallibili certitudine, non vero de certitudine illa late sumpta, quæ non excludit timorem, quæ *fiducialis* et *conjecturalis* dici possit, et quam ipse Spiritus sanctus cordibus communicat : *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Rom. VIII, 16. Dantur etiam quædam signa conjecturalia prædestinationis, nimirum : 1° Studium constans puritatis conscientiæ : *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* I Joan. III, 21.

2° Affectus ad orationem et frequens recursus ad Deum.

3° Conformitas divinæ voluntati, præsertim in rebus adversis; imo primarium indicium prædestinationis est multa adversa, christiana patientia, tolerare : *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Rom. VIII, 29; scilicet primum crucifixi et dolorosi, et deinde resurgentis et gloriosi.

4° Frequens memoria Passionis Christi, et fiducia in ipsius meritis.

5° Amor lectionis spiritualis et verbi Dei : *Qui ex Deo est verba Dei audit.* Joan. VIII, 47.

6° Humilitas, cui Deus gratiam largitur.

7° Charitas erga proximum, misericordia in pauperes.

8° Charitas erga Deum, et amor omnium rerum quæ ad Deum pertinent, ut sunt religio, cultus, personæ sacræ et piæ, Ecclesia ejusque exaltatio; ita ut pro iis libeat omnem laborem impendere.

9° Singularis devotio erga B. V. Mariam. Quapropter Ecclesia applicat ei illud Prov. VIII, 35 : *Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.*

PROPOSITIO VIII.

Impium est asserere, Deum ex solo suo beneplacito aliquos homines positive reprobasse, atque antecedenter ad prævii peccati et finalis impœnitentiæ prævisionem, æternis suppliciis destinasse.

260. *Fide certa* propositio; cum assertio contradictoria aperte repugnet Scripturæ, Traditioni et rationi.

261. *Reprobatio* duplex distingui solet, positiva et negativa. *Positiva* describi potest : *Præscientia et præparatio, seu decretum, æternæ damnationis.* Reprobatio positiva, quæ quidem, ut ex propositione sequitur, non fit a Deo nisi consequenter ad peccati et finalis impœnitentiæ prævisionem, est pars providentiæ, atque vindicativæ justitiæ opus. — *Negativa* describi potest: *Pura negatio prædestinationis seu electionis ad gloriam.* Dicitur : *pura*, ut indicetur, sola reprobatione negativa minime præparari seu decerni æternam damnationem. — Utrum autem reprobatio negativa, antecedenter ad prævii peccati absolute futuri prævisionem, admitti debeat aut possit, disputatur inter Theologos.

262. Propositio, præscindendo a quæstionibus scholasticis, statuit adversus Prædestinatianos, tum veteres, tum etiam recentiores, scilicet Calvinianos eorumque surculos, falsum esse quod ipsi asserunt : *Deum pro arbitrio, ante quamcumque culpam prævisam, homines prædestinasse ad æternum interitum*, et hinc denegare eis fidem, gratiam, imo necessitate eos compellere ad peccandum (1). Hæc desperabunda impietas sequentibus refellitur argumentis.

263. PROB. 1° *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Sap. I, 13. — Nec alia causa damnationis in Scriptura assignatur, præter peccatum : *Perditio* TUA, *Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Osee. XIII, 9. — *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare...* Matth. XXV, 41.

(1) Ita Calvinus, *Instit.* lib. 3, c. 22, n. 7; et alibi passim. Cf. Bellarm., tom. IV, *Controv.* lib. II, *De statu peccati*, cap. 3.

credimus si sunt qui tantum malum credere debent cum omni detestat illi anathema dixit.

264. 2° Augustinus : *Bonus est Deus, justus est Deus : potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est : non potest quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Lib. 3, Contra Jul.

CATHOLICORUM DOCTORUM OPINIONES CIRCA PRÆDESTINATIONEM CUM DEI ATTRIBUTIS HOMINISQUE LIBERTATE COMPONENDAM.

265. I. Catholici consentiunt circa sequentia.

266. 1° Prædestinatio ad gloriam *radicalis* seu *virtualis* (1) est *ante* omnia merita nostra *de condigno*.

267. Etenim hujusmodi prædestinatio nihil est aliud, quam decretum efficax dandi gratiam perseverantiæ finalis. Porro certum omnibus est, talem gratiam non posse a nobis de condigno mereri (2).

268. 2° Prædestinatio *formalis* ad gloriam (*ut coronam*) (3), considerata *in executione* (seu in actu secundo, in termino), id est, ipsa *actualis collatio* gloriæ, quæ in tempore peragitur, fit *propter* et *post* merita prædestinati. Id ex infra dicendis, de objecto meriti, patebit.

269. II. Catholici differunt circa ipsam prædestinationem *formalem*, prout est in *intentione* Dei, explicandam in ordine ad merita prædestinati absolute futura. Duæ hac in re sunt celebres sententiæ, quibus addi potest tertia minus illustris.

270. 1° *Prima sententia* affirmat prædestinationem *formalem* ad gloriam, prout *est in intentione* Dei, factam esse *ante* merita prædestinati absolute prævisa : i. e., independenter a scientia visionis, qua Deus ab æterno prænovit merita illa reapse exstitura. Distinguunt itaque hujus sententiæ patroni duplicem voluntatem Dei ab æterno : unam *prædestinantem*, alteram *exsequentem*. Prædestinantem dicunt esse priorem (prioritate signorum rationis, ut aiunt,) exsequente, et sine respectu ad merita *absolute futura* prædestinati ; exsequentem

(1) Consule definitiones supra allatas, n. 246.
(2) Cf. infra *De merito*, n. 375; et superiora *De perseverantia*, n. 171.
(3) Dicitur : ad gloriam (*ut coronam*), quia hic sermo est de gloria conferenda adultis ratione utentibus, respectu quorum gloria habet rationem coronæ, seu mercedis ; non autem de prædestinatione infantium et perpetuo amentium, quæ utique semper præcedit omnia ipsorum merita personalia; hæc enim nulla sunt.

vero dicunt esse posteriorem, et respectum habere ad merita prædestinati. Hoc modo defendunt gloriam *conferri* quidem ex meritis, non tamen *prædestinari* ex meritis. Juxta hanc sententiam prædestinatio alicujus hominis, puta Petri, sic potest concipi. In primo signo rationis, Deus, minime attendendo utrum Petrus habiturus sit reapse merita necne, efficaciter decernit, ut ille salvus fiat, seu gloriam æternam obtineat. In posteriori signo rationis Deus efficaciter decernit conferre Petro gratias finaliter efficaces, *ut* nempe ille merita vitæ æternæ reapse sibi comparet, et in statu gratiæ decedat; atque sic gloriam, ad quam ante merita prædestinatus est ab æterno, *post* seu *per* merita revera consequatur in tempore. Res itaque peragitur quasi Deus diceret : Volo creaturam istam tali gloria coronare et ideo illi conferam gratiam efficacem meriti proportionati.

271. Hæc sententia propugnatur, tum a Thomistis et Augustinianis communiter, tum a pluribus Congruistis (1) : non tamen eodem modo. Nam Thomistæ et Augustiniani explicant infallibilitatem prædestinationis *quoad executionem* independenter a scientia media (2), per decretum, quo Deus ab æterno statuit conferre prædestinato gratias finaliter *efficaces ab intrinseco*, i. e. prædeterminantes vel physice (juxta Thomistas) vel moraliter (juxta Augustinianos) (3). — *Congruistæ* vero infallibilitatem prædestinationis explicant dependenter a scientia media; videlicet per decretum, quo Deus ab æterno statuit conferre prædestinato gratiam finaliter *efficacem ab extrinseco*, seu congruam; quæ quidem congruitas, juxta horum DD. mentem, a *scientia* Dei *media* dependet (4).

272. 2° *Secunda sententia* ponit prædestinationem *formalem* ad gloriam, prout est in intentione Dei, factam esse *post* merita prædestinati absolute prævisa. In hac sententia prædestinatio alicujus hominis, puta Petri, sic potest concipi. In primo signo rationis, Deus *scientia visionis* prævidet Petrum cooperando gratiis, merita sibi comparaturum, et usque ad finem perseveraturum. In secundo signo rationis,

(1) Suarezio, Bellarmino, etc. — (2) Cf. tom. 1, tract 5, *De Deo*, n. 145.
(3) Cf. sup., *Systemata circa naturam gratiæ efficacis*, n. 199.
(4) Cf. supra, *expositionem Congruismi*, n. 205.

Deus decernit gloriam se Petro collaturum; *quia* nempe illum cum merito vitæ æternæ decessurum prænovit. Res itaque peragitur quasi Deus diceret : Volo conferre Petro gratiam efficacem talis meriti; et propter hoc meritum ipsi gloriam talem decerno. — Hæc sententia pluribus Congruistis arridet (1).

273. 3° *Tertia sententia*, inter duas priores quasi media, est quorumdam, qui volunt Deum aliquos singulariter dilectos, v. g. B. Virginem, Joannem Baptistam, prædestinasse ad gloriam *ante* eorum merita absolute prævisa ; plerosque vero prædestinasse solum *post* merita. — Hæc sententia, quæ paucorum est, *rejicitur et merito*, ait Platel. *De Deo*, n. 105 (2).

274. Secunda sententia præplacuit sancto Francisco Salesio, qui die 26 Augusti 1613, ad P. Leonardum Lessium S. J. scribebat his verbis : *Sententia illa antiquitate, suavitate, ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissima, de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, sane mihi gratissima fuit; qui nimirum eam semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem et amabiliorem existimavi : quod etiam tantisper in libello* De amore Dei, *indicavi...* (3).

QUÆSTIONES.

1° *Quænam est œconomia, qua Deus gratias suas in præsenti providentia dispensat?* — 2° *Cur auxilia gratiæ tam parce conferuntur, ut pauci admodum illis fruantur?* — 3° *Cur Deus non dat omnibus auxilium efficax?* — 4° *Quænam sunt prædestinationis causæ et effectus?* — 5° *Quomodo prædestinatio cadit sub meritum?* — 6° *Quo sensu justificati omnes vocantur electi, prædestinati et scripti in libro vitæ?* — 7° *Quantus est prædestinatorum numerus?* — 8° *Unde provenit ut numerus salvandorum sit relative exiguus?*

275. QUÆR. 1° *Quænam est œconomia, qua Deus gratias suas in præsenti providentia dispensat?* — R. Post lapsum generis humani in primo parente, et eversum illum primum providentiæ modum, per quem omnes ad salutem eramus præor-

(1) Ex gr. Vasquesio, Lessio, etc.
(2) Cf. Vasquez, disp. 89 in 1 p. s. Th., cap. 1 seqq.—Lessius, *Disput. de prædest. et reprob.*, sect. 2 et seqq. — Bellarm. *De grat. et lib. arbit.* l. 2, c. 9, § ult.— Suar., tom. I, tract. 2, lib. 1, cap. 8.—Cf. Cercia, Theol. t. 3, *Apparatus ad doctr. de grat.*, proleg. 3, lect. 3, seqq.
(3) Pulcherrimam hanc S. Fr. Salesii epistolam inseruit Clar. de Ram in opere *Agiographie nationale.* Vid. *Revue catholique*, avril 1861, pag. 205.

dinati; Deus rursus statuit misereri, et Adæ progeniem ad salutem erigere, in eum finem prædestinata Filii sui redemptione; ob cujus merita statuit rursus omnibus auxilium sufficiens, quo sensim ad salutem possint assurgere, impertiri: quantum tamen cursus rerum naturalis, et providentiæ ratio statui naturæ lapsæ conveniens pateretur. — Everso enim illo felici statu, et suavissima gubernandi ratione, qua ille status protegebatur et fovebatur, in aliam delapsi sumus, quæ res naturales sinit agi suis motibus, nec illarum actiones comprimit aut injurias avertit; multaque tum diabolicæ tum humanæ malitiæ permittit, quæ in damnum salutis hominum cedunt. Hanc rationem providentiæ Deus statuit ordinarie non mutare ob incommoda, quæ præter ipsius intentionem obveniunt: tum quia hæc providentiæ ratio est quasi connaturalis rebus, si naturam nudam spectes, in quam per Adæ peccatum recidimus; tum quia est accommodata ad vindicandum peccatum, ejusque gravitatem ostendendam.

276. Deus itaque statuit dare omnibus auxilium sufficiens, quantum hæc ratio providentiæ pateretur, juxta quam tanta licentia et causis naturalibus et liberis conceditur. Nec obstat quod ipse præsciret, fore ut hoc auxilium plurimis non posset humano modo applicari, causis naturalibus vel liberis applicationem impedientibus; quia id a Deo non desideratur nec procuratur: imo *ex se* ipsi displicet, quamvis ab eo justas ob causas permittatur. Sicut si Princeps institueret hospitalem domum, omnibus regni pauperibus alendis sufficientem, sincere cupiens omnes ibidem ali; quamvis prævideret negligentia ministrorum aliquos fame morituros, vel impediendos ne possint ad illam domum accedere; non ideo censeretur noluisse illis sufficiens subsidium præbere. — Nec dicatur: Deus est auctor hujusce providentiæ, ergo et impedimentorum ejusdem. Nam hunc ordinem Deus non instituit *ex se*, suoque proprio, ut ita dicam, instinctu; sed occasione peccati. Nunquam enim ista permisisset si peccatum non fuisset (1).

277. Q. 2° *Cur auxilia gratiæ tam parce conferuntur?* — R. Multis, iis præsertim omnibus passim qui sunt in Eccle-

(1) Lessius, *De prædestin.* sect. 6, assert. 1 et 2.

sia, dantur uberrime. Quod si cæterorum plurimis satis parce conceduntur, habet Deus justas rationes cur ita faciat. Quas licet omnes penetrare non detur, quoniam *judicia Dei abyssus multa* (Ps. 35); dicere tamen possumus, ideo Deum noluisse gratiæ ubertate animas quasi cogere ad bonum, quia hujusmodi œconomia neque erat ad salutem necessaria, neque naturæ humanæ consentanea, neque præmiorum excellentiæ congruens. Postulat enim ratio virtutis et dignitas præmii, ut plena libertas homini relinquatur, utque modis naturæ suæ accommodatis, ad omnino libere eligendum quod placuerit, juvetur.

278. Addo, Deum duplices vires homini dedisse : vires naturæ et vires gratiæ. Utrasque vult intendi in opus, ad tantum bonum promerendum, et tantum malum fugiendum. Et ipsa rei magnitudo postulat manifeste, ut etiam pro extremo virium laboremus, vim facientes naturæ cum auxilio gratiæ. Itaque nolit Deus dare tantam gratiæ copiam, qua omnia sint naturæ facilia, ipsaque natura sit secura : sed eam duntaxat mensuram, quæ multam nobis relinquat sollicitudinem; ut animadversa rei difficultate, et ancipiti eventu, excitemus naturam, eique vim inferamus, ut, quantum potest, gratiæ cooperetur. — Hoc sæpe monet Scriptura, ut cum hortatur ad vigilantiam, ad assiduam orationem, ad redimendum tempus, ad caute ambulandum, ad salutem cum timore et tremore operandam. — Non decebat ut vires naturæ a Creatore acceptæ essent otiosæ, et quasi passive se ad gratiæ vires haberent, earum impulsum tantummodo exspectantes, et sinentes se ab illis moveri, et sic totum a sola gratiæ motione pendere : sed conveniens erat, ut natura sufficienti auxilio instructa, semper esset sollicita, et ideo se ipsam una cum gratia in opus excitaret, juxta illud Apostoli : *Resuscita gratiam quæ est in te* (II Tim. I); et illud : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (II Cor. VI). Hoc si faceremus, sicut possumus et debemus, omnes salvi fieremus (1).

279. Q. 3° *Cur Deus non dat omnibus auxilium efficax?* — R. Omne auxilium quod Deus confert homini est efficax in

(1) Lessius, ibid. n. 71.

actu primo, quia habet ex parte sua vim efficiendi id ad quod proxime datur; Deusque cupit ut sit efficax in actu secundo: id est, ut reipsa efficiat opus; eique displicet si reddatur inefficax. Quod autem sit efficax vel inefficax in actu secundo, provenit a libero hominis arbitrio. — At dices: in Dei potestate est eam gratiam largiri, quam novit fore efficacem in actu secundo; cur hujusmodi non semper concedit? Ad hoc reponi possent rationes in quæstione præcedenti allatæ. Quod si quis ulterius instare voluerit, ut ultimam Dei rationem et quasi adæquatam percipiat, cum Augustino respondeo: *Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita: duo solum occurrunt interim quæ respondere mihi placeat:* O ALTITUDO DIVITIARUM SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ DEI: QUAM INCOMPREHENSIBILIA SUNT JUDICIA EJUS, ET INVESTIGABILES VIÆ EJUS! QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM DOMINI? AUT QUIS CONSILIARIUS EJUS FUIT? AUT QUIS PRIOR DEDIT ILLI, ET RETRIBUETUR EI? (Rom. XI, 33, seqq.) *Et illud:* NUMQUID INIQUITAS APUD DEUM? (Rom. IX, 14) (1).

280. Q. 4° *Quænam sunt prædestinationis causæ et quinam effectus?* — R. Causa *finalis* prædestinationis est gloria Dei; *efficiens* est specialis Dei amor erga electos; *meritoria externa* seu principalis, opera Christi; *meritoria interna*, seu secundaria, saltem quoad executionem, sunt opera salutaria ipsius prædestinati.

281. Effectus autem prædestinationis sunt: vocatio, justificatio, et glorificatio, juxta illud Rom. VIII, 30: *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Præterea inter prædestinationis effectus recensenda sunt, bona naturalia ac variæ vitæ vicissitudines, quæ ex speciali Dei providentia et amore ad salutem electorum ordinantur.

282. Q. 5° *Quomodo prædestinatio cadit sub meritum?* — R. Si adæquate spectetur, prædestinatio complectitur duo: 1) specialem Dei amorem, et 2) hinc promanantia specialia dona, seu gratiarum seriem a prima gratia efficaci usque ad gloriam. — Jam vero amor Dei ille specialis est mere gratuitus

(1) Aug. *De spir. et litt.* cap. 34.

respectu nostri; licet tamen in meritis Christi fundari videatur (1). Quod attinet ad dona, seu gratiarum seriem, hæc tota a principio usque ad consummationem meritis Christi, saltem in actu primo, debetur. Cadit quoque eadem series sub meritum hominis, qui, vi meritorum Christi, gratias successivas mereri aliqua ratione potest, prima duntaxat gratia efficaci excepta, quam nullo modo potest homo mereri (2).

283. Q. 6° *Quo sensu justificati omnes vocantur electi, prædestinati, et scripti in libro vitæ?* — R. Omnes justificati dicuntur in Scriptura electi et prædestinati ad gloriam: quibus verbis ea electio et prædestinatio intelligenda est, quæ non sit completa, sed, ut compleatur, requirat conditionem ex parte nostra, quam implere vel non implere est in nostra potestate; ac proinde etiam in potestate nostra est efficere ut prædestinatio nostra compleatur. Quo sensu recte dici solet : *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris* (3).

284. Q. 7° *Quantus est prædestinatorum numerus?* — Respondet S. Thomas: *Dicunt quidam quod tot ex hominibus salvabuntur quot angeli ceciderunt. Quidam vero, quod tot salvabuntur quot angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot angeli ceciderunt, et insuper tot quot fuerunt angeli creati. Sed melius dicitur quod* soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus, *ut habet Collecta pro vivis et pro defunctis* (4).

285. Quod spectat ad numerum electorum comparatum cum numero reproborum, censent Theologi communiter, quoad angelos, plures esse prædestinatos quam reprobos, cum dicatur in Apoc. VIII, draco traxisse tertiam partem stellarum. — Quoad homines, si agatur de omnibus ab Adamo usque ad ultimum nasciturum, reproborum numerus est major: pauci enim intrant per angustam portam; sin restringatur quæstio ad Christianos, qui intra Ecclesiam catholicam moriuntur, censet Suarez majorem numerum sal-

(1) Suar. t. 1, tract. 2, cap. 24. — (2) Infra *De merito*, n. 372.
(3) Lassius, ibid. sect. 6, n. 75. — (4) 1 p. q. 23, art. 7.

vari : multi enim obeunt ante usum rationis, et alii non nisi muniti sacramentis e vita migrare solent (1).

286. Q. 8° *Unde provenit ut salvandorum numerus sit relative exiguus?* — R. Quod iste numerus sit tam exiguus, non provenit ex ipsius prædefinitione; quivis enim numerus isto major regno Dei aptus et proportionatus est. Omnes possunt esse lapides in illo palatio, et membra in illo corpore, et cives in illa cœlesti Jerusalem, et convivæ in illis æternis nuptiis : nec idcirco excedetur vel palatii debita mensura, vel corporis congrua proportio, vel civitatis proportionata multitudo, vel convivii justus numerus. Sed quod tam exiguus sit futurus iste numerus, provenit ex hominum negligentia et amentia voluntaria, ut expresse Dominus in Evangelio docet (2).

(1) Suar. t. 1, tract. 2, lib. 6, cap. 3.
(2) Lessius, *De prædest.* sect. 6, assert. 5, n. 81.

CAPUT SECUNDUM.

DE GRATIA HABITUALI ET JUSTIFICATIONE.

287. *Justificatio* ab ipsa *justitia*, seu *gratia habituali* distinguitur, sicut effectus a sua causa formali; justificatio enim per infusam animæ formam perficitur, quæ *justitia* seu *gratia habitualis* nuncupatur.

288. Protestantes, qui tanquam principium statuunt, gratiam originalem fuisse partem essentialem naturæ humanæ, consequenter docent, humanam naturam essentialiter corruptam esse originali peccato, quod ei tanquam mala radix insertum est; cujus manifestationes sunt omnia peccata actualia, quasi malæ arboris flores et fructus. Ex hoc principio promanant Protestantium errores circa Justificationem, qui sunt hujusmodi:

289. 1° Justificationem esse totam extrinsecam, et in remissione pœnæ consistere, prout contingit in justificatione forensi; culpam interim totam remanere, licet ea, propter justitiam Christi, qua tanquam velo homo oculis Dei contegitur, minime imputetur.

290. 2° Hanc Christi justitiam, per solam ac nudam fidem, seu potius fiduciam, tanquam per causam efficientem vel instrumentalem, obtineri seu apprehendi:

291. 3° Justitiam hanc in omnibus justis æqualem, immutabilem et eis certam esse, neque amitti posse.

292. Doctrina Catholica, his erroribus contraria, initio Tractatus tradita est. Ex qua sponte fluit gratiæ *habitualis* seu *sanctificantis*, seu *justificantis* definitio catholica: *Gratia sanctificans est supernaturale Dei donum permanenter inhærens animæ, quo homo immediate et formaliter sanctus efficitur, justus, amicus Dei, filius Dei adoptivus, hæres secundum spem vitæ æternæ, et capax eliciendi opera æternæ mercedis meritoria.*

293. Porro hujusce definitionis veritas ex tribus sequentibus articulis innotescet, ad quos doctrina de gratia sanctificante reduci potest.

Articulus I, *de natura gratiæ habitualis et justificationis.*
Articulus II, *de dispositionibus ad eamdem requisitis.*
Articulus III, *de ejusdem proprietatibus.*

ARTICULUS I.

DE NATURA GRATIÆ HABITUALIS ET JUSTIFICATIONIS.

294. Justificatio, si nomen spectes, quatuor modis in Scriptura usurpatur: 1° pro lege: *Justificationes tuas custodiam*, Ps. CXVIII. — 2° Pro acquisitione justitiæ: *Hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* I Cor. VI, 11. — 3° Pro incremento justitiæ: *Qui justus est, justificetur adhuc.* Apoc. XXII, 11. — 4° Pro declaratione externa justitiæ more forensi: *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.* Prov. XVII, 15.

295. Si rem consideres, justificatio, de qua nobis sermo, *active* inspecta, est operatio supernaturalis in anima, qua homo per infusam gratiam in statu justitiæ ac sanctitatis constituitur. A Tridentino definitur: *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Sess. 6, cap. 4.

Propositio I, *de vera abolitione peccati in justificatione.*
Propositio II, *de causa formali justificationis.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

In justificatione impii peccata vere remittuntur ac prorsus delentur.

296. *De fide*, aut saltem *proximum fidei*, ex Trid. Sess. 5, can. 5: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari:*

anathema sit. — Idem autem dicendum de peccatis actualibus, cum ratio sit eadem.

297. Dicitur *vere remittuntur*, etc. Remissio *vera* sita est in eo, ut totum id quod veram et propriam peccati, i. e. culpæ, rationem habet, *tollatur*, neque tantum *radatur* aut *non imputetur.*

298. PROB. 1° Teste Scriptura, in hominis justificatione *delentur* peccata, Ps. L, Act. III, 19; — *lavatur*, *mundatur* anima, Eph. V, 25 seqq.; — *longe fiunt* iniquitates a nobis, quantum distat ortus ab occidente, Ps. CII; — *deponuntur*, *projiciuntur* in profundum maris, Mich. VII, 19; — *exhauriuntur*, Eph. V, 8; — *tolluntur*, Joan. I, 29; — *nihil damnationis est* in iis qui sunt in Christo Jesu, ~~Rom. VIII, 1~~.

299. 2° S. Augustinus: *Intelligamus... nihil mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem; et quemadmodum in illo* VERA *mors facta est, sic in nobis* VERA *remissio peccatorum.* Enchirid. c. 52.

300. S. Chrysostomus: *Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judæorum sacerdotibus licebat... his vero* [nostris] *non corporis lepram, sed animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* De sacerdot. l. I, cap. 13.

301. 3° Si peccata adhuc aliquo modo existerent in justo, Deus nullo pacto posset ea non videre ac odio habere: *Omnia* enim *nuda et aperta sunt oculis ejus.* Hebr. IV, 13.

PROPOSITIO II.

Impii formaliter non justificantur, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione; sed per gratiam et charitatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur atque illis inhæret, quæque non est tantum favor Dei extrinsecus.

302. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, can. 10 et 11.

303. PROB. 1° Positio vera est, si teste Scriptura justificatio consistit in intrinseca hominis renovatione; aut, si in justificatione charitas, seu gratia, in cordibus nostris ita diffunditur, ut interius regeneremur et renovemur, ac Deus in nobis mansionem per suam gratiam faciat. Atqui ita habet;

ergo. Etenim Rom. V, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* — *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Joan. III, 5.

304. 2° Augustinus: *Charitas Dei dicta est diffundi cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei, qua justi ejus munere efficimur.* Lib, de spir. et litt. cap. 32, n. 36. — De Augustino testatur ipse Calvinus, se ab eo discedere, quia *gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitæ novitate per Spiritum regeneramur.*

305. 3° Ratione. Justificatio est transitus a statu in statum, puta a tenebris in lucem (1); ita ut non exeatur ab uno nisi intretur in alterum; quare non potest intelligi remissio culpæ, saltem in hac providentia, nisi adsit infusio gratiæ. S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 8 et 2 (2).

306. OBJIC. 1° Scriptura sæpe testatur nos justos esse sola justitia Christi; ergo justitia nostra non est intrinseca. — R. *Dist. antec.* Sola justitia Christi, tanquam causa meritoria, *conc.*: tanquam causa formali, *neg.*

307. *Objic.* 2° Atqui Scriptura loquitur de causa formali, quod patet ex sequentibus. Phil. III, 9: *Inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu.* — I Cor. I, 30: *Qui* (Christus) *factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio.* — R. *Nego assertum.* Ad probationem, *dist.* Non habens *meam* justitiam, i. e. meis meritis acquisitam, independenter a meritis Christi, *conc.*; non habens meam justitiam, i. e. *mihi inhærentem* per gratiam Christi, *neg.* — Christus factus est nobis justificatio *efficienter* et *meritorie*, *conc.*; *formaliter*, *neg.*

308. *Objic.* 3° Sic nos efficimur justi, sicut Christus effectus est peccatum; atqui Christus effectus est peccatum *extrinsece*, i. e. per meram imputationem extrinsecam peccatorum nostrorum; ergo etiam nos efficimur justi extrinsece per meram imputationem extrinsecam justitiæ Christi. — Major constat ex testimonio Pauli II Cor. V, 21: *Eum qui non*

(1) *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Eph. V, 8.
(2) Cfr. Suar. tom. 8, *De gratia*, lib. 7, cap. 15.

noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit (Pater), *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.*—Resp. 1° modo. *Dist. maj.* Sicut Christus effectus est peccatum *sensu proprio* acceptum, *N.*; *sensu figurato* acceptum, i. e. sicut Christus effectus est *hostia* pro peccato, *conc.*—*Dist.min.* Si sermo sit de peccato *proprio sensu*, *C.*, si de peccato sensu *figurato*, i. e. de peccati hostia, *N.* Nam *vere et intrinsece* Christus effectus est hostia pro peccato. Et *nego conseq.*

309. Resp. 2° modo. *Dist. maj. Sic* efficimur, *sicut* Christus, etc., si attendatur veritas utriusque effectionis, *C.* paritatem; si attendatur natura et modus utriusque effectionis, *nego.* Scilicet sensus est: sicut *vere* Christus factus est peccatum, sic *vere* nos efficimur justi; non autem sensus est: *eo modo* quo Christus vere est factus peccatum, *eodem modo* nos efficimur vere justi. — *Tr.* seu *C. min.* — Et *nego consequens.*: siquidem, ut dictum est in *dist. maj.*, Apostolus instituit similitudinem inter peccatum in Christo et justitiam in nobis, spectata utriusque rei veritate, non autem natura et modo.

QUÆSTIONES.

1° An certum est gratiam sanctificantem, quæ animæ inhæret, esse habitualem, seu per modum habitus? — 2° An gratia illa est ipsa Spiritus S. persona, quæ substantialiter animæ justi communicetur eamque vivificet? — 3° An gratia est forma a charitate realiter distincta? — 4° In quo demum gratia sanctificans consistere dicenda est? — 5° An gratia qua formaliter justificamur, est unus simplex habitus, an vero plurium collectio? — 6° Quo sensu gratia habitualis est speciali modo participatio naturæ divinæ?

310. Q. 1° *An certum est gratiam sanctificantem esse habitum?* — R. Habitus est qualitas, quæ per modum dispositionis stabilis, rei supervenire concipitur, ita ut etiam absque operatione actuali permaneat: ut sunt scientiæ, virtutes. — Distinguitur præsertim dupliciter: 1) est vel *substantivus* seu *essentialis*, vel *operativus*, prout afficit immediate rei substantiam vel ejus potentias. Habitus substantivus importat rei novum modum essendi; habitus operativus importat potentiæ

novum modum operandi (1).—2) est vel *acquisitus* vel *infusus* prout naturali exercitio acquiritur vel supernaturali dono infunditur.

311. Jam vero gratiam sanctificantem esse *habitum* infusum, animæ physice inhærentem, realiter ab actibus virtutum distinctum, et actibus cessantibus in nobis permanentem, Suarez quidem censet esse de fide (2); alii vero negant, cum Trid. a voce *habitus* in gratia justificante describenda consulto abstinuerit. Sin autem minus de fide, saltem res est omnino certa, juxta communem Theologorum sententiam. Ex momentis autem, quibus hæc sententia fulcitur, unum hic indicare sufficiat: parvuli accipiunt in Baptismo gratiam sanctificantem; atqui eam non recipiunt per modum motionis ad operationem cujus sunt incapaces; ergo per modum habitus (3).

312. Q. 2° *An gratia sanctificans est ipsa Spiritus S. Persona?* — R. Hæc est sententia Petavii (4), cui præiverat Magister Sententiarum (5). Verum communius et verius rejiciunt illam Theologi qui nempe docent gratiam habitualem esse donum aliquod creatum, a Spiritu S. distinctum. Quæ doctrina consonat cum Scripturæ testimoniis et cum Tridentino Concilio, Sess 6, can. 11, anathema decernente, si quis dixerit homines justificari, *exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat:* ubi gratia a Spiritu S. omnino distinguitur (6).

313. Q. 3° *An gratia sanctificans est forma a charitate realiter distincta?* — R. Præplacet opinio S. Thomæ (7) et Suarezii (8), qui sentiunt, a charitate aliisque virtutibus gratiam distingui, fere sicut sol a calore, luce et coloribus distinguitur. Est enim, aiunt, gratia radix et principium virtutum; gratia dat homini *esse quoddam supernaturale et divinum*, charitas vero disponit hominem ad operationes supernatu-

(1) S. Thom. 1, 2, q. 49 a. 1, 2, 5; et q. 110, a. 4. — Cf. infra tract. 18, *De virtutib.* cap. 1, art. 1, n. 44, 45. — (2) Tom. 8, *De grat.* l. 6, c. 3. — (3) Cfr. Suarez, *De gratia*, t. 8, lib. VI, cap. 2 et 3; Bellarm. *De justif.* lib. II, cap. 15. Item Perrone, *De justif.* n. 473, not. 3. — (4) *De Trin.* lib. VIII, cap. 4 et seqq.— (5) Lib. I, dist. 17.— (6 Cfr. Suar. tom. 8, lib. VI, cap. 8.— Item Wirceb. Theol. *De gratiæ habit. entitate.*— 7) 1, 2, q. 110, a. 3.— (8) Loc. cit. cap. 12.

rales, adeoque præsupponit hominem in *esse supernaturali*, per gratiam habitualem, constitutum. — Sententia tamen opposita, quæ multorum est, Magistri Sent., Bonav., Scoti, etc., probabilitate minime caret. Hac autem præcipue ratione fundatur, quod Scriptura omnes effectus gratiæ sanctificantis tribuat charitati. At respondetur, ideo effectus gratiæ tribui charitati, quia gratia per charitatem, sicut sol per lucem, plerosque effectus suos operatur.

314. Q. 4° *In quo tandem gratia sanctificans consistere dicenda est?* — R. Non in substantia, neque in qualitate morali, sed in qualitate accidentali, creata, spirituali, quæ in anima physice permanet et vocari solet *habitus*. Hanc enim notionem ipsæ Scripturæ perpetuo ingerunt, dum gratiam exhibent nomine *vitæ*, *lucis*, *seminis*, *pignoris*, *signaculi*, *unguenti*, *fontis*, etc. ; quæ omnia stabile quid, ac physice permanens significant (1).

315. Q. 5° *An gratia sanctificans est unus simplex habitus, an vero plurium collectio?* — R. Est unus simplex habitus *essentialiter*. Scilicet simplex et sola gratiæ qualitas, quæ animæ substantiam informat, est eadem ipsa essentialiter justitia infusa; seu est forma illa quæ absolute justificat hominem : ita ut idem sit, hominem habere illud *esse divinum*, quod, ut modo dicetur, animæ per gratiam tribuitur, et hominem *esse justum*. Quemadmodum idem est, ferrum habere novum illud *esse*, quod ei per ignem tribuitur, et ferrum *esse ignitum*. — At hæc *essentialis* justitia, nisi accederent habitus virtutum, suo complemento careret; essetque sicut arbor sine ramis, aut sol sine radiis. Justitia enim intelligitur esse forma bene disponens hominem ad omnia justitiæ opera facienda, etiam quoad proximam operandi facultatem. Itaque *completa omnino* et *perfecta* justitia omnium virtutum collectionem, concentum et ordinem etiam complectitur : ita tamen, ut charitas principem locum teneat. — Porro virtutes omnes connaturaliter a gratia tanquam a suo principio promanant : sicut enim ab essentia animæ effluunt ejus potentiæ, quæ sunt operum principia ;

(1) Cfr. supra q. 4°, n. 310.

ita etiam ab ipsa gratia in potentias animæ effluunt virtutes, per quas potentiæ moventur ad actum (1).

316. 6° *Quo sensu gratia habitualis est speciali modo participatio naturæ divinæ?* (2). — R. Quia 1) est principium et radix operationum supernaturalium et sanctarum, quales (*licet infinito gradu excellentiores*) ab ipsa natura divina essentialiter procedunt: quod ergo Deo essentiale est, hoc nobis per gratiam participatum est, *operari nimirum opera Dei* (3). — 2) Quia est semen et radix gloriæ, h. e. visionis Dei : Deo autem est essentiale videre se, et in hoc illius natura consistit; quod ergo Deo competit essentialiter, nobis competit participatum per gratiam (4).

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM REQUISITIS.

317. Juxta novatores XVI sæculi, ad justificationem requiritur et sufficit fides illa, quam vocant *promissionum* fidem. Triplicem enim fidem distinguunt: *historicam*, *miraculorum*, et *promissionum*. Hæc ultima est vel *generalis:* quæ respicit promissiones Dei toti humano generi factas, de non imputandis peccatis cuilibet firmiter credenti sibi peccata remittti, seu potius esse remissa; vel *specialis*, qua nempe quilibet justificandus, illis promissionibus confisus, potest et debet certo credere sibi peccata esse dimissa : et hæc, juxta novatores, est sola fides justificans (5).

Propositio I, *de insufficientia solius fidei.*
Propositio II, *de natura fidei justificantis.*

PROPOSITIO I.

In adultis, ad justificationem consequendam, aliquæ præter fidem dispositiones prærequiruntur; seu, sola fides non justificat.

318. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, can. 9.

319. *Prærequiruntur dispositiones præter fidem*, ex. gr. *timor*, *spes*, *dilectio Dei* saltem inchoata, et *propositum* servandi in posterum divina mandata (6). Hæ dispositiones non habent

(1) S. Thom. p. 1, q. 110, art. 3 ad. 1. — Suar. tom. 8, l. 7, c. 9. Cf. et cap. 25. — (2) II Pet. I, 4 — (3) Joan VI, 28. — (4) Haunold, *Theol. specul.*, De grat. habit., controv. 3. — (5) Cf. Mœhler, *Symbolique*, tom. 1, liv. 1, ch. 3, § 16. — (6) Trid. Sess. 6, cap. 5.

rationem meriti *proprie* seu *stricte* dicti, cum Deus gratis hominem justificet; sed tantum meriti de *congruo*, aut *impetrationis;* simul etiam requisitæ sunt ad impedimenta gratiæ removenda, et conditio *sine qua non* infunditur gratia. — Neque habent rationem causæ, efficientis scilicet vel meritoriæ stricto sensu, i. e. de condigno ; justificationis enim nostræ causa est ipse Deus, ac Christi Passio, aliæque quas enumerat Trid. cap. 7.

320. PROB. 1° *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam; vita vivet et non morietur*. Ezech. XVIII, 21. — *Ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum*. Jac. II, 24.

321. 2° Augustinus: *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te... Fecit nescientem, justificat volentem.* Serm. 15. *De verbis Apost.* Cap. 11, n. 13. — Et ibid. Serm. 27, cap. 1: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*

322. 3° *Ratione.* Systema illud admitti non potest, quod præcidit omnia virtutum germina ; atqui tale est hoc systema Protestantium, cum bonorum operum necessitatem excludat.

PROPOSITIO II.

Fides, quæ ad justificationem requiritur, non est fides promissionum, seu firma persuasio de peccatorum remissione; sed firmus assensus, iis omnibus præstitus quæ Deus revelavit.

323. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, can. 12.

324. PROBATUR. 1° Scriptura ad justificationem requirit fidem circa plura, quæ ipsa Scriptura designat: *Qui crediderit... salvus erit*, Marci ult. — *Si confitearis... et credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis*, Rom. X, 9; silet tamen de fide circa speciales istas promissiones, de non imputandis peccatis cuilibet firmiter credenti sibi peccata esse remissa. Ergo fides hæc promissionum ad justificationem non requiri censenda est, maxime a Novatoribus soli Scripturæ fidentibus. — Præterea Scriptura requirit fidem tantum circa revelata ; atqui promissiones istæ non sunt revelatæ, præsertim

Scriptura, quam Novatores habent pro unico revelationis fonte. Ergo.

325. 2° Contra hanc promissionum fidem, ut dispositionem ad justificandum, stat universa Traditio: quæ constat ex antiquissima consuetudine exigendi a catechumenis professionem articulorum Symboli, in quibus hujusce fidei promissionum nullum prorsus vestigium occurrit.

326. 3° Ad quid dicere tenemur: *Dimitte nobis debita nostra*, si fide credere debemus nobis ea esse dimissa?

327. 4° Fides promissionum pugnat cum justificationis incertitudine, infra propugnanda. Ergo commentitia est.

328. *Nota.* Aliqua certitudo moralis late accepta de dimissis peccatis obtineri potest, ut infra dicetur, absque revelatione speciali. Verum justificationem non præcedit ut dispositio ad illam; sed comitatur et consequitur ut justificationis effectus.

ARTICULUS III.

DE PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS.

329. Tres sunt proprietates justificationis, quas Concilium Tridentinum contra Protestantes definivit: incertitudo, inæqualitas, amissibilitas.

Propositio I, *de justificationis incertitudine.*
Propositio II, *de ejusdem inæqualitate.*
Propositio III, *de ejusdem amissibilitate.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Nemo, absque speciali revelatione, certus esse potest, certitudine fidei, de propria justificatione; nec fide proin tenetur credere se esse justificatum.

330. *Nota* Novatores tria docuerunt: 1) Quilibet potest absque speciali revelatione, habere de sua justificatione certitudinem fidei; 2) tenetur habere; 3) justificatur hac certitudine vel formaliter vel instrumentaliter. Catharinus rejecit quidem 2um et 3um ex his tribus punctis, sed admisit 1um hac restrictione adjecta: potest homo habere certitudinem fidei, non quidem catholicæ, quæ infallibilis est, sed tantum divinæ, quæ fallibilis est. — Porro nomine fidei *catholicæ* venit

ea fides, qua creditur id quod a Deo revelatum et ab Ecclesia omnibus credendum proponitur; fidei vero tantum *divinæ* seu *theologicæ* nomine venit ea fides, qua creditur quod a Deo revelatum quidem est, non tamen ab Ecclesia omnibus propositum. — Licet Catharinus non hæresim formalem, certo errorem protulit.

331. *Prior pars* propositionis, intellecta de certitudine fidei *catholicæ*, quæ infallibilis est, admittitur ab omnibus Catholicis, ut *de fide* : juxta ea quæ Trid. Sess. 6, cap. 9 et can. 16. — Si vero intelligatur de certitudine fidei *tantum divinæ*, iterum ab omnibus ut *certa* conceditur (excepto Catharino), et a nobis hoc etiam sensu propugnatur. Revera enim, juxta Trid. cap. 9 et can. 16, nemo, absque revelatione, scire valet certitudine fidei, *cui non potest subesse falsum*, etc.; nemo ***absolutam et infallibilem*** certitudinem habere potest; atqui certitudo fidei etiam *tantum divinæ* est ***absoluta et infallibilis***, nec ei potest *subesse falsum*; ergo nemo, absque revelatione, potest habere certitudinem, nec fidei catholicæ, nec fidei tantum divinæ (1).

332. *Altera pars* propositionis : *nemo proin tenetur, etc.*, est *de fide* contra Protestantes, ex Trid. Sess. 6, can. 13, 14, cap. 9.

333. PROB. I PARS. 1° Scriptura, quæ 1) testatur hoc aperte de omnibus : *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen* NESCIT HOMO UTRUM AMORE VEL ODIO DIGNUS SIT ; *sed omnia in futurum servantur incerta.* Eccl. IX, 1. Quem textum S. Hieronymus, inter alios, explicat in sensu propositionis nostræ. — Et Prov. XX, 9: *Quis potest dicere* : *Mundum est cor meum, purus sum a peccato* (mortali)*?* — 2) Testatur viros sanctos, ob incertum statum gratiæ, formidine fuisse pulsatos. Sic *de Paulo*, I Cor. IV, 4 : *Nihil mihi conscius sum*, etc.; quem locum de hujusmodi formidine explicant PP. plures, inter quos Hieron., Chrys., Aug. in Psalm. 41, ut sequitur.

334. 2° PP. idem asserunt, ut dictum est; inter quos Aug. in Ps. 41 : *Tantam profunditatem Paulus credit esse in homine, quæ lateat ipsum hominem in quo est : quum enim dixisset : Ni-*

(1) Bellarm. *De Justif.* lib. 3, c. 3.

hil mihi conscius sum; adjecit: SED NON IN HOC JUSTIFICATUS SUM. — Præterea S. Aug. non pauca profert, ex quibus concludatur oportet, certitudinem de justificatione propria *per se* haberi non posse; talia sunt : *a*) justificationem adulti a certis ipsius dispositionibus dependere, ex. gr. actibus *supernaturalibus*, de quibus certus ille esse nequit; — *b*) actus hominum non humano sed divino judicio esse pensandos; — *c*) timore et sollicitudine in negotio salutis opus esse; quæ intelligenda sunt, non solum circa possessionem gratiæ non amittendam, sed etiam circa ipsam possessionem.

335. PROB. II PARS. *Nemo tenetur credere, se esse justificatum.* 1° Nemo *potest* certitudinem... habere; ergo nemo *tenetur.* 2° Huc faciunt argumenta, quæ ad probandam Propos. præced. allata sunt (1).

PROPOSITIO II.

Accepta justitia conservatur et augetur coram Deo per bona opera, ideoque in omnibus æqualis non est.

336. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, can. 24.

337. Jovinianus sæculo IV (389) docebat, virtutes omnes æquales esse, perinde ac vitia. Novatores vero sæculi XVI concedunt quidem hæc inæqualia esse; negant tamen operibus virtutum augeri justitiam, vel operibus vitiosis detrimentum inferri saluti. Opera enim bona, juxta illos, non sunt, ad summum, nisi manifestationes seu signa præsentis justitiæ; mala vero, homini justo non imputantur (2).

338. PROB. I PARS. 1° Scriptura juxta obvium sensum intellecta, exhibet justos proficientes in ipsa *justitia* seu sanctitate, et non tantum in *virtutibus*, sicut Novatores contendebant. Sic Prov. IV, 18 : JUSTORUM SEMITA *quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* — II Cor. IX, 10 : *Deus augebit incrementa frugum* (græce τὰ γεννήματα, germina) JUSTITIÆ VESTRÆ. — Apoc. XXII, 11 : *Qui justus est* JUSTIFICETUR *adhuc, et sanctus* SANCTIFICETUR *adhuc.* — Præterea Scriptura dicit, charitatem posse crescere : ergo et gratia habitualis crescere potest; cum hæc vel (ut plures putant),

(1) Supra, n. 324 seqq. — (2) Cf. superiora, n. 288.

ipsissima charitas sit, vel saltem cum charitate connectatur, eique proportionetur.

339. 2° Aug. *Justificati sumus; sed* IPSA JUSTITIA, *cum proficimus* (subaudi : *operibus bonis, virtutum exercitatione*), *crescit.*

340. 2° Ratione. Justitia crescit coram Deo, si justificatus meretur bonis operibus augmentum gloriæ et gratiæ. Atqui meretur, ut patebit ex infra dicendis de merito; ergo.

341. II PARS. *In omnibus æqualis non est.* 1° Id evidenter sequitur ex prima parte. Si enim justitia operibus bonis crescit, cum hæc in diversis hominibus inæqualia sint, sequitur illam in diversis inæqualiter crescere, adeoque esse inæqualem. — 2° Coronæ in cœlo, gradus cœlestis gloriæ diversi et inæquales sunt, pro inæqualitate meritorum. Jam vero coronæ, gradus gloriæ proportionantur gradibus gratiæ sanctificantis, quæ tempore mortis possidetur. — 3° *Prima causa hujus diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suæ gratiæ dona dispensat ad hoc, quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiæ consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum.* S. Thom. 1, 2, q. 112, a. 4.

PROPOSITIO III.

Justitia amitti potest, et per quodvis peccatum mortale subsequens revera amittitur.

342. *De fide.* Ex Trid. Sess. 6, can. 23.

343. PROB. 1° Scriptura, quæ 1) id generatim affirmat : Ezech. XXXIII, 12 : *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacunque die peccaverit.* 2) Nos exhortatur ut curemus ne a justitia excidamus : I Cor. X, 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 3) Testatur de angelis malis, de Adam, Saul, David, Salomone, Petro, Juda, etc., eos, cum primum fuissent justi, postea deliquisse, inimicos et odibiles Deo factos esse (quod profecto cum conservatione justitiæ stare nequit); atque horum alios in hoc statu mortuos esse, alios amissam gratiam pœnitentia recuperasse.

344. 2° Augustinus, lib. *De corr. et gratia*, præsertim cap. 6 et seqq., totus in eo est ut probet, hominem, *si jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur,*

esse corripiendum : quia ACCEPTAM GRATIAM *suo in malum libero* AMISIT *arbitrio.* — Patres omnes hanc veritatem supponunt; ii præsertim, qui potestatem Ecclesiæ remittendi peccata, post Baptismum commissa, defendunt contra Montanistas et Novatianos : ut SS. Cyprianus, Ambrosius, Pacianus, Augustinus.

345. 3° *Ratione.* Ipse Grotius fatetur, Christiani esse ea dogmata abhorrere quæ pietati noceant; quale illud est a nonnullis defensum : Pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia et mille stupra (1).

QUÆSTIONES.

1° *Quænam dona cum gratia sanctificante connexa sunt ?* — 2° *Quinam sunt gratiæ sanctificantis effectus?* — 3° *Quomodo gratia expellit peccatum ?* — 4° *An justificatio impii est maximum inter opera Dei ?* — 5° *An gratia sanctificans semel accepta potest minui, quin tamen tota amittatur ?*

346. QUÆR. 1° *Quænam dona cum gratia sanctificante connexa sunt?* — R. In justificatione simul cum gratia infunduntur, primo, tres virtutes theologicæ, quod *de fide* esse censet Suarez (2) ex Trid. Sess. 6, cap. 7; deinde virtutes quoque cardinales, morales, et dona Spiritus S., ut communius docent Theologi (3). — Notandum autem, illos virtutum habitus in homine recens justificato adesse quidem quoad substantiam, non tamen semper quoad exercitium expeditum : ad hoc enim requiritur subsequens hominis cooperatio et cultura. Eodem fere modo in infante recens nato adsunt omnes hominis facultates, etsi nondum ad exercitium expeditæ.

347. Q. 2° *Quinam sunt gratiæ sanctificantis effectus?* — R. 1) Per eam efficimur *divinæ consortes naturæ :* tum quia per eam conformantur mores nostri cum moribus divinis (4), tum etiam, quia per eam Deus substantialiter habitat in nobis, quemadmodum in tract. de SS. Trinitate (5) breviter explicatum est; ita ut, etiam si Deus, seu loquendo secundum appropriationem (6), persona Spiritus sancti, per impossibile,

(1) In *Discussione apologiæ Riveti*, pag. 217. — (2) *De grat.* tom. 8, l. 6, cap. 8. — (3) Suarez, ibid. cap. 9, 10. — S. Thom. 1, 2, q. 63, art. 3. — (4) Cf supra art. 1, quæst. 6, n. 316. — (5) Cap. II, Quær. 7°. Cf. tom. I, *De Trin.* n. 173. — (6) Tom. I, *De Trin.* nn. 176, 181, 182.

ut aiunt, ubique præsens non esset vi immensitatis suæ; nihilominus vi gratiæ, qua homo justus ornatur, in hujus anima præsens esse deberet. —2) Per eamdem efficimur *amici* et *grati Deo*. — 3) Efficimur *filii Dei adoptivi*. Hæc enim filiatio adoptiva *a*) postulat, ut persona adoptata sit Deo adoptanti extranea; *b*) affert personæ adoptatæ *similitudinem* aliquam in *natura* cum adoptante Deo, atque jus ad hæreditatem cœlestem. Jam vero gratia habituali præstatur nobis, ut, qui natura sumus extranei Deo, vere nihilominus *filii Dei nominemur et simus. Si autem filii, et hæredes* (1). — 4) Efficimur *justi :* quæ justitia est rectitudo illa totius hominis, per quam homo et est immunis a peccato, et est dispositus atque ordinatus ad opera salutaria. Consistit proinde, tum in expulsione peccati, tum in potentia, saltem remota et radicali (2), eliciendi *actus supernaturales* æternæ vitæ meritorios. — 5) Efficimur *sancti;* seu mundamur et immunes sumus ab omni peccato mortali, et simul divino quodam fulgore condecoramur : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Eph. V. 8.

348. Q. 3° *Quomodo gratia sanctificans expellit peccatum?* — R. Disputari solet, an gratia habitualis ex *intrinseca* sua vi, natura et dignitate, præscindendo ab omni favore et condonatione Dei extrinseca, peccatum expellat. In hac quæstione, quamvis facile concedatur, ad expellendum peccatum requiri peculiarem Dei voluntatem illud remittendi seu condonandi; videtur tamen Tridentino conformius, si dicatur in ipsa gratia habituali hanc Dei voluntatem essentialiter contineri, adeoque gratiam habitualem *formaliter adæquate* peccatum expellere. — Hinc, ut multi contra multos contendunt, oppositio gratiæ habitualis cum mortali peccato essentialis et metaphysica censenda est; ita ut ne de potentia quidem absoluta Dei, possint ambo in eodem subjecto conjungi. Spectari enim debent, inquiunt, gratia et

(1) Rom. VIII, 17; — I Joan. III, 1.

(2) Dicitur : *saltem remota et radicali:* quia proxima et immediata potentia habetur per virtutes infusas, præsertim per habitum charitatis. Porro justitia, quod nobis probabilius est (supra n. 313) re distinguitur a charitatis habitu; ergo nequit esse *proxima* potentia. Est tamen potentia *remota et radicalis :* quia ex justitia, quasi fonte, fluunt habitus supernaturales operativi, maxime habitus charitatis (supra n. 315).

peccatum, tanquam duæ formæ contrariæ, quarum una positiva est, altera positivæ privatio: scilicet gratia et peccatum se habent ad invicem, sicut lux et tenebræ, calor et frigus, sanitas et morbus, vita et mors. Non concipiunt hi auctores posse fieri, ut Deus participationem divinæ suæ naturæ, adoptionem in filium, et pulchritudinem supernaturalem maximam alicui homini tribuat; et simul eumdem hominem summo odio prosequatur, utpote peccato mortali, prout supponitur, infectum. Impossibilitatem hanc Scriptura testatam putant: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras?* II Cor. VI, 14. Et Joan. I. III, 9: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* (1).

349. Q. 4° *An justificatio impii est maximum inter opera Dei?* — R. Tria sunt opera Dei præcipue magna, creatio mundi, incarnatio Verbi, justificatio impii. Jam vero, si comparetur cum creatione mundi naturalis, justificatio impii, utpote ordinis supernaturalis, major est. — Si comparetur cum Incarnatione, distinguendum: spectata in se, quoad suam substantiam, justificatio impii utique minor est incarnatione Verbi, quæ fons omnis justificationis existit: sin spectetur quoad modum, i. e. quoad media per quæ a Deo efficitur, justificatio majus est opus; cum ipsa Incarnatio medium sit, per quod Deus impium justificare voluerit: *Propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est.* Symbol. Nic.

350. Q. 5° *An gratia justificans semel accepta potest minui, quin tamen tota amittatur?* — R. Idem de gratia sanctificante tenendum ac de charitate habituali, de qua S. Thomas scribit, quod *charitas nullo modo diminui possit, directe loquendo. Potest tamen indirecte dici* DIMUNITIO CHARITATIS *dispositio ad corruptionem ipsius* (i. e. charitatis), *quæ fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis* (2).

(1) Cf. Wirceb. Theol. *De effectib. gratiæ habitualis.* Item Vasquez, t. 4, disput. 207.— Haunold, *Theol. specul.* De grat. habit. controv. 6.

(2) S. Thom. 2, 2, q. 24, art. 10, in corpore. — Cf. infra, tract. 18, *de virtutibus*, n. 274.

CAPUT TERTIUM.

DE MERITO.

351. Protestantes omne meritum respuunt. Cum enim, juxta ipsorum placita, homo sub externo cortice justitiæ corruptus maneat, non potest quidquam boni de sua corruptione producere. Quod si nihilominus bona opera facit, hæc ad summum non sunt nisi signa inhabitantis justitiæ alienæ.

352. Adversus truculentos hoc errores, doctrina catholica, solatio plena, explicanda est atque probanda.

Articulus I, *de existentia meriti.*
Articulus II, *de objecto meriti.*
Articulus III, *de conditionibus meriti.*

ARTICULUS I.

DE MERITI EXISTENTIA.

Quæstiones præviæ, *de natura meriti.*
Propositio, *de merito justorum.*
Quæstiones *de ejusdem meriti condignitate.*

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1° *Quid est meritum et quotuplex? — 2° Quomodo explicanda distinctio inter meritum de condigno et meritum de congruo?*

353. QUÆR. 1° *Quid est meritum et quotuplex?* — R. Meritum *apud Deum, et supernaturale*, de quo unice hic agimus, in concreto spectatum, definitur: *Opus bonum in obsequium Dei factum, ex se potens illum movere ad doni supernaturalis retributionem.* Hoc autem donum tali obsequio respondens dicitur *præmium;* et ejus retributio, *præmiatio* vel *remuneratio.* — Meritum, in abstracto spectatum, est *ipse valor* operis, quod in obsequium Dei fit, seu *conditio illa, vi cujus opus potens est movere Deum ad præmium retribuendum* (1).—

(1) Haunold, *Theol. speculat.*, l. 3, tract. 3, c. 3, n 840 et seqq.

Meritum ab *impetratione* in eo differt, quod hæc moveat per modum submissæ petitionis, illud vero per modum obsequii; a *satisfactione* etiam differt, quod hæc sit redditio seu compensatio æquivalens injuriæ.

354. Distinguitur 1) in *essentiale* et *participatum*. *Essentiale* est meritum quod inest operibus Christi, eique soli competit, utpote fundatum dignitate atque excellentia infinita personæ merentis; vocatur quoque *meritum excellentiæ*. *Participatum* est illud, quod vim quidem merendi veram habet, sed eam mutuatur et haurit ex Christi meritis, sicut palmes fructificandi vim haurit e vite. Hujusmodi sunt opera meritoria nostra. —2) In meritum condignum seu *de condigno*, et *de congruo* (1).

355. *De condigno* vocatur illud meritum, quod est *non solum potens movere ad retributionem, sed illam exigit; seu est illud, quod eam habet* ÆQUALITATEM *cum præmio, ut hoc ei* DEBEATUR *aliquomodo* EX JUSTITIA,*saltem accedente promissione præmiantis.*— *De congruo* dicitur illud meritum, quod *est quidem potens movere ad retributionem, non tamen illam exigit;* seu est *illud meritum, cui deest æqualitas cum præmio: vel saltem, cui defectu promissionis, non debetur præmium aliquomodo ex justitia, sed tantum ex liberalitate præmiantis.* Itaque meritum *de condigno* respicit *justitiam*, seu habet vim remunerationis exactivam; meritum vero *de congruo* respicit *liberalitatem.*

356. Meritum de congruo, aliud est *de congruo infallibili*, i. e. habens infallibilem retributionem, vi promissionis divinæ de ea factæ; — aliud *de congruo fallibili*, i. e. non habens infallibilem retributionem, eo quod de illa nulla sit a Deo facta promissio. Meritum de congruo fallibili minus proprie rationem meriti participat, cum nullam obligationem præmii retribuendi inducat: quare vix differt ab *impetratione,* cum qua non solum a Vasquez, sed ab Augustino et Tridentino confunditur.

357. Q. 2° *Quomodo explicanda est distinctio inter meritum de condigno et meritum de congruo?* — R. Hanc distinctionem explicat S. Thomas his verbis: *Dicitur aliquis mereri* EX CONDIGNO, *quando invenitur æqualitas inter præmium et meritum*

(1) Cfr. quæ tom. I, tract. *de Incarnat.* cap. 3, art. 2, n. 500 seqq.

SECUNDUM RECTAM ÆSTIMATIONEM; — EX CONGRUO *autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum, secundum liberalitatem donantis munus tribuitur, quod dantem* DECET (1).

358. Ut autem natura utriusque meriti penitus percipiatur, duo notanda videntur: alterum circa *vim ad movendum* meriti de congruo propriam; alterum circa *æqualitatem cum præmio* meriti de condigno propriam. Itaque—1) opus tantum *de congruo* meritorium, licet non requirat æqualitatem cum præmio, debet tamen esse tale, ut intuitu illius possit retributor ad præmium largiendum *prudenter* moveri; seu, debet esse opus, cujus intuitu *deceat* præmium operanti retribui. Sic ex. g. præclarum facinus duce militiæ dignum, sed a privato milite patratum, dignitatem summi ducis huic militi non meretur quidem *de condigno* apud Principem : quia scilicet opus illud spectatum *in concreto*, i. e. in ipsa persona operante, æquabilitatem cum tanto præmio non habet: nihilominus dignitatem illam mereri poterit *de congruo*; quia nempe est tale facinus, ut intuitu illius *prudenter* moveri possit Princeps ad illam dignitatem militi *liberaliter* largiendam ; seu, est facinus, cujus intuitu si Princeps militem tam magnifice præmiaretur, rem præstaret quæ liberalem Principem omnino *deceret*. — Contra vero, cura a stabulario in equum principis impensa, ne *de congruo* quidem adoptionem in filium Principis mereretur stabulario ; quia nempe hujusmodi cura est tale opus, cujus intuitu si Princeps stabularium adoptaret in filium, rem præstaret quæ Principem vel maxime liberalem minime deceret.

359.—2) Opus de condigno meritorium requirit *æqualitatem* cum præmio, non eam quæ accipi solet in contractibus, et est *æqualitas pretii* cum re emenda (quo sensu recte negavit S. Paulus *condignas* esse *passiones hujus temporis ad futuram gloriam*); sed eam, quæ concipitur esse inter semen et fructum, atque vocari potest *æqualitas seminis* cum fructu ex eo nascituro. Mereri enim, ait acute Cardinalis de Lugo (2), non est emere pro æquali pretio æqualem rem, sed est seminare apud æquitatem et gratitudinem Principis. Quare æqualitas meriti non est sicut æqualitas pretii, sed sicut

(1) *In Mag. Sent* 2, dist. 27; q. 1, art. 3. — (2) *De pœnit.* disp. 24, n. 10.

æqualitas seminis fecundissimi in Corde Principis. — Ex his colligitur, *condignitatem* non residere adæquate in præstantia operis, spectati secundum se; sed in præstantia ejusdem operis, spectati prout a persona operante dignificatur, et a præmiante liberaliter accipitur.

360. Hac de meriti natura : sequitur de meriti existentia.

PROPOSITIO UNICA.

Justi per bona opera ex gratia facta vere merentur augmentum gratiæ sanctificantis, vitam æternam, et gloriæ augmentum.

361. *De fide*, ex Trid. Sess. 6, can. 26 et 32.

362. Dicitur in propositione : *merentur* ; scilicet merito participato: — *vere* : præscindendo hic (1) a quæstione, utrum *verum* hoc meritum sit de condigno, necne.

363. Dicitur *gratiæ sanctificantis augmentum:* prima enim gratia sanctificans jam adesse supponitur, nec illa proprie ac *vere* sub meritum cadit. Constat enim hominem per Christi gratiam justificari *gratis*.

364. Merentur *vitam æternam*, scilicet gloriam, visionem beatificam; quæ proinde recte vocatur *merces*, quatenus datur ob merita: et hujusmodi rationem mercedis habet respectu omnium adultorum. Vocatur quoque *hæreditas*, quatenus tribuitur filiis adoptivis; *misericordia et gratia*, quia merita nostra profluunt ex gratia; quia Deus misericorditer et gratuito promisit operibus bonis vitam æternam; et demum, quia electio ad gloriam gratis facta est.

365. Dicitur demum *gloriæ augmentum*, quia augmento gratiæ respondet augmentum gloriæ; et quia per bonorum operum merita, donec vivunt justi, in dies magis magisque crescere possunt.

366. PROB. 1° Scripturæ vitam æternam vocant *coronam justitiæ, bravium, mercedem* reddendam homini justo, quæ omnia meritum supponunt: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* II Tim. IV, 7. — *Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.* I Cor. III, 8.

(1) Infra hæc quæstio resolvenda est, n. 369.

367. 2° Conc. Araus. II, can. 18: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.*

368. *Nota* Difficultates, quæ contra hanc propositionem objiciuntur, magna ex parte dissolvi possunt ex iis, quæ de natura meriti in quæstionibus præviis explicata sunt.

QUÆSTIONES.

1° *An verum illud justorum meritum, de quo agitur in propositione, dicendum est* DE CONDIGNO, *an* DE CONGRUO? — 2° *An condignum est ratione divinæ promissionis tantum, an etiam ratione operis?* — 3° *An Deus opera justorum supra condignum remuneratur?*

369. Q. 1° *An verum justorum meritum dicendum est* DE CONDIGNO, *an* DE CONGRUO?—R. Nihil de fide hac in re definitum est: tamen distinctio inter meritum *de condigno* et *de congruo*, ut etiam sententia affirmans, justos de condigno mereri augmentum gratiæ et gloriæ, fundatur in doctrina Patrum, præsertim S. Augustini (1), imo et sensu Tridentinorum Patrum (2); ita ut theologice certa sit. — Ad difficultates autem hac in re diluendas, recolantur quæ prænotata sunt initio hujus articuli.

370. Q. 2° *An meritum illud justorum est condignum tantum ratione promissionis divinæ, an etiam ratione ipsius operis?* — R. Theologice item certum est condignitatem hanc esse adæquatam, scilicet fundatam tum promissionibus divinis, tum intrinseco operis valore (3).

371. Q. 3° *An Deus opera justorum supra condignum remuneratur?* —R. Deum ex sua liberalitate opera justorum remunerari supra condignum, item theologice certum est, præsertim post proscriptam Baii propos. 14^am, quæ ita se habet: *Opera bona justorum non accipient in die judicii ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.* — Quod quidem non ita est intelligendum, quasi Deus novos gradus gloriæ adderet ultra eos quos quisque operibus promeruit, cum scriptum sit: *Reddet unicuique secundum opera ejus*,

(1) *Epist.* 194, cap. 5, n. 9 et n. 6. — Cfr. et S. Thom. 1, 2, q. 114, art. 3; et *In II Sent* dist. 27, art. 3. — (2) Sess. 6, cap. 16 et can 32. Cfr. Pallav. *Hist. Conc. Trid.* lib. 8, cap. 4. — (3) Cf. Suar. t. 8, l. 12, c. 17 et 18.

Matth. XVI, 27; sed quod non est proportio inter labores nostros materialiter spectatos et gloriam æternam (1); totaque proportio venit a gratia labores nostros dignificante. Imo nostra opera, etiam ita dignificata, æqualitatem et condignitatem cum illo præmio nullam habent *actualem*, nisi Dei ordinatio et acceptatio accedat (2).

ARTICULUS II.

DE OBJECTO MERITI.

QUÆSTIONES.

1° *Quænam bona supernaturalia* CERTO *cadunt vel non cadunt sub meritum?* — 2° *Quænam tantum* PROBABILITER *sunt objectum meriti?*

372. Q. 1° *Quænam bona supernaturalia* CERTO *cadunt vel non cadunt sub meritum?* — R. 1) Homo *ne de congruo quidem*, potest sibi mereri, PRIMAM GRATIAM ACTUALEM; siquidem tale meritum esset opus salutare sine præveniente gratia elicitum; quód fieri nequit ex dictis supra (3).

373. 2) *Neque potest mereri de condigno* PRIMAM GRATIAM HABITUALEM seu sanctificantem. Id ita certum est, ut nonnulli asserant esse de fide ex Conc. Araus. II, can. ultimo, et Tridentino (4).

374. 3) Illam tamen *potest mereri de congruo* infallibili; imo peccator eam sic meretur per actum contritionis perfectæ; quod Augustinus (5) et Tridentinum (6) satis testantur.

375. 4) *Non potest* homo quantumvis justus, *de condigno* aut *de congruo infallibili* sibi aut alteri mereri, *a*) donum perseverantiæ, *b*) reparationem post lapsum consequendam, imo *c*) nec ullam gratiam actualem (7), nec *d*) generatim ullam aliud beneficium a gratia sanctificante et gloria distinctum; quia de illis nulla exstat divina promissio; imo in Scripturis

(1) Rom. VIII, 18. — (2) Cf. Suar. ibid. c. 31. — (3) Cap. 1, a. 2, prop. 1, n. 94. — (4) Sess. 6, can. 1, 2, 23 et cap. 8.— Item Rom. III, 24: *Justificati* GRATIS. — (5) Epist. 194, cap. 3, n. 9. — (6) Sess. 14, cap. 4.

(7) Nota tamen, hominem per justificationem, cujus augmentum mereri de condigno potest, ut dicitur n. seq., acquirere quoddam jus ad gratias actuales necessarias illis bonis operibus perficiendis, ex quibus hujusmodi augmentum pendet.

potius significatur contrarium. I Cor. X, 12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat;* et Philipp. II, 12: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini* (1).

376. 5) Justus potest *sibi* mereri, etiam *de condigno*, gratiæ sanctificantis augmentum, vitam æternam, et gloriæ augmentum. Id certum est, ut supra diximus (2), imo est *de fide*, si intelligatur tantum de *vero* merito, præscindendo a condignitate. Trid. can. cit. in prop.

377. Q. 2° *Quænam tantum* PROBABILITER *sunt objectum meriti?* — R. 1) Actus contritionis perfectæ, quo peccator ultimo ad justificationem suscipiendam disponitur, *meretur* illi *de condigno* gloriam primam, seu primum gloriæ cœlestis gradum; meretur, inquam, vel primo illo momento, quo actus contritionis elicitur et gratia sanctificans recipitur, ut plures cum Platel contendunt; vel secundo momento, quo actus contritionis continuatur, ut alii cum Bellarm. existimant. Hæc sententia valde probabilis est. Fundatur enim *a*) in *Trid.* definiente Sess. 6, can. 32, *bona opera hominis justificati mereri* VITAM ÆTERNAM *atque etiam gloriæ augmentum;* *b*) in *Scriptura*, quæ quotiescumque gloriam tanquam mercedem promittit, ita loquitur, ut non de parte duntaxat gloriæ et augmento, sed de tota gloria intelligenda videatur, ac proinde etiam de primo gloriæ gradu; *c*) in *ratione* theologica: quia nimirum ille contritionis actus habet omnes conditiones requisitas ad hoc, ut de *condigno* primum gloriæ gradum mereatur.

378. 2) Homo tam peccator quam justus, gratiam *actualem secundam* et *efficacem* potest sibi mereri *de congruo fallibili:* scilicet precibus, aliisque operibus bonis. *Moris divini est,* inquit Lessius, *initia virtutum largiri gratis, indignis et indispositis ; sed augmenta, non nisi se disponentibus et idoneos reddentibus: ita ut, quo quis se magis reddat idoneum viprioris gratiæ, eo uberiores gratias a Deo sit accepturus* (3).

379. 3) Justus potest sibi et alteri *de congruo fallibili* mereri, *a*) donum perseverantiæ, ut communius docent TT. juxta Augustini effatum: *Hoc Dei donum suppliciter emereri po-*

(1) Cf. Platel. Synops. *de grat. et merito,* n. 672. — (2) In prop. n. 361.
(3) Epist. citata in ejus vita.

tes (1) ; *b*) reparationem post lapsum ut iterum fert communior sententia cum Bellarmino (2) ; *c*) generatim gratias actuales etiam efficaces, aliaque beneficia distincta a gratia sanctificante et gloria ; *d*) in specie vero, potest alteri sic mereri primam gratiam actualem et quidem efficacem, puta conversionem peccatori, ut communius docent cum S. Thoma (3) : *Orate pro invicem ut salvemini*. Jac. V, 16. Hac ratione S. Monica conversionem filii sui Augustini meruisse censenda est.

ARTICULUS III.

DE CONDITIONIBUS MERITI.

§ I. *Conditiones meriti de condigno.* — § II. *Conditiones meriti de congruo.* — § III. *Quæstiones.*

§ I. Conditiones meriti de condigno.

380. Ad merendum de condigno augmentum gratiæ et gloriæ, variæ conditiones requiruntur, ex parte operantis, operis, præmiantis.

381. 1° Ex parte *operantis* requiritur, 1) status viæ : *Ante obitum tuum operare justitiam*. Eccli. XIV, 17. — *Venit nox quando nemo potest operari*. Joan. IX, 4. — *Dum tempus habemus operemur bonum*. Gal. VI, 10. Cf. Eccl. IX, 10. — 2) Status gratiæ habitualis : *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*. Joan. XV, 4. — 3) Intentio recta, qua opus fiat in obsequium Dei, seu ad finem supernaturalem.

382. 2° Ex parte *operis* requiritur : 1) Ut sit actus *liber* non solum a coactione, ut voluerunt Baius et Jansenius ; sed etiam a necessitate (4), ut eruitur ex damn. Jans. prop. 3ª *Ad merendum*, etc. — 2) Ut sit *honestus* in individuo. — 3) Ut sit *ex gratia factus* (5). — 4) Ut sit *supernaturalis*, et quidem non quoad modum tantum, sed quoad substantiam, seu entitative : ut fert sententia communior cum Suarez adversus Vasquez. Hic enim contendit, justos mereri de condigno etiam actibus naturaliter honestis seu naturalis ordinis, elicitis ex præveniente

(1) *De dono persev.* cap. 5, n. 10. — (2) *De justif.* l. 5, c. 21, n. 3. Cf. S. Thom. 1, 2, q. 114, art. 7 ad 1. Suar. t. 8, l. 12, c. 24 seqq. — (3) 1, 2, q. 114, art. 6. Suar. t. 8, l. 12, c. 38. — (4) Cfr. superiora *de gratia efficaci*, n. 177 seqq. — (5) Cfr super, *de necessitate gratiæ*, n. 92 seqq.

aliqua gratia pariter naturalis ordinis, sed supernaturali quoad modum (1).

383. 3° Ex parte *præmiantis* Dei, requiritur divina promissio præmii, i. e. vitæ æternæ augmentique gratiæ, retribuendi; requiritur, inquam, ad hoc ut bona justorum opera sint condigne meritoria in actu secundo: seu, ad hoc ut præmium *actualiter exigant*. — Independenter vero a divina promissione, opera illa meritoria sunt in actu primo, seu proportionata sunt præmio; quia nempe, tum ex parte sua, tum ex parte operantis, æqualitatem valoris seu condignitatem cum præmio habent, juxta prudentem æstimationem, considerata præsertim infinita majestate et liberalitate præmiantis Dei (2).

§ II. Conditiones meriti de congruo.

384. Ad meritum de congruo præmii supernaturalis requiritur 1° ut actus sit *liber*, *honestus*, et ad finem supernaturalem, seu in obsequium Dei directus. — 2° Ut sit supernaturalis saltem *quoad modum:* adeoque ex gratia, saltem quoad modum supernaturali: quia solis viribus naturæ nihil possumus ad vitam æternam positive conducens (3). — 3° Ut sit supernaturalis *quoad substantiam*, seu ordinis supernaturalis, adeoque ex gratia ejusdem ordinis, ut probabilior sententia docet adversus Vasquezium (4). — 4. Promissio præmii non requiritur ad meritum de congruo *fallibili;* sed requiritur ad meritum de congruo *infallibili*, ut patet.

§ III. Quæstiones.

1° An ad meritum de condigno requiritur ut actus sit a charitate? — 2° Undenam repetenda est quantitas meriti? — 3° An justi in hac vita semper possunt gratiam habitualem augere?

385. Q. 1° *An ad meritum de condigno vitæ æternæ et augmenti gratiæ, requiritur ut actus a charitate procedat?* — R. Non requiritur ut actus sit a charitate sive *elicitus* sive *im-*

(1) Vasquez, opp. t. 4, disp. 190, c 11, n. 107.
(2) Platel, *de gratia et merito*. Synopsis, § 7, n. 642. — (3) Cfr superiora, n. 94 seqq. — (4) Vasquez, de gratia opp. tom. 4, disp. 189, n. 126 et seqq. docet, ante actum fidei supernaturalis dari in infidelibus actus bonos ordinis naturalis, elicitos tamen ex prævia gratia ordinis ejusdem, sed, quoad modum, supernaturali, qui mereantur de congruo donum supernaturale et

peratus, sed sufficit ut sit actus supernaturalis iis conditionibus præditus, quas supra enumeravimus. Hæc sententia est plurimorum, Suarezii, Vasquezii (1), etc., adversus plures, maxime Thomistas, qui censent requiri ut opus a charitate sit *elicitum*, vel, ut minimum *imperatum*, eo saltem genere imperii quod appellant *proprie virtuale* imperium; videlicet, saltem imperatum per actum charitatis præteritum, sed moraliter perseverantem in continuata serie actionum, quæ ad finem charitatis sint ordinatæ. Prior sententia nobis probabilior videtur, magisque conformis cum Trid. Sess. 6, cap. 16 et can. 32; atque cum Christo dicente: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ... amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Matth. X, 42. — Posterior non paucis videtur fuisse sententia S. Thomæ (2). — *Nota*, Practice tamen suadendum omnibus ut conentur ex charitate agere; quia sic *tutiora*, vel certo *majora* merita sibi comparabunt.

386. Q. 2° *Undenam repetenda est quantitas meriti?* — R. A subjecto operante et ab ipso opere. — Si spectetur *subjectum*, quantitas meriti pendet a dignitate personæ operantis. Sic, in eodem opere, majus est meritum hominis justi qnam peccatoris; sic, in omnibus operibus Christi infinitum fuit meritum, ob infinitam personæ dignitatem (3).

387. Si spectetur *ipsum opus*, quantitas meriti repetenda est primo et principaliter ex charitate; hinc homo qui aliquod opus ex magna charitate facit, sæpe magis meretur quam alius, qui opus ex se majus et dignius, sed cum minori charitate peragit.

388. Secundo, ex specie seu dignitate operis, sic actus fidei et spei, cæteris paribus, sunt magis meritorii quam actus temperantiæ.

salutare, i. e. illuminationem quæ ad actum fidei requiritur. Porro gratiam illam ordinis naturalis dicit sitam esse in cogitatione honesta ordinis naturalis, sed *congrua*, seu efficaci in ordine ad illos actus bonos ab infidelibus obtinendos. Cfr. superiora de supernaturalitate gratiæ, n. 166.

(1) *Vasquez*, in 1, 2. S. Thom. tom. II, disp. 217, cap. 2 et seqq. — *Suarez*, t. 8, l. 12, c. 7, 8, 9, 10. — Cfr. Wirceburg. *De virtutibus theologicis*, disp. 5, *de charitate*. — (2) 1. 2, q. 114, art. 4. — Cfr. Bellarm. *De justificatione*, l. 5, cap. 5. — (3) Cf. tom. I, *De Incarn.* nn. 309, 311.

389. Tertio, ex quantitate operis, quæ duplex est : una scilicet *absoluta;* et hoc modo majus opus est, centum aureos distribuere pauperibus quam decem; alia vero *proportionalis :* et hoc modo pauper illa vidua, quæ duo minuta in gazophylacium misit, dicitur a Christo plus omnibus misisse (1).

390. Quarto, quantitas meriti augetur ex aliis circumstantiis v. g. durationis, intensionis, etc.; maxime vero ex operis difficultate, quando hæc scilicet ex ipsius operis conditione oritur. Nam si ex defectu charitatis, et propriæ voluntatis ignavia oriretur, meritum nequaquam augeret, imo potius minueret (2).

391. Q. 3° *An justi in hac vita possunt semper in gratia crescere?* — R. Admittenda quidem est aliqua definita limitatio et quasi sphæra, intra quam justorum progressus efficitur, et ultra quam protendi nequit. Ratio est, quod gratiæ auxilia, sine quibus justus in sanctitate crescere non potest, secundum certam mensuram ac legem a Deo statutam distribuuntur; ergo potentia crescendi in gratia, quæ ex illis consurgit, limitata est ad aliquem terminum extrinsecum ad quem pertingere non potest. Exempli causa, gratia personalis Christi Domini, est terminus extrinsecus ad quem cæteræ creaturæ ne appropinquare quidem possunt; item terminus extrinsecus augmenti gratiæ, respectu omnium hominum et angelorum, est gratia B. Virgini a Deo collata.

392. Hujusmodi tamen terminus, a Deo cuivis justo definitus, ita longe ab unoquoque remotus est, ut quilibet dum vivit, crescere semper in gratia possit si velit, secundum hæc : *Qui justus est justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.* Apoc. XXII, 11; — *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Prov. IV, 18. — Nec aliter SS. PP. loquuntur, ut S. Leo : *Hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos.* Serm. 2 de quadrag. (3).

(1) Marc. XII, 42.
(2) Cf. Suarez, t. 8, l. 12, c. 20 seqq.
(3) Cf. Suarez, t. 8, l. 9 c. 6.

TRACTATUS X.

DE SACRAMENTIS IN GENERE (1).

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Doctrina catholica.* — § III. *Errores contrarii.* — § IV. *Instrumenta theologica.* — § V. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum.

1. Hactenus consideravimus in se principium vitæ nostræ supernaturalis et salutis æternæ, divinam scilicet gratiam, quam Christus nobis suo sanguine promeruit copiosissimam, ut *ubi abundavit delictum superabundaret gratia* (2). Nunc vero investigandum jam est, quomodo divinus ille influxus ad nos usque dimanet; atque hujusmodi quæstio Tractatus *de Sacramentis* argumentum est. Nihil enim aliud *Sacramenta* sunt quam media et instrumenta, quibus Dei donum animæ nostræ communicatur; atque adeo canales, per quos divina gratia in nos influit.

2. Materia de Sacramentis, universim spectata, pertinet partim ad Jus Canonicum, partim ad Theologiam Moralem, ad Pastoralem, ad Liturgicam ; partim demum ad Dogmaticam : et sub hoc ultimo respectu tantum a nobis est evolvenda.

3. Inscribitur autem hic Tractatus *de Sacramentis in genere*, quoniam quæ omnibus Sacramentis communia sunt, primum tractantur; deinde vero singula in specie Sacramenta singulis Tractatibus exponuntur.

(1) S. Thom. p. 3, q. 60 seqq. — Suarez, opp. t. 18 et 19. — Lessius, *in 3 p. D. Thomæ prælectiones posthumæ, de sacramentis.* — Lugo opp. t. 5 et 6.— Præterea, in tota de sacramentis materia, maximo cum fructu consuli poterit *Theologia ad usum seminarii Mechliniensis*, nuper accuratissime edita. — (2) Rom. V, 20.

§ II. Doctrina catholica (1).

4. Sacramenta Novæ Legis a Jesu Christo instituta sunt omnino septem, nimirum : Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium; quæ gratiam continent quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt ex opere operato. Ex his porro sacramentis tria, Baptismus scilicet, Confirmatio et Ordo characterem imprimunt in anima indelebilem, unde ea iterari non possunt.

5. Omnia sacramenta tribus perficiuntur : videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis. Huic, ut valide sacramentum administret, non est necessaria fides neque probitas; sed intentio, saltem faciendi quod facit Ecclesia.

6. Certum est sacramenta operari gratiam, saltem virtualiter duplicem : altera est gratia sanctificans vel prima vel secunda; altera gratia *sacramentalis* dicta, quæ est, probabilius, quoddam jus annexum gratiæ sanctificanti ad specialia Dei auxilia, cujusque sacramenti fini accommodata.

7. In suscipiente non requiritur fides aut sanctitas ad valorem; sed in adultis, usu rationis gaudentibus, requiri intentionem, seu veram voluntatem id recipiendi quod ab Ecclesia datur, communiter docent Theologi.

§ III. Errores contrarii.

8. Errores alii sunt veterum, alii recentiorum hæreticorum.

9. I. Errores veterum juxta Bellarminum (2) ad quatuor capita revocari possunt : 1° Quidam *omnia* sacramenta tollebant, quales fuerunt *Gnosticorum* quidam, et *Archontici*, sæc. II; *Pauliciani*, sæc. VII; *Fratricelli* et *Beguardi*, sæc. XIII et XIV ineunte; qui omnes passim sacramenta despexerunt.

10. 2° Alii *quædam* sacramenta tollebant, ut *Novatiani* sæc. III, qui tollebant Pœnitentiam; *Manichæi*, sæc. III, qui tollebant Baptismum et Matrimonium; *Berengarius*, sæc. XI,

(1) Concil. Flor. *Decret pro Armenis.*; Trid. Sess. 7.
(2) *De sacramentis in gen.* cap. 1.

qui tollebat Eucharistiam; *Albigenses*, sæc. XII, qui tollebant Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem et Extremam Unctionem.

11. 3° Alii sacramenta virtute sua et efficacia spoliabant: ut *Massaliani* seu *Euchitæ*, sæc. IV, qui solis precibus collationem gratiæ tribuebant, non vero sacramentis, quæ tamen ut utilia retinebant.

12. 4° Alii demum certa sacramenta non rite intelligebant vel administrabant: ut *Marcosiani*, sæc. II, qui Baptismum non conferebant in nomine SS. Trinitatis; *Marcionitæ*, sæc. II, qui iterum et tertio Baptismum repetebant; *Rebaptizantes* et *Novatiani*, sæc. III; *Donatistæ*, sæc. IV, qui fidem in ministro essentialem esse asserebant; *Montanistæ*, sæc. III, qui imminuebant potestatem Clavium; *Arnaldus de Brescia*, sæc. XII; *Tanchelinus*, sæc. XII; *Waldenses*, sæc. XII et XIII; *Wicleffitæ*, et *Hussitæ*, sæc. XIV et XV, qui omnes asserebant probitatem in ministro esse essentialem.

13. II. Errores recentiorum in eo generatim consistunt, quod dicant, sacramenta esse nuda et vacua signa, aut saltem esse ejusdem ordinis ac sacramenta veteris Legis. Ita omnes Protestantes. Deinde non omnia sacramenta admittunt: *Calviniani* tantum recipiunt Baptismum, Eucharistiam et Ordinem; *Zwingliani*, Baptismum, Eucharistiam et Matrimonium; *Lutherus* modo unum, modo duo, modo tria recepit; *Confessio Augustana* statuit recipiendum Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam.

§ IV. Instrumenta theologica de Sacramentis.

14. I. Instrumenta *traditionalia*, præter testimonia multa sparsa in operibus SS. Patrum, sunt libri liturgici, Ritualia latina et Euchologia græca. Et hic notandum est, in materia de sacramentis, fontem argumentorum præcipuum in Traditione consistere. Circa sacramenta enim, generatim loquendo, S. Scriptura non adeo explicita est. Ideo non abs re judicavimus in memoriam revocare principia certitudinis traditionalis sequentia:

15. 1) *Quod apud multos unum invenitur non est erratum sed traditum.* Tertull. De præscript. cap. 28.

2) *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum sed semper retentum est, ab ipsa apostolica traditione manare rectissime creditur.* August. De Bapt. contra Donat. Lib. 4, cap. 24, n. 31.

3) *Illud est catholicum et verum, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est.* Vinc. Lirin. Commonit. c. 2.

4) *Quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, Ecclesia nec facit, nec approbat, nec tacet.* August. Epist. 55.

16. II. Instrumenta *canonica seu decretoria* sunt duo præcipua: 1° Decretum Concilii Florentini sub Eugenio IV, anno 1439, pro instructione Armenorum (1). — 2° Tridentinum Concilium, in Sessionibus 7, 13, 14, 21, 22, 23, 24.

17. — DECRETUM CONCILII FLORENTINI.

Novæ Legis septem sunt sacramenta; videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium : quæ multum a sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse figurabant : hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso perfectionem : duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia et roboramnr in fide; renati autem et roborati nutrimur divinæ Eucharistiæ alimonia. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur : spiritualiter etiam et corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam Unctionem : per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter : per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur: videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia : quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta, tria sunt : Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum, imprimunt in anima indele-

(1) Circa hanc instructionem notandum est, eam non esse definitionem de ministro, materia et forma sacramentorum, ut multi putarunt; sed instructionem tantummodo practicam : quæ tamen, ut talis, plenam habet auctoritatem. Ipsum decretum in fine distinguit inter *capitula, declarationes, definitiones, traditiones, præcepta, statuta* et *doctrinam*, quæ in ipso continentur.

bile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.

18. — CANONES CONCILII TRIDENTINI SESS. 7.

Can. 1. *Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo, Domino nostro, instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis sacramenta a sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre: quasi signa tantum externa sint, acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus; anathema sit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

Can. 10. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.*

Can. 12 *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit.*

Can. 13. *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.*

§ V. Divisio Tractatus.

19. Quæcumque ad sacramenta generatim pertinent reduci possunt ad sequentes quæstiones : 1° Quid est sacramentum, et an aliqua Sacramenta existunt? 2° Quæ sunt eorum causæ? 3° Qui sunt eorum effectus? — Prima quæstio respicit sacramentorum essentiam et existentiam ; secunda, sacramentorum causas, tum internas : materiam et formam ; tum externas : institutorum et ministrum ; tertia respicit sacramentorum causalitatem et effectum.

20. Hinc tria capita :

Caput I, *de sacramentorum essentia et existentia.*
Caput II, *de sacramentorum causis intrinsecis et extrinsecis.*
Caput III, *de sacramentorum causalitate et effectu.*

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTORUM ESSENTIA ET EXISTENTIA.

Articulus I, *de sacramentorum notione.*
Articulus II, *de sacramentorum N. L. existentia et numero.*

ARTICULUS I.

DE SACRAMENTI NOTIONE.

QUÆSTIONES.

1° *Quid significat nomen* SACRAMENTI ? — 2° *Quomodo sacramentum definitur ?* — 3° *Quid sunt sacramentalia, et in quo differunt a sacramentis ?* — 4° *Quomodo veram sacramenti notionem pervertunt sectarii ?*

21. QUÆR. 1° *Quid significat nomen* SACRAMENTI ? — R. *Sacramentum* vi vocis significat *rem sacram.* — *Sacrum* dicitur illud quod est separatum ab usu communi, et deputatum Deo ejusque cultui, *Sacrum* quandoque sumitur pro *sancto;* quanquam proprie *sanctum* significat id quod est purum, præsertim a peccato, inviolabile, venerabile. Vox autem *sacramentum* accipitur aliter apud scriptores profanos, aliter apud ecclesiasticos. Apud profanos designabat olim, modo pecuniam a litigantibus depositam in manu pontificis, donec causa decisa esset ; modo jusjurandum, præsertim militare, quod si miles violasset, diis Manibus caput ejus sacrabatur.

22. Apud scriptores ecclesiasticos latinos, *sacramentum* idem sonat ac μυστήριον apud græcos, et quadruplici sensu usurpatur. Significat enim : 1° religionem, præcipue christianam ; 2° rem secretam ; et occultam ac sacram ; 3° signum, symbolum, typum rei sacræ ; 4° sensu strictiore, signum rei sacræ pertinens ad sanctificationem hominis. Hoc strictiore

sensu sacramentum a nobis accipitur, et triplicem sacramentorum speciem comprehendit : sacramenta legis Naturæ, legis Mosaicæ et legis Novæ.

23. Q. 2° *Quomodo definitur sacramentum?* — R. 1° Sacramentum, prout complectitur generatim triplicem speciem modo dictam, ex mente Lessii (1), describi potest : *Cæremonia externa, ad homines aliquomodo sui usu sanctificandos, et veram animæ sanctitatem singificandam, divinitus instituta.* Vel, juxta S. Thomam (2) : *Signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.* — 2° Sacramentum Legis veteris describi potest : *Signum sensibile, a Deo institutum permanenter tanquam præfigurativum gratiæ per Christum dandæ, operans sanctitatem legalem, adjuvans ad sanctitatem internam* (3). — Sanctitas scilicet alia est *interna* seu *perfecta,* solis propria creaturis intellectualibus, consistens in gratia sanctificante ; alia *externa* seu *imperfecta* et *legalis*, sita in passiva quadam consecratione ad cultum divinum, vel in singulari cum Deo conjunctione : hæc rebus etiam inanimatis convenire potest, v. g. vasis et ornamentis altarium, quæ per cæremonias sacras ad cultum divinum deputantur. Levit. XII, 14 : *Omne sanctum*, i. e. Deo dicatum, *non tanget.*

24. — 3° Sacramentum N. L. breviter definit Catechismus Romanus : *Invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum* (4). Quandoque etiam brevius definitur : *Signum practicum gratiæ, a Christo institutum.* — Explicatius autem describi potest : *Signum sensibile a Christo permanenter institutum, quod sanctitatis tum significandæ tum efficiendæ vim habet.* Cujus definitionis singula verba perpendenda sunt (5). *Signum* est generatim id quod potentiam cognoscitivam, sive sensitiva ea sit sive intellectiva, ducit in cognitionem rei alterius. — Dividitur varie : *a*) in *sensibile*, ut signum crucis ; et *spirituale*, ut character sacramentalis. —*b*) In *naturale*, ut fumus indicans ignem ; et *arbitrarium*, ut vocabulum significans ideam mentis. — *c*) In *rememorativum, demonstrativum, prognosticum :* prout indicat rem præteritam, præsentem vel futuram. — *d*) In *symbolicum*, quod cum re

(1) *De sacram.* In p. 3, S. Thom. q. 60, art. 4. — (2) P. 3, q. 60, art. 2. — (3) Cf. Sylvius, in p. 3, q. 60, a. 2. — (4) Part. 2, n. 5. — (5) 3 p. q. 60, a. 1.

significata analogiam aut similitudinem habet; et *purum*, quod similitudine destitutum est. — *e*) In *speculativum*, quod rem nude significat ; et *practicum*, quod rem non tantum significat sed etiam causat. *f*) In *sacrum et profanum:* prout ad ordinem sacrum vel profanum pertinet.

25. Jam vero *sacramentum* in definitione ultimo loco citata, 1) dicitur *signum;* quia est in genere signi, ut S. Thomas loquitur, et non in genere causæ; id enim quod facit ut aliquid sit sacramentum, non est quod causet, sed quod significet; ut patet ex sacramentis veteris Legis, quæ gratiam non causabant sed significabant.

26. Porro sacramentum novæ Legis est signum—*a*) *sacrum*, tum ex parte *sui*, quatenus est res sive cæremonia sacra, ad cultum Dei ordinata, in loco sacro perficienda et a persona sacra; tum ex parte *rei significatæ*, quæ est gratia. — *b*) *Commemorativum*, nempe Passionis Christi, quæ est causa justificationis nostræ; *demonstrativum*, nempe gratiæ sanctificantis, quæ est forma justificationis ; *prognosticum*, nempe gloriæ futuræ, quæ ejusdem justificationis finis est. — *c*) Signum *arbitrarium*, non naturale ; quia quod sacramentum gratiam significet, præsertim modo sacramentali et practico, id non habet nisi ex institutione divina. Fundatur tamen hæc institutio in aliqua similitudine rei significantis cum re significata, unde et signum *symbolicum* dicendum est. — *d*) *Efficax* et *practicum*, non quidem omnium quæ sacramentum significat, sed *sanctitatis*.

27. 2) Dicitur in definitione, *signum sensibile*, h. e. in re sensibili institutum, ut est ablutio, unctio, certa verborum formula.

28. 3) *A Christo institutum*, i. e. auctorem habens Christum, qui, sicut est fons gratiæ, ita est ejusdem dispensandæ arbiter.

29. 4) *Permanenter*: scilicet debet esse institutio stabilis et permanens, frequentanda a tota religiosa societate, ita ut tamdiu perduret, quamdiu ipsa religio ad quam pertinet.

30. 5) *Vim habens et significandæ et efficiendæ sanctitatis* : hoc est, ut significet et producat gratiam sanctificantem vel ejusdem augmentum, et gratiam quæ dicitur *sacramentalis*.

31. Ex dictis facile cernitur, a ratione sacramenti excludenda esse manna deserti, serpentem æneum, etc. ; quia, licet hæc rem aliquam sacram præfigurarent, non erant tamen cæremoniæ sacræ, vel quid stabile a tota religione frequentandum. Excluditur item sacrificium, utpote quod ordinatur ad cultum ipsi Deo exhibendum : sacramentum autem ad sanctificationem hominum. Similiter excluditur martyrium, et lotio pedum fieri solita in Cœna Domini ; excluditur demum aquæ benedictæ aspersio et quodvis aliud sacramentale.

32. Q. 3° *Quid sunt sacramentalia, et in quo differunt a sacramentis?* — R. Sunt res aut actiones ab Ecclesia institutæ aut adhibitæ, ad quosdam effectus præsertim spirituales producendos : ex. gr. publicæ Ecclesiæ preces, benedictiones, aqua benedicta, etc. Vocantur *sacramentalia*, quia aliquam cum sacramentis similitudinem habent : sunt enim res sensibiles et sacræ, ad hominum sanctificationem institutæ. Differunt vero a sacramentis in eo præsertim, quod a Christo instituta non sunt, neque gratiam ex se, seu ex opere operato producunt.

33. Q. 4° *Quomodo veram sacramenti notionem pervertunt recentiores sectarii?* — R. Admittunt quidem sacramentum esse externum signum, sacrum ritum et cæremoniam ; sed id quod ei intrinsecum est, et quasi ejus animam constituit, rejiciunt : efficaciam scilicet seu vim sanctificandi, quam soli fidei tribuendam esse contendunt. Quapropter variæ, quas tradiderunt sacramenti definitiones, fere reduci possunt ad hanc : *Sacramentum est ritus et signum divinitus institutum ad excitandam fidem, vel ad dignoscendos Christi fideles* (1). — Juxta Zwinglium, sacramentum nihil aliud est quam *oppignoratio, qua se homines obligant Christo, ejusque militiæ dant nomen.* — Juxta Lutherum, est *ritus habens Dei mandatum, et annexam promissionem gratiæ, et remissionis peccatorum apprehensam per fidem in Christo.* In Confessionis Augustanæ apologia, c. 7, ita loquuntur Lutherani : *Si sacramenta vocemus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie sacramenta...*,

(1) Cf. Perrone, *De sacram. in gen.* n. 4.

Vere igitur sunt sacramenta : Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est sacramentum Pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei et promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti.

ARTICULUS II.

DE SACRAMENTORUM EXISTENTIA ET NUMERO.

Propositio unica, *de septenario numero sacramentorum.*
Quæstiones.

PROPOSITIO.

Septem sunt omnino N. L. sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, etc.

34. *De fide*, ut patet ex Trid. Sess. 7, can. 1.

35. Controversia cum Protestantibus non est de existentia sacramentorum; aliqua enim sacramenta existere ultro admittunt; sed de numero septenario quem rejiciunt, et qui propterea in propositione directe asseritur.

36. Quoniam naturam et proprietates sacramenti nondum probavimus, hoc loco, polemice contra Protestantes agentes, nomine septem sacramentorum intelligimus septem illos ritus, qui apud Catholicos dicuntur sacramenta; hosque contendimus perpetuo in Ecclesia exstitisse tanquam ritus divinitus institutos, et ejusdem generis ac Baptismum.

37. Dicitur in propositione *septem sacramenta omnino*, hoc est, nec plura, nec pauciora.

38. PROB. 1° Septem horum rituum Scriptura exhibet vestigia plus minusve clara :

1) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan. III, 5.

2) *Petrus et Joannes... imponebant manus super illos* (Baptizatos), *et accipiebant Spiritum Sanctum.* Act. VIII, 14 seqq.

3) *Hoc est corpus meum..: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite in meam commemorationem.* I Cor. XI, 23, seqq.

4) *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. XX, 23.

5) *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et*

orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Jac. V, 14.

6) *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* I Tim. IV, 14.

7) *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea... Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Eph. V, 35.

39. 2° In Patrum traditione habemus testimonia clara.

De Baptismo et Eucharistia loquuntur omnes. — De Confirmatione loquuntur Tertullianus, Cornelius Papa, Cyprianus, Cyrillus Hierosol.; — de Pœnitentia, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, et deinceps quotquot impugnarunt Montanistas et Novatianos; — de Extrema Unctione, Origenes, Victor Antiochenus, Chrysostomus, Innocentius I; — de Ordine, Chrysostomus, Epiphanius, Hieronymus, Optatus, Augustinus; — de Matrimonio, Ignatius, Tertullianus, Justinus, Augustinus. Hujusmodi autem Patrum testimonia, cum de singulis in specie sacramentis agetur, aliqua proferentur.

40. 3° In Ecclesiæ tum Occidentalis tum Orientalis usu et consensu, habemus testimonia evidentia. — Vetustissima enim Latinorum ritualia seu sacramentalia (1), euchologia Græcorum (2), Armenorum (3), aliarumque orientalium nationum (4), quæ ab Ecclesia Romana pluribus abhinc sæculis fuerunt separatæ, *septem nostra* exhibent sacramenta (5).

41. 4° In præscriptione habemus argumentum irrecusabile. Præscriptio considerari potest tum absolute, tum relative ad Protestantes.

42. Præscriptio absoluta ita statuitur : Ecclesia in possessione septem sacramentorum semper exstitit, nec ulla epocha assignari potest, qua aliquod ex iis primum administrare

(1) Apud Martenium, *De antiquis Ecclesiæ ritibus.*
(2) Apud Allatium, *De perpetua occid. et or. Eccl. consensione.*
(3) Apud Serpos, *Compendio storico di memorie chronol. concernenti la religione della naziona Armena, vol. III*, Venez. 1736.
(4) Apud Assemanum, *Biblioth. Orient.*
(5) Cfr. Renaudot, *La perpétuité de la foi de l'Eglise catholique sur les Sacrements.*

cœperit : ergo septem sacramenta ab Apostolis adeoque ab ipso Christo recepit.

43. Præscriptio respectu Protestantium ita statui potest : sæculo XVI, apparente Luthero cum sequacibus suis, Ecclesia universa septem sacramentorum possessione fruebatur ; ergo Lutherus et sequaces ejus, hæc sacramenta negantes, pro novatoribus habendi sunt. Porro Ecclesiam universam, seu potius universum christianum nomen, tunc temporis habuisse septem sacramenta patet, 1) ex Concilio Tridentino, quod Ecclesiæ Occidentalis et Catholicæ personam gerebat ; 2) ex publicis ecclesiarum orientalium testimoniis, quorum præcipua sunt : — *a*) responsio Jeremiæ CP. Patriarchæ ad Protestantes a° 1575, qua, cap. 7 declarat *septem esse Ecclesiæ sacramenta : Baptismum, S. Unguenti Unctionem, etc.* — *b*) Synodi adversus Cyrillum Lucar, in annis 1638 ac 1642 Constantinopoli, et 1672 Hierosolymis, sub Dositheo Patriarcha. In synodo CP. 1638, cui tres Patriarchæ et plurimi Episcopi intererant, decretum est : *Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, et credenti non esse ex institutione Jesu Christi, neque ex Apostolorum traditione, praxique perpetua, septem Ecclesiæ sacramenta, Baptismum scilicet, Confirmationem, etc.* (1).

44. 5° Confirmat ratio congruentiæ. Septem sacramenta Catholicorum ad omnes vitæ spiritualis necessitates parata sunt : sive hæc spiritualis vita consideretur in individuis, sive in communitate quæ est Ecclesia. Sicut enim vita supernaturalis in suo ordine analoga est vitæ naturali : ita in suo cursu et evolutione eamdem analogiam sequitur. Quemadmodum igitur in vita naturali, homo individuus nascitur, roboratur, alitur ; si in morbum incidit, medicina sanatur, et sublatis morbi reliquiis perfectæ incolumitati restituitur ; humana vero societas propagari debet et legitimo regimine gubernari : ita in vita spirituali, homo *nasci*, *roborari*, *ali*, *sanari*, *reconvalescere;* Ecclesia vero *propagari* et *regi* debet. Ad hos autem effectus obtinendos septem sacramenta ordinata sunt.

(1) Cf. Mansi, *Collect. Conc. t.* 21. col. 1629 et 1651.—Item Scheelstrate, *Acta orientalis Eccl. contra Lutheran. hæresim.*

45. OBJIC. 1° Nuspiam Scripturæ septem dari sacramenta commemorant; ergo. — R. *Dist. antec.* Nuspiam Scripturæ notis arithmeticis *septem* sacramenta commemorant, sicut nec *duo* nec *tria* enumerant, *conc.;* nuspiam commemorant, id est, non tradunt aut indicant unumquodque e septem sacramentis, *neg.* — *Et nego conseq.*

46. *Obj.* 2° Nuspiam Patres septem sacramenta commemorant; ergo. — R. Eadem esto distinctio. Patres pro data opportunitate sparsa de variis sacramentis testimonia reliquerunt; quæ, si simul conferantur, luculenter septenarium numerum adstruunt. Primum invenitur hic numerus expressus, non tamen ut inusitatus, in sermonibus S. Ottonis, apostoli Pomeraniæ, a° 1124. Deinde apud Hugonem a S. Victore, 1130; apud Magistrum Sent., 1140; in concilio Londinensi, 1237.

QUÆSTIONES.

1° *An etiam ante Christi adventum vera exstitere sacramenta?* — 2° *Quomodo sacramenta N. L. præstant anterioribus?* — 3° *Sacramenta N. L. suntne necessaria, an tantum convenientia?* — 4° *An conveniens est septenarius sacramentorum numerus?* — 5° *An septenarius ille numerus figuratus fuit in V. T.?* — 6° *An omnia sacramenta sunt dignitate paria?* — 7° *Quid sentiendum de ordine quo a Tridentino enumerantur?* — 8° *Quomodo varie dividuntur?*

47. QUÆR. 1° *An etiam ante Christi adventum vera exstitere sacramenta?* — R. In quæstione de existentia sacramentorum ante Christi adventum, distinguendi sunt varii hominum status; scilicet innocentiæ, sub lege naturæ, sub lege Moysis. — *In statu innocentiæ* fuisse sacramenta communis opinio negat: cum videatur homo tunc non indiguisse sensibili adminiculo, ut ad invisibilia se converteret. — *Sub lege naturæ* homo hujusmodi adminiculis indiguit, neque caruisse putandus est. Fuisse saltem unum sacramentum pro parvulis, ceu remedium aliquod ad tollendum originale peccatum, communis est sententia. S. Thomas (1) *probabile* existimat, *quod parentes fideles, pro parvulis natis, et maxime*

(1) P. 3, q. 70, art. 4.

in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei.—Circumcisionem ab institutione sua valuisse ad justificationem, probabilis juxta S. Augustinum opinio est; quod tamen peccati originalis remedium non censendum est exclusivum fuisse. — *Sub lege Moysis* fuere plura sacramenta. Legi enim, tanquam pædagogo ad Christum, conveniebant plura et magis determinata signa, quibus Christum et legem gratiæ congrue præfiguraret. Itaque præter Circumcisionem, enumerantur a S. Thoma triplicis generis Mosaica sacramenta: *consecratio sacerdotum*, *esus agni Paschalis*, et *lustrationes* quibus ab immunditiis legalibus Judæi purgabantur (1).

48. Q. 2° *Quomodo sacramenta N. L. præstant anterioribus?* — R. Præstant numero, claritate et dignitate. Sacramenta primæva, ut Hugo a S. Victore adnotat (2), fuere tanquam umbræ; intermedia tanquam imagines et figuræ; novissima vero, hoc est, christiana, corpus sunt et realitas Hæc enim vero non jam sunt signa muta, sed verbis animata; non tantum gratiam significant, sed continent et effundunt; non tantum sunt cæremoniæ ad cultum pertinentes, sed totius cultus christiani basis atque substantia.

49. Q. 3° *Sacramenta N. L. suntne necessaria an tantum convenientia?* — R. Duplex distinguitur necessitas sacramentorum: necessitas *usus* et necessitas *institutionis*. Quæstio hoc loco est de necessitate institutionis; de qua dicendum est, institutionem sacramentorum ad humanam salutem non fuisse necessariam necessitate *absoluta*, cum Dei potestas nequaquam adstricta sit ad hæc vel illa media; sed necessitate *congruentiæ*, quæ variis rationibus explicatur. Nam sacramenta institui congruum fuit (3): 1) ut homo juxta modum sibi proprium cœlestem gratiam et gloriam consequeretur. Humanæ namque naturæ proprium est, per corporalia et sensibilia ad spiritualia et intelligibilia deduci. Unde S. Chrysost. in Homil. 60, ait: *Si incorporeus esses, incorporea dedisset ipse tibi dona; nunc autem quia conjuncta est corpori anima*

(1) Cfr. Becanus, *Analog.* cap. 15.—(2) *De sacram.* lib. I, part. 8, cap. 12.
(3) Cfr S. Thom. 3 p. q. 61, art. 1. — Catech. Rom. parte 2, n. 13.

tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradidit. 2) Ut sic apte humiliaretur homo, dum a rebus sensibilibus et infra se positis, sanctitatem amissam quasi repetere cogeretur. 3) Ut demonstraretur omnipotentia Dei, qui solus per res sensibiles spiritualem vitam gratiæ producere potest. 4) Ut existerent notæ quædam ac signacula, et vincula, quibus visibilis Ecclesiæ membra inter se colligarentur et ab aliis distinguerentur. 5) Ut in sacramentis haberentur totidem documenta et simul testimonia fidei nostræ. 6) Demum consentaneum erat œconomiæ redemptionis nostræ, ut sacramenta essent, quæ sensibili forma divinam gratiam continerent. Hæc enim respondent Auctori salutis, qui invisibilem divinitatem corporali humanitati conjunxit; respondent quoque Ecclesiæ conditioni, quæ ad imaginem facta sui Sponsi, et ipsa thesauros invisibiles visibili societate conservat.

50. Q. 4° *An conveniens est septenarius sacramentorum numerus?*—R. Numerus hic convenientissimus est, quia respondet cunctis vitæ spiritualis necessitatibus, sive hæc vita in membris sive in corpore Ecclesiæ consideretur, prout in argum. 4° præcedentis propositionis explicatum est. Neque tantum relate ad subjectum, sed etiam ad se invicem septem sacramenta aptissime comparata sunt; cum pulcherrimum systema, cujus centrum et caput est Eucharistia, constituant.

51. Q. 5° *An septem N. L. sacramenta in V. T. fuere figurata?*—R. Videntur figurata fuisse septem illis columnis, quas increata et incarnata Sapientia excidit, et quibus domum suam Ecclesiam imposuit (1); item candelabro aureo quod vidit Zacharias (2), in quo septem erant lucernæ ardentes et septem infusoria ex auro (3).

52. Q. 6° *An omnia sacramenta sunt dignitate paria?* — R. Nequaquam; inter omnia enim dignitate supereminet augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ad quod veluti ad centrum suum reliqua omnia referuntur (4). Quare Trid. Sess. 7, can. 3, definit: *Si quis dixerit, hæc septem sacramenta*

(1) Prov. IX, 1. Cfr. Hebr. III, 3 et 6. — (2) Cap. IV.
(3) Cfr. *A Lapide*, in hunc locum. — (4) Cfr. S. Thom. p. 3, q. 65, art. 3.

ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.

53. Q. 7° *Quid sentiendum de ordine quo sacramenta a Tridentino enumerantur?* — R. Hic ordo, ut adnotat Bellarminus (1), non est ordo *dignitatis*, sed potius *prioritatis seu usus* (2), tum respectu individuorum, tum respectu communitatis Ecclesiæ; seu est ordo procedendi, juxta quem Ecclesiæ membra perficiuntur: primo in seipsis, deinde vero respectu aliorum.

54. Q. 8° *Quomodo varie dividuntur?*—R. 1) In sacramenta vivorum et mortuorum.

2) In imprimentia characterem ac non iterabilia, et in non imprimentia characterem ac iterabilia.

3) Alia sunt necessaria necessitate medii, alia necessitate præcepti tantum, alia liberæ electionis.

4) Alia unicuique particulari directe prosunt; alia, nimirum Ordo et Matrimonium, etiam directe communitati.

5) Aliud est validum simul et fructuosum, quod *formatum* dicitur; aliud validum, sed non conferens gratiam ob indispositionem suscipientis, quod ideo *informe* vocatur.

6) Denique sacramentum si informe fuerit, aliud est reviviscens, aliud non reviviscens.

(1) *De sacram.* l. 2, cap. 28.— 2) Cfr. S. Thom. p. 3, q. 65; item Wirceb. Theol. *De sacramento Bapt.* n. 1.

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRAMENTORUM CAUSIS INTRINSECIS ET EXTRINSECIS.

55. Causæ sacramentorum intrinsecæ sunt materia et forma; extrinsecæ vero, minister et objectum; unde:

Articulus I, *de materia et forma atque huc spectantibus.*
Articulus II, *de Christo instituente.*
Articulus III, *de ministro conferente.*

ARTICULUS I.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM ATQUE HUC SPECTANTIBUS.

QUÆSTIONES.

1° An singula sacramenta perficiuntur REBUS *tanquam* MATERIA *et* VERBIS *tanquam* FORMA? — *2° An vario sensu possunt accipi hæc nomina :* SACRAMENTUM *novæ Legis;* RES *et* VERBA ; MATERIA *et* FORMA? — *3° Quomodo intelligendum est quod asseritur Decreto ad Armenos : Quodlibet sacramentum N. L. perfici rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma?* — *4° Verba formæ suntne concionatoria an consecratoria?* — *5° Quid sunt cæremoniæ sacramentorum?* — *6° Quænam est cæremoniarum utilitas?* — *7° An Ecclesia potestatem habet cæremonias instituendi?*

56. QUÆR. 1° *An singula sacramenta perficiuntur rebus tanquam* MATERIA *et verbis tanquam* FORMA? — R. Hæc assertio : *omnia N. L. sacramenta perficiuntur rebus tanquam materia et verbis tanquam forma*, admitti debet, saltem *quod attinet ad loquendi modum*. Habetur enim expresse in Decreto pro Armenis, quod a Florentino Concilio approbatum est (1). Quod vero spectat ad hunc loquendi modum intelligendum seu interpretandum, potest esse, atque revera est, opinionum nunnulla varietas.

(1) Cf. Bellarm. *De Sacram. in gen.* l. 1, c. 18.

57. Nec obstat, hæc nomina : *materia et forma sacramentorum*, non esse valde antiqua : cum constet ea ante sæc. XIII, nec ab Anselmo, nec ab Hugone Victorino, nec a Magistro Sententiarum fuisse usurpata ; sed tantum circa annum 1215, ut Morinus existimat, probabiliter a Guillielmo Antissiodorensi adhiberi cœpta. — Etenim respondetur, illa nomina ab Ecclesia, non tantum Occidentali, sed etiam Orientali fuisse adoptata : quod constat ex Conc. Florentino et Trid. ; tum etiam ex declarationibus Jeremiæ CP. 1575, et Dosithei Jerosolym. 1672. Cæterum, si antiquitus minus nota fuere vocabula, non fuit ignota res ipsa : quod patet vel ex Augustino : *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum.* Tract. 8 in Joan.

58. Q. 2° *An vario sensu possunt accipi hæc nomina* SACRAMENTUM *N. L.;* RES *et* VERBA ; MATERIA *et* FORMA ? — R. Diversis significationibus possunt hæc nomina usurpari ; quas juvat breviter indicare ut sequenti quæsito 3° distincte respondeatur.

59. 1) *Sacramentum N. L.* potest accipi adæquate vel inadæquate, et quidem tum materialiter tum formaliter. Etenim in quovis sacramento N. L. reperire est elementum duplex : alterum *quasi materiale;* et est totum illud sensibile (ex. gr. in Baptismo, complexus ex ablutione aquæ et verbis : *Ego te baptizo,* etc.) quod proxime determinatur atque elevatur ad *esse* sacramentale, seu ad *esse* significativum atque productivum gratiæ : alterum *quasi formale;* et est id quod, materiali elemento veluti applicatum, illud determinat ad *esse* sacramentale. Porro quando utrumque illud elementum simul junctum spectatur, sacramentum accipitur adæquate ; quando vero spectatur præcisive alterutrum e duobus his elementis, sacramentum accipitur *inadæquate;* et quidem formaliter, si spectetur elementum formale, materialiter, si materiale.

60. 2) *Verba* et *res* possunt vocari, tum ea quæ *physice* et *proprie* sunt talia ; tum ea quæ tantum æquivalenter sunt talia. Vocatur *proprie et physice* VERBUM seu vocabulum : *Vox articulata ab homine prolata, conceptuum ex instituto significativa.* — Dicitur vero *æquivalenter* VERBUM : *Signum sensibile ab homine prolatum, voci articulatæ in ordine ad conceptus*

significandos æquivalens; cujusmodi sunt nutus, gestus, etc. Pariter vocatur *proprie* et *physice* RES (quando accipitur ut aliquid oppositum verbo seu contradistinctum a verbo) : *Objectum sensibile, quod verbum non est.* Dicitur vero RES *æquivalenter* seu *moraliter* : *Objectum sensibile, quod, licet sit verbum, non tamen consideratur, quatenus verbum est,* sed quatenus rei proprie tali æquivalet in ordine ad certos effectus.

61. 3) *Formæ* nomine generatim venit : *Elementum determinans alterum, per unionem sui cum illo utriusque completivam;* nomine *materiæ* vero : *Elementum determinabile* per formam (1). Porro materia et forma sacramenti potest concipi multiplex. Nam utraque potest esse : — *a*) ratione distinctionis mutuæ, vel invicem *realiter distincta*, ut in Baptismo; vel *tantum virtualiter*, ut in matrimonio (2). — *b*) Ratione *sui*, vel *transiens* vel *permanens* : sic in Eucharistia, substantia panis et vini est materia transiens : species vero sacramentales sunt materia permanens. — *c*) Ratione *modi* quo sacramentum perficit, vel *intrinseca*, quæ nempe sacramentum perficiat ut causa ejus intrinseca, adeoque per modum partis ex qua sacramentum constet : ut ablutio in Baptismo; vel *extrinseca*, adeoque non per modum partis. Porro materia extrinseca quæ nempe sacramentum conficiat ut causa ejus extrinseca vocatur etiam materia *circa quam* cum circa illam sacramenti confectio versetur : intrinseca vero dicitur *ex qua*. — Generatim *materia*, ratione *necessitatis suæ*, potest esse *essentialis* vel *integralis* : prout ad essentiam vel ad integritatem sacramenti necessaria est. Sic in Eucharistia, panis triticeus et vinum de vite sunt materia *essentialis* sed *circa quam;* in sacramento Pœnitentiæ, confessio peccatorum est materia *essentialis* et *ex qua* : pœnitentia vero a pœnitente adimplenda est materia *ex qua*, sed *integralis*. — Speciatim *materia intrinseca* seu *ex qua*, ratione *dispositionis suæ*, potest esse *proxima* vel *remota* : prout habet vel non habet omnes dispositiones requisitas ad formam immediate suscipiendam, et cum ea sacramentum constituendum. Sic in Baptismo, aqua est mate-

(1) Cf. tom. 1, *De Trin.* n. 13 et seqq. ubi de definit. *formæ* et *materiæ*.
(2) Cf. tom. 1, *De Deo*, n. 64, ubi de *distinctionis* notione, et n. 98 seq., ubi de notione *compositi*.

ria *ex qua*, *remota;* ablutio per aquam est materia *ex qua*, *proxima.*

62. Q. 3° *Quomodo intelligendum est quod asseritur ex Decreto ad Armenos : Quodlibet N. L. sacramentum perfici rebus, tanquam materia, et verbis, tanquam forma?* — R. Intelligendum est — 1) de sacramento *materialiter inspecto*; ita ut sensus sit hujusmodi : in quovis sacramento totum illud sensibile, quod ad *esse* sacramentale elevatur (1), (ex. gr. in Baptismo, complexus ex aquæ ablutione et verbis : *Ego te baptizo*, etc.,) perficitur rebus, etc. Cæteroquin enim, si loquamur de sacramento adæquate sumpto, perficitur tanquam materia rebus et verbis simul rite conjunctis; tanquam forma vero, institutione Christi, quæ complexum illum rerum atque verborum ad gratiam significandam ac producendam elevat. — 2) De materia et forma etiam *intrinseca*, saltem quoad ea sacramenta quæ in usu et actione transeunte consistunt : ita Suarez cum multis (2). — 3) De rebus et verbis *physice* vel *saltem æquivalenter* talibus : sic theologi communius.

63. Q. 4° *Verba formæ suntne concionatoria, an consecratoria?* — R. Protestantes docuerunt verba illa esse tantum concionatoria, juxta principium suum quo statuunt, sacramenta tantum ad fidem nutriendam esse instituta; quod damnavit Trid. Sess. 7, can. 5. At catholica veritas docet, verba sacramenti esse vere consecratoria; i. e. consecrantia materiam ; quo fit, ut materia non tantum e profana fiat sacra; sed etiam fiat pars sacramenti et concausa gratiæ. Hæc verborum virtus luculenter patet ex Baptismo parvulorum, qui validus semper est habitus, licet infantes nihil de verbis percipiant. Aliunde id ipsum Scriptura et Patres testantur : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* I Cor. X, 16. — Vetus auctor libri De sacramentis : *Ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Lib. 4, c. 4, n. 14.

(1) Complexus materiæ et formæ simul junctarum, cum sua significatione naturali, quam videlicet retineret, etiamsi sacramentum non esset, utpote naturaliter vel institutione humana ex rebus et verbis exurgentem, elevatur institutione Christi ad gratiam cuique sacramento propriam significandam atque efficiendam.— (2) Cf. Suar. tom. 18, disp. 2, sect. 2.

64. Q. 5° *Quid sunt cæremoniæ sacramentorum?* — R. Sunt accidentales ritus, ab Ecclesia in sacramentorum administratione laudabiliter usurpati. — *Cæremonia* et *ritus* (1) affinia sunt significatione vocabula, quæ, licet aliquando promiscue adhibeantur, non tamen plane confundi possunt. *Ritus* generatim dicitur quicumque *mos*, quæcumque *consuetudo probata*. — Cæremonia vero est *ritus externus habens peculiarem aliquam dignitatem*, *solemnitatem*, *vel significationem*. — Cæremonia, ut et ritus, distinguitur in *civilem* et *religiosam*; religiosa porro in *sacramentalem* et *non sacramentalem*, prout pertinet vel non pertinet ad sacramenta.

65. *Ritus sacramentalis* est duplex, alter *substantialis* ipsius sacramenti saltem partialiter constitutivus; alter *accidentalis*, sacramenti substantiam non attingens (2). Posterior, qui communiter nomine sacramentalis cæremoniæ venit, et solus hic est explicandus, describi potest : *Exterior actio religiosa*, *aut circumstantia*, *vel conditio ejus*, *in sacramentorum administratione et sacrificii oblatione*, *ab Ecclesia observata* (3). Hujusmodi sunt luminaria, vestes, signa crucis, precationes, cantus, etc.

66. Q. 6° *Quænam est cæremoniarum utilitas?* — R. 1) Cæremoniæ, tum antiquitate tum significatione maxime venerabiles, ad reverentiam sacramentis conciliandam egregie conferunt. 2) Juvant ad majestatem et ornatum cultus, qui cæremoniarum dignitate nudatus statim vilescit. 3) Inserviunt devotioni fidelium, quæ externis et sensibilibus rebus excitari et foveri solet. 4) Inserviunt instructioni fidelium : juvant enim intelligentiam, præsertim rudium, quibus sunt loco Scripturæ; juvant et memoriam, ex qua divina mysteria et beneficia, nisi frequenter variis cæremoniis repræsententur, brevi oblitterantur. 5) Sunt protestatio fidei et religionis. 6) Distinguunt Catholicos et custodiunt ab hæreticis sacras cæremonias respuentibus.

(1) Cfr. infra Tract. *De Euchar.* part. 2, cap. 3, art. 1, quæst. 4, n. 331.
(2) Cfr. Theol. Mechlin. *De sacram. in gen.* n. 48.
(3) Suar. t. 18, disp. 15, sect. 1, 2.

67. Q. 7° *An Ecclesia potestatem habet cæremonias instituendi?* — Resp. affirmative. Etenim 1) Christus Apostolis, eorumque successoribus omnem contulit potestatem ad convenienter Dei cultum ordinandum et sacramenta dispensanda: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei,* I Cor. IV, 1; — *Cætera cum venero disponam,* I Cor. XI, 34 (1). — Atqui ad convenientem illam ordinationem et dispensationem maxime conducunt cæremoniæ, ut ex modo dictis patet; ergo. 2) Constat e SS. Patribus Ecclesiam ab apostolicis temporibus hac potestate usam esse; porro, ut Augustinus ait, *disputare contra id quod facit universalis Ecclesia, insolentissimæ insaniæ est.* Quare merito Concilium Trid. asserit, *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret* (2). Hinc quoque rectissime tulit hunc canonem: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit* (3).

ARTICULUS II.

DE CHRISTO INSTITUENTE.

Propositio unica, *de sacramentorum divina institutione.*
Quæstiones.

PROPOSITIO.

Omnia et singula N. L. sacramenta Christus immediate et per seipsum instituit.

68. Prima pars, Christum instituisse omnia sacramenta, *de fide* est, ex Trid. Sess. 7, can. 1; secunda pars, Christum ea immediate et per seipsum instituisse, *certa* apud Theologos sententia est.

(1) Cfr. tom. 1, *De Eccl.*, n. 123 seqq.
(2) Sess. 21, cap. 2.
(3) Sess. 7, can. 13.

69. Propositio hæc non est juris, sed facti; enuntiat enim quis institutor sacramentorum sit, non vero quis esse potuisset.

70. Dicitur *Christum instituisse sacramenta*; sed instituere potuisset mediate vel immediate. *Mediate,* h. e. per Apostolos vel Ecclesiam, ex speciali mandato; et sic Extremam Unctionem ab Apostolis fuisse institutam post ascensionem Domini, olim asseruerunt Hugo .Vict. et Magister Sent.; sic etiam Alexander Alensis Confirmationem a concilio Meldensi 845, originem habere putavit. — *Immediate* Christus instituit sacramenta, si per seipsum, sicut Eucharistiam, ita reliqua tradidit Apostolis dicens: *Hoc facite;* quæ sententia in propositione asseritur.

71. PROB. I PARS. 1° *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* I Cor. IV, 1. Ergo non instituendi sacramenta, sed ministrandi et dispensandi potestatem acceperunt Apostoli.

72. 2° S. Ambrosius, vel vetus scriptor sub ejus nomine: *Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* De sacram. lib. 4, cap. 4.

73. 3° Ratione theol. Sicut Deus auctor est gratiæ, ita arbiter est et auctor modi quo vult eam dare; et sicut eam tribuit cui vult, ita etiam quomodo vult largitur.

74. II. PARS. *Immediate.* 1° Hic est sensus obvius Trid. Sess. 7, can. 1.

75. 2° Idem est sensus obvius I Cor. IV, 1; quod clarius patet ex collatione eorum quæ dicit Apostolus cap. præced. 4 et 5: *Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis.*

76. 3° Ex inductione. Quædam sacramenta novimus immediate a Christo instituta; ergo inductione concludimus, reliqua omnia sic instituta fuisse. — Quod si dubitandi locus esset, hic præcipue circa Extremam Unctionem existeret; at Trid. Sess. 14, de Extr. Unct. can. 1, dubium sustulit.

77. 4° Si quædam sacramenta instituisset Ecclesia, mutare posset eorum substantialia, sicut eorum ritus, quos ipsa instituit; sed Trid. sat aperte negat hanc potestatem competere Ecclesiæ, dum Sess. 21, cap. 2, docet quidem esse potestatem

in Ecclesia mutandi sacramentorum ritus, at *salva eorum substantia ;* hoc est, non posse Ecclesiam immutare eorum materias et formas, sub ea ratione sub qua eas Christus instituit.

QUÆSTIONES.

1° Cuinam competit sacramentorum institutio? — 2° An Christus omnium sacramentorum materias et formas determinavit?

78. QUÆR. 1° *Cuinam competit sacramentorum institutio?* — R. Si quæstio sumatur in thesi generali, cuinam nempe institutio sacramenti competere possit, dicendum : institutor *principalis* non potest esse nisi Deus, ad quem solum pertinet determinare media dispensandæ suæ gratiæ. Quare Christus, qui Deus-Homo est, hac principali potestate gaudet : non solum secundum voluntatem divinam, sed etiam secundum voluntatem humanam, quæ, utpote conjuncta personæ Verbi, illam principalitatem potestatis participat (1) : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Matth. ult. — Potest tamen Deus, juxta S. Thomam (2), puro homini communicare potestatem instituendi sacramenta, sed tantum ministerialem et quasi delegatam.

79. Quod si quæstio sumatur in hypothesi præsentis providentiæ, utrum revera sacramentorum institutio reservata sit soli Christo, an etiam Ecclesiæ communicata, dicendum : Christo soli reservata esse videtur : nullibi enim legimus Ecclesiam hanc potestatem accepisse ; imo potius non accepisse positivis argumentis suadetur (3).

80. Q. 2° *An Christus omnium sacramentorum materias et formas determinavit?* — R. 1) Christum aliquo modo determinasse sacramentorum omnium materiam et formam, certa Theologorum sententia est. Christus, enim, ut probavimus, est immediatus auctor sacramentorum N. L. ; sed immediatus auctor alicujus compositi ille proprie dicitur, qui ejus materiam et formam instituit ac determinat ; ergo.

(1) Cfr. S. Thom. p. 3, q. 64, art. 3.— Cf. infra, de ministro, n. 88.
(2) Ibid. art. 4. — (3) Cfr. dicta in propos. præced.

81. 2) Christum non determinasse sacramentorum omnium materias et formas eodem modo, sed alias *in specie infima*, alias plus minusve *generice*, communius existimatur.

82. 3) Certum est Christum non determinasse materias *in individuo ;* neque formam determinasse quoad verba vel quoad idioma , sed tantum quoad substantiam vel sensum.

83. 4) Certa quoque Theologorum sententia est, Christum in specie materiam et formam Baptismi et Eucharistiæ determinasse.

84. 5) Idem communius asserunt DD. de sacramentis Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis et Matrimonii.

85. 6) Quod attinet ad Confirmationem, non pauci tenent determinationem fuisse genericam.

86. 7) De sacramento Ordinis gravior exstat controversia, inde potissimum nata, quod Ecclesia græca illud conferat aliis ritibus ac latina; imo ipsa Ecclesia latina non iisdem plane ac hodie ritibus olim usa sit. Quære multi Doctores asserunt Christum materiam et formam Ordinis *in genere* tantum designasse, relicta Ecclesiæ potestate res et Verba *in specie* determinandi, quæ pro variis locis et temporibus magis convenirent.—Hanc tamen sententiam alii rejiciunt utpote quam putant minus consonare cum Tridentino dicente, Ecclesiam quidem gaudere potestate circa sacramenta, at *salva eorum substantia.* Quapropter recentiores auctores non pauci tenent, materiam et formam Ordinis, ut et sacramentorum omnium, a Christo in specie determinatas fuisse.

ARTICULUS III.

DE MINISTRO CONFERENTE.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1° *Quotuplex distinguitur causa efficiens gratiæ in sacramentis?* — 2° *Quomodo Christus operatur in sacramentis?* — 3° *Quotuplex distinguitur sacramentorum minister?* — 4° *Quid circa sacramentorum administrationem inquirendum est?*

87. QUÆR. 1° *Quotuplex distinguitur causa efficiens gratiæ in sacramentis?* — R. Quintuplex: 1) *principalis*, qui est solus Deus; 2) *meritoria*, quæ est Passio Christi; 3) *ministerialis minus principalis* et *secundario* seu *remote instrumentalis*, qui est homo sacramentum conferens; 4) *instrumentalis proxima*, quod est ipsum sacramentum; 5) *ministerialis et instrumentalis principalis*, quæ est humanitas Christi, seu Christus ut homo.

88. Q. 2° *Quomodo Christus in sacramentis operatur?* — R. Christus interiores sacramenti effectus operatur non tantum ut est Deus, per potestatem seu *auctoritatem supremam*: sed etiam ut est homo, per potestatem *ministerii principalis*, sive *excellentiæ*. Potestas autem excellentiæ consistit in quatuor (1): 1) in eo, quod Christus per merita sua vim et efficaciam sacramentis tribuere potuerit; 2) quod ipse solus sit principalis et proprio jure sacramentorum minister: quare ab aliis ministrari non possunt, nisi tanquam vicariis, Christi nomine et loco agentibus; 3) quod ipse solus potuerit sacramenta instituere; 4) quod ipse solus sacramentorum effectum etiam sine sacramentis conferre possit, ut contulit Magdalenæ et paralytico (2).

89. Q. 3° *Quotuplex distinguitur sacramentorum minister?* —R. Quadruplex. 1) Alius est enim *principalis*, scilicet Christus, per potestatem excellentiæ; alius *minus principalis seu*

(1) S. Thom. p. 3, q. 64, art. 3.— (2 Luc. VII, 48; Matth. IX, 2.

secundarius, qualis esse potest, de lege Dei ordinaria, solus homo viator.

90. 2) Minister secundarius alius est *ordinarius*, alius *extraordinarius.*

91. 3) Minister secundarius iterum, alius est *solemnitatis*, qui speciali consecratione ad sacramentum ministrandum est deputatus; alius *necessitatis,* qui absque speciali consecratione mere deputatur pro necessitate.

92. 4) Respectu Eucharistiæ, distinguitur minister *conficiens* et minister *dispensans.*

93. Q. 4° *Quid circa sacramentorum administrationem inquirendum est?*—R. Inquirendum 1) quis sit minister (secundarius) legitimus; 2) quænam sint in eo requisita ut *valide* ministret: an requiratur intentio, an vera fides, an probitas vel sanctitas?—Unde consideranda veniunt quatuor: ministri *persona, intentio, fides, probitas.*

94. Circa personam ministri errant Protestantes docendo, omnes baptizatos esse legitimos omnium sacramentorum ministros, saltem *radicaliter*, nec requiri nisi vocationem multitudinis, ut *actu ministerium exercere* possint. — Catholici e contra docent, ministros esse tantum quasdam personas, quæ Christi voluntate determinatæ sunt inter homines viatores. Quæ doctrina de sacramentis singulis infra probabitur; hic duntaxat de requisitis in ministro agendum.

PROPOSITIO I.

Ut valeat sacramentum, non requiritur in ministro fides aut sanctitas.

95. *De fide*, quoad sanctitatem, ut definit Trid. Sess. 7, can. 12. Errorem contrarium jam damnaverat Melchiades Papa adversus Donatistas sæc. IV, et Conc. Constant. adversus Wicleffitas et Hussitas. — *Altera pars* propositionis, de non necessitate fidei, quatenus spectat ad Baptismum, *de fide* est, ut constat ex Trid. can. 4 *de Bapt.* Quod vero attinet ad sacramenta reliqua (si Pœnitentiam excipias, quæ invalide a sacerdote acatholico administratur, non quidem ex defectu fidei, sed ex defectu jurisdictionis, qua carent acatholici (1)),

(1) In periculo mortis potest pœnitens valide absolvi etiam a sacerdote

certa est ac *fidei proxima*. Etenim quæ Conc. Trid. de Baptismo pronuntiat, ob intimam analogiam, de reliquis sacramentis dicta etiam intelligi debent (1).

96. Dicitur in propositione : *ut valeat ;* quia agitur de *validitate* non de *liceitate* administrationis, quæ apprime distinguenda sunt. Sciendum enim est, ut Catechismus Concil. Trid. tam nitide exponit, ministrum sua pravitate sacramenti virtutem impedire non posse, sed sibimetipsi damnationem acquirere.

97. *Non requiritur fides*, ideoque ab hæretico aut infideli collatum sacramentum omnino valet. Circa hoc dogma, nondum tunc satis eliquatum, exorta est in Africa, sæc. III, celebris quæstio, quæ *rebaptizantium* vocatur. Agrippinus, Carthaginiensis Episcopus, S. Cypriani antecessor, statuerat (217), esse rabaptizandos eos qui ab hæreticis fuerant baptizati. Postea Cyprianus, in duplici synodo (255 et 256), item decrevit. Re delata Romam ad Stephanum Papam, obstitit Stephanus et respondit : *Si quis a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam... Quod accepimus ab Apostolis hoc sequimur.* Simul Pontifex litteras minitabundas ad Cyprianum dedit, nec non ad Firmilianum Cæsariensem Episcopum, qui cum Episcopis Ciliciæ, Cappadociæ et aliis, Cypriani erat in errore socius. — Licet autem intentarit utrique Præsuli excommunicationem Stephanus, non tamen tulit ; verosimiliter exoratus precibus Dionysii Alexandrini, qui teste Eusebio (2), pro Firmiliano præsertim ac cæteris Asiaticis, ne eos a communione præcideret, apud Stephanum intercesserat. — Utrum Stephanus hanc quæstionem ad fidem, an ad disciplinam pertinere censuerit, non omnino certum est ; saltem non definivit *ex cathedra* ut dogma fidei ; sed Cypriani opinionem ut contrariam traditæ consuetudini rejecit. — Stephanus martyrio coronatus est sub Valeriano, anno 257, Cyprianus similiter 258. Firmilianum vero Ecclesia græca inter Sanctos constanter coluit.

hæretico aut schismatico, catholicis deficientibus ; tunc enim jurisdictionem supplet Ecclesia. — (1) Cfr. Perrone, *De sacram. in gen.* n. 106.
(2) *Hist* lib. 7, cap. 4.

98. Errorem Rebaptizantium renovarunt, sed longius progressi, Donatistæ sæc. IV. Pulso namque Cæciliano Carthaginiensi Episcopo, intrusus est Majorinus, agente præcipue Donato Casarum Nigrarum Episcopo, prætendendo Cæciliani ordinationem fuisse nullam, propterea quod a *proditore* sacrorum codicum fuisset ordinatus (311).

99. Eumdem errorem resuscitarunt, sæc. XII, Apostolici ac Waldenses et, sæc. XIV, Wicleffitæ ac Hussitæ; qui tamen generatim docebant, essentialem esse, non tantum fidem, sed etiam sanctitatem in ministro. Quem alterum errorem quoque propositio rejicit his verbis : *nec requiritur sanctitas*, hoc est, improbitas aut ullum peccatum ministri non officit validitati sacramentorum.

100. PROBATUR utraque pars simultanee. 1° Ex Scriptura, unde duo non obscure colliguntur : 1) ministrum non sua sed divina auctoritate operari ; 2) Deum hanc potestatem a ministro, ob ejus infidelitatem et peccata, non auferre. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*. I Cor. III, 7. — *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Matth. VII, 22 seqq.

101. 2° Traditionem Augustinus invocat contra Donatistas : *Hujus consuetudinis robore*, ait, *tenebatur orbis terrarum, quando re in quæstionem pertracta, communis traditio etiam ad Concilii plenarii auctoritatem roburque deducta est*. De Bapt. lib. 2, cap. 7 (1). — Optime S. Greg. Naz. sacramenta administranda, vel potius ipsum ministrum, sanctum vel improbum, comparat sigillo, aureo vel ferreo, quod utrumque eamdem regis imaginem gerens, idem prorsus signaculum imprimit in cera (2).

102. OBJIC. 1° Nemo dat quod non habet ; atqui mali ministri non habent gratiam sanctificantem, ergo. — R. *Dist. maj.* Nemo dat quod non habet, si agat ut causa principalis, et nomine proprio ac propria virtute, *conc.* ; si agat ut causa instrumentalis, et nomine alieno, *subd.* : nemo dat quod

(1) Cfr. Bellarm. *De sacram.* lib. I, cap. 26.— (2) Orat. 40, n. 25.

nec habet virtute causæ principalis, nec virtute propria, *conc.*: nemo dat, quod non habet in se ipso et virtute propria, *nego*.

103. *Obj.* 2° Christus, Apostolos constituens ministros sacramentorum, dixit : *Accipite Spiritum S.*, Joan. XX, 22; ergo ministri, ut possint sacramenta administrare, debent habere Spiritum S. et sanctitatem. — R. *Nego consequent.* Etenim Spiritus S. datur sacerdotibus ut habeant potestatem, et simul ut sanctificentur quemadmodum decet ministros Christi. At sanctitate amissa, non destituuntur potestate, quæ immutabiliter permanet.

PROPOSITIO II.

Ut valeat sacramentum, requiritur in ministro vera intentio faciendi id quod facit Ecclesia.

104. *De fide* ex Trid. Sess. 7, can. 11. — Tridentinis Patribus præiverat Martinus V in Conc. Constant., et Eugenius IV, in Conc. Florent.

105. *Intentio* in genere, ut hic accipitur, est voluntatis deliberata tendentia in aliquid, sive faciendum, sive omittendum, sive consequendum, etc. ; id est, actus voluntatis deliberatus, quo hæc fertur in aliquod objectum. Itaque intentio faciendi id quod facit Ecclesia, est tendentia deliberata voluntatis, ad illum ritum ponendum quem ponit Ecclesia. Jam vero hujusmodi intentio spectari potest *ratione objecti*, in quod voluntas fertur, et *ratione modi*, quo in illud fertur : sub utroque respectu intentio varia distinguitur.

106. *Ratione objecti*, intentio faciendi quod facit Ecclesia potest 1) esse vel *mere externa* vel *insuper interna*. Vocatur *mere externa*, si tantum sit intentio faciendi *materialiter*, quod facit Ecclesia, seu, faciendi ritum externum quem facit Ecclesia. Vocatur *interna*, si sit intentio faciendi, etiam *formaliter*, id quod facit Ecclesia ; seu, faciendi non tantum ritum externum, quem facit Ecclesia, sed etiam id quod per ritum externum Ecclesia facere intendit (1). Itaque habere intentionem mere externam ille dicitur, qui præter actiones exte

(1) Cfr. Platel. Synops. *de sacr. in genere*, n. 84.

riores ad sacramentum in Ecclesia requisitas, nihil aliud nec explicite nec implicite intendit ex iis, quæ per actiones illas fieri intendit Ecclesia. Porro 2) intentio *mere externa* potest esse seria vel jocosa, sive interne, sive etiam externe. Est *seria*, si voluntas in ritum externum feratur, ut in rem non jocosam sed seriam. Est *jocosa*, si in illum feratur ut in rem jocosam : et quidem est jocosa *tantum interne*, si feratur in illum ritum ut quid jocosum, non tamen ut ponendum modo externe jocoso : est vere jocosa *etiam externe*, si feratur in illum ritum, ut ponendum modo externe jocoso, ex. gr. ut in comœdiis fieri solet.

107. *Ratione modi*, intentio potest esse *actualis*, *virtualis*, *habitualis*, *indirecta* vel *interpretativa*.

108. Dicitur in propositione, *requiritur intentio;* contra Protestantes, qui nullam asserunt intentionem requiri : ita ut valeat juxta ipsos sacramentum administratum ab ebrioso; dormiente, etc. — *Intentio vera;* præscindendo a quæstione utrum intentio mere externa, præsertim interne jocosa externe vero seria, appellari jure possit vera intentio.—*Faciendi id quod facit Ecclesia*, hoc est, ritum in Ecclesia frequentatum ponendi.

109. PROB. I PARS. *Intentio vera*. 1° Deducitur ex Scriptura. Etenim Christus sacramenta instituit per homines administranda ; ergo humano modo et cum vera intentione administranda constituit : *Hoc facite in meam commemorationem.* I Cor. XI, 24.— *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* I Cor. IV, 1.

110. 2° Ecclesia nunquam approbavit Baptismum aliave sacramenta, ab insanis vel ebriis, vel per jocum et ludibrium collata. Ordinatio Novatiani, sæc. III, ab Episcopis temulentis facta, a Cornelio Papa *adumbrata et inanis manuum impositio* vocatur (1).

111. 3° Ratione. 1) Conficiens sacramentum agit ut minister Christi : atqui nemo agit ut minister alterius, nisi vere, saltem aliquo modo, id facere intendat quod alter nomine suo fieri voluit. Ergo.— 2) Actiones sacramentales sunt actiones quæ-

(1) Epistola ad Fabium Antiochenum, apud Euseb. *Hist. Eccles.* lib. 4, cap. 43.

dam morales : atqui ad actionem moralem requiritur aliqua vera intentio. Ergo. — 3) Verba formæ in sacramentis non sunt speculativa sed practica, id est, operativa ejus rei quam significant. Atqui non possunt esse talia, nisi in eo qui verba profert adsit potestas et vera intentio id faciendi. In hoc enim differunt verba practica a speculativis, seu mere significativis, quod hæc, a quocumque et quomodocumque proferantur, semper idem significant : illa vero, ad suum effectum requirant potestatem ac intentionem in proferente. Unde, qui exterius profert formam contractus, si intentionem contrahendi non habeat, nihil operatur.

112. II PARS. *Intentio faciendi quod facit Ecclesia.*—Etenim, ut patet argumentis in 1ª parte propositionis allatis, requiritur vera intentio *faciendi quod Christus instituit.* Atqui hujusmodi intentio est (vel explicite, vel saltem implicite) intentio *faciendi quod facit Ecclesia.* Ergo intentio *faciendi quod facit Ecclesia* requiritur.

QUÆSTIONES.

1° *Qualis intentio est ad valorem sufficiens ? — 2° Quænam circa intentionem controversia est cum Protestantibus, et quæ disceptatio inter ipsos Catholicos ? — 3° An opinio Ambrosii Catharini damnata fuit ab Alex. VIII, proscriptione propositionis* 28 ?

113. QUÆR. 1° *Qualis intentio est ad valorem sufficiens?* — R. Non requiritur intentio producendi *effectum* sacramenti, neque celebrandi ritum *tanquam sacrum*, neque faciendi id quod facit Ecclesia *Romana*; sed sufficit intentio generalis faciendi quod facit Ecclesia. Etenim præterquam quod Trid. nihil ultra insinuat, illa sufficientia manifeste patet ex validitate sacramenti ab hæreticis et infidelibus administrati. Deinde sacramenta sunt quasi publica Christi sigilla, quæ valent, sicuti diplomata civilia, dummodo a viro competente rite conferantur. Id autem in eo fundatur, quod minister non suo sed principis nomine agit (1).

114. Q. 2° *Quænam circa intentionem controversia est cum Protestantibus, et quæ disceptatio inter ipsos Catholicos?* —

(1) Cfr. S. Thom. 3 p. q. 64, art. 5 et 10.

R. Protestantes, ut dictum est, nullam requirunt intentionem in ministro. Lutherus, in lib. *de captivitate Babylonica*, affirmat, sufficere illam intentionem, quam supra vocavimus *externam*, quantumvis *jocosa* etiam *externe* sit. Catholici vero docent, requiri intentionem *saltem faciendi quod facit Ecclesia, ut minimum externam, atque externe seriam*. Unde unanimiter concludunt : 1) sacramenta esse *nulla* si administrentur per jocum ; nam Ecclesia rem seriam agit, et qui jocatur non vult vere quod facit Ecclesia ; 2) sacramenta esse *valida*, etiam si minister non velit facere quod facit Ecclesia *Romana*, aut præscindat a sacramenti effectu, etc. ; modo tamen intendat facere quod Christi Ecclesia *vera* facit. Hactenus consentiunt Catholici.

115. Sed quæritur inter ipsos Catholicos, utrum ad validitatem sacramenti sufficiat intentio mere externa faciendi quod Ecclesia facit, quantumvis interne jocosa sit, dummodo externe sit seria ; videlicet, an sufficiat ut minister publicus Ecclesiæ externum ritum peragat modo externe serio, sed intus irridendo quod serio facere censetur ? — *Ambrosius Catharinus* affirmavit illam intentionem sufficere ; sed longe major Theologorum pars id negat.

116. Q. 3° *An opinio Catharini damnata fuit ?* — R. Duplici modo forte explicari illa opinio potest : primo modo, si dicatur sufficere intentionem mere externam, dummodo voluntas internam positive non excludat, sed tantum ab ea præscindat seu abstrahat. Secundo modo, si dicatur sufficere intentionem externam, etiamsi voluntas internam positive excludat, intentionem nempe faciendi idem *formaliter* quod facit Ecclesia. — Porro si hoc secundo modo explicetur Catharini opinio, non videtur posse effugere damnationem, quæ inflicta est 28æ propositioni inter 31 ab Alex. VIII (1690) damnatas. Etenim juxta illam propositionem, *valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat*, INTUS VERO IN CORDE SUO APUD SE RESOLVIT : NON INTENDO QUOD FACIT ECCLESIA ; — atqui etiam juxta opinionem Catharini secundo modo explicatam, valeret Baptismus ita collatus. Ergo opinio illa, si secundo modo explicetur, idem affirmat ac propositio damnata. — Nec

dicatur : opinio Catharini non supponit ministrum excludere *omnem* intentionem faciendi quod facit Ecclesia ; sed tantum intentionem *internam* : propositio vero damnata supponit eum excludere *omnem* intentionem hujusmodi, *etiam externam*. Resp. enim negando assertum : siquidem etiam propositio damnata supponit, ministrum omnem ritum externum deliberate ponere, ac proinde velle, seu intendere ritum illum externum quem facit Ecclesia. — Si autem opinio Catharini priori modo explicetur, gravissimis argumentis impugnari potest, quamvis daretur eam propositione illa 28ª damnata non prorsus labefactari. Quidquid sit, Benedictus XIV (1), etsi fatetur sententiam Catharini ab errore Lutheri supra memorato longe distare ; affirmat tamen negari non posse, *grave vulnus* Catharini opinioni ab Alex. VIII fuisse inflictum. Quare censet Pontifex, si casus, quem Catharinus supponit, reapse occurreret, vel Baptismum iterandum esse sub conditione, vel, si per tempus liceat, sedem Apostolicam esse consulendam.

(1) *De synodo*, l. 8, c. 4.

CAPUT TERTIUM.

DE SACRAMENTORUM CAUSALITATE ET EFFECTU.

---

117. *Causalitas* sacramentorum, et *effectus* per eam procedentes, duæ sunt notæ, quibus præcipue sacramenta N. L. a sacramentis L. V. distinguuntur. Duobus illis vocabulis duo dogmata indicantur contra Protestantes defendenda. Dicunt enim isti, sacramenta tantum ad excitandam vel nutriendam fidem esse instituta, nec aliud efficere quam quod efficit Evangelii prædicatio. Hinc irrident sacramentorum efficaciam *ex opere operato*, et impressionem *characteris;* nec ullum discrimen inter nostra et V. L. sacramenta intercedere contendunt.

Articulus I, *de sacramentorum causalitate seu efficacia.*
Articulus II, *de sacramentorum effectibus, seu gratia et charactere.*
Articulus III, *de conditionibus ad effectus requisitis.*

ARTICULUS I.

DE SACRAMENTORUM CAUSALITATE.

Quæstiones præviæ, *de natura et generibus causarum.*
Propositio unica, *de causalitate ex opere operato.*
Quæstiones *de causalitate sacramentali.*

QUÆSTIONES.

1° *Quid est causa, et quotuplex ?* — 2° *Quænam sunt causæ efficientis species præ oculis habendæ, ubi de causalitate sacramentorum agitur ?*

118. QUÆR. 1° *Quid est causa, et quotuplex?* — R. Causa generatim (1) describi brevissime potest : *Principium alterius;* seu : *Ens potens influere in existentiam alterius, quod ab influente differat, saltem essentia numerica.*

(1) Cfr. tom. 1, tract. *De SS. Trinit.* n. 32.

119. — 1) *Causa* generatim, *pro diverso ejus influxu*, est vel physica vel moralis. *Physica est illa quæ in effectum influit physice*, seu cujus influxus est physicus; nempe situs in aliqua entitate physica. *Moralis*, quando hoc vocabulo venit causa contradistincta a physica, est *ea quæ in effectum influit moraliter*, seu cujus influxus est moralis; nempe non physicus sed physico æquivalens, juxta *morem* æstimandi prudentem.

✝ 120. — 2) Causa *physica*, pro vario ejus influxu, est intrinseca vel extrinseca. *Intrinseca* est *illa*, *quæ in effectum influit intrinsece;* seu cujus physicus influxus in effectum, consistit in physica, intrinseca et mutuo perfectiva unione causæ cum effectu, vel cum ejus parte. Est autem duplex : *materialis* seu passiva, vel *formalis;* prout scilicet causa intrinseca, respectu compartis cui unitur, se habet ut elementum *determinabile*, vel ut *determinans*.—*Extrinseca* est *ea*, *quæ in effectum influit extrinsece;* seu cujus influxus physicus in effectum, consistit, non in physica unione causæ cum effectu, sed in alia entitate physica, quæ appellatur *actio effectrix*, seu *effectio*. Unde et ipsa causa physica atque extrinseca habet nomen *causæ efficientis;* quod tamen etiam causæ morali convenit, ut mox dicemus.

121. Ad causam efficientem physicam revocari commode potest *causa exemplaris*, quæ nihil est aliud quam *exemplar, quatenus potens est*, *causam efficientem dirigendo*, *in effectum influere*.

✝ 122. — 3) Causa *moralis*, pro diverso respectu quo movet voluntatem causæ physicæ ad effectum producendum, est et ipsa vel *efficiens*, vel *finalis*. Scilicet causa moralis alicujus effectus, juxta definitionem traditam, est quidquid, licet in effectum physice non influat, tamen perinde se habet ac si physice influeret. Sic autem se habet id omne, cujus intuitu, amore nempe aut odio, causa physica effectum producit; seu id omne, quod voluntatem causæ physicæ *efficaciter* movet ad effectum producendum. Porro si causa moralis movet, præcise *quia est* (ut aiunt), seu quia aliquando existit, vocatur *efficiens* respectu effectus, qui, ipsa movente producitur (sic autem vocatur ob analogiam cum causa physice efficiente) :

si autem movet *ut sit,* seu ut ipsa existat, aut obtineatur, aut attingatur, etc. dicitur *finalis* causa ejusdem effectus.

123. Exemplo, quæ diximus, illustranda videntur. Statua marmorea sit *effectus;* cujus causæ variæ enumerentur. Lineamenta marmori insculpta sunt *causa physicu intrinseca formalis.* Marmor est physica, intrinseca, sed *materialis* causa tum statuæ, tum lineamentorum; quippe quæ educta sunt e marmore. Sculptor et scalpellum sunt duæ causæ physicæ, *extrinsecæ, efficientes;* sed ille est causa *principalis;* hoc vero *instrumentalis.* Idea statuæ efficiendæ, qua dirigitur artifex, est causa *exemplaris.* Præclare gesta Principis, quem statua exprimit, ejus dignitas regia, auctoritas ejusdem cupientis statuam fieri, etc., quibus sculptor ad efficiendam statuam movetur, sunt causæ *morales* et quidem *efficientes.* Gloria, seu honor Principi, patriæ, artifici procurandus, fortuna obtinenda, etc. per confectionem statuæ, sunt causæ *morales* sed finales.

124. Q. 2° *Quænam sunt causæ efficientis species hic præ oculis habendæ?* — R. 1° Causa efficiens est *physica*, vel *moralis,* de qua satis dictum est. — 2° Utraque esse potest *principalis* vel *instrumentalis.* Dicitur respectu alicujus effectus causa principalis, si vim saltem partialem, effectui in suo genere proportionatam habeat *ex se*, seu *natura sua*, seu ex propria *exigentia :* dicitur vero instrumentalis, si vim præfatam habeat non *ex se*, seu exigentia propria, sed ex consortio cum aliqua principali. — Nota : causa instrumentalis, quatenus ex tali consortio proportionata evadit, dicitur *elevari.* — Porro tam principalis quam instrumentalis est vel physica vel moralis, prout vim habet influendi vel physice vel moraliter. Sic in exemplo allato, scalpellum est causa *instrumentalis physica* statuæ; dux autem nomine Principis imperans militibus ut in hostes impetum faciant, est *moralis* causa pugnæ, ut patet, sed *instrumentalis :* quia ad pugnandum movet, auctoritate non propria sed Principis.— 3° Utraque esse potest vel *immediata* seu proxima *in suo genere*, vel *mediata* seu remota. Sic in exemplo supra allato, scalpellum, in genere causæ physice efficientis et instrumentalis,

est causa immediata statuæ : manus vero artificis scalpellum moventis est, in eodem genere, causa mediata. — 4° Causa efficiens potest esse in *suo ordine totalis* vel *partialis*, seu adæquata vel inadæquata, quoad influxum quem exercet in effectum; prout nempe influxum exercet *toti* effectui sufficientem in ordine seu genere suo, vel tantum sufficientem *parti* effectus, seu toti sed *ex parte*. Sic, si plures homines ingens pondus trahant, simul sumpti constituent causam motus totalem in ordine causæ physice efficientis et principalis : unusquisque vero, seorsum spectatus, est in eodem ordine causa partialis.

125. *Nota* hic nos supponere celebrem illam ac fundamentalem distinctionem Causæ absolute independentis atque increatæ, quæ dicitur *Causa prima*, ac Deus est; et causæ absolute dependentis, seu creatæ; quæ *causa secunda* nuncupatur.

PROPOSITIO I.

Sacramenta N. L. gratiam continent quam significant, eamque non ponentibus obicem conferunt EX OPERE OPERATO.

126. *De fide*. ut patet ex Trid. Sess. 7, can. 6, 7 et 8.

127. Propositio statuitur adversus Protestantes hæc dogmata negantes, et dicentes, sacramenta esse instituta ad solam fidem nutriendam; quæ assertio et ipsa, speciali canone, nempe 5° citatæ Sessionis, damnata est.

128. Dicitur : *sacramenta continent gratiam* ; scilicet non *formaliter*, quasi eis inesset hæc gratia sicut accidens in subjecto, liquor in vase; sed *instrumentaliter* et *causaliter*, i. e. ut effectus inest in sua causa instrumentali; ex. gr. littera in calamo, mors in gladio, incendium in igne, signaculum in sigillo.

129. *Conferunt*, scilicet efficiendo ut veræ causæ, sed tantum instrumentales, (principalis enim causa gratiæ Deus est;) et ad instar agentium naturalium, quæ plus vel minus efficiunt, secundum majorem vel minorem capacitatem seu dispositionem subjecti : ut patet in igne, qui efficacius lignum siccum comburit quam viride.

130. *Ex opere operato;* notandum enim, modum producendæ gratiæ esse duplicem : ex opere *operantis* et ex opere *operato*. Ex opere *operantis,* h. e. vi operis, non prout hoc præcise positum est; sed quatenus ab operante est laudabiliter ac meritorie positum. — Ex opere *operato*, h. e. vi solius externi operis, ut a Deo instituti ad gratiam producendam. Productio ex opere operantis est sicut valor tabulæ depictæ, qui nempe inest tabulæ, non quia depicta est, sed quia bene depicta : productio vero ex opere operato est sicut valor regii chirographi, qui nempe ei inest, non quia bene descriptum est, sed simpliciter quia scriptum.

131. *Non ponentibus obicem. Obex* est obstaculum impediens effectum sacramenti, et exoritur ex *fictione* sacramenti. Hæc *fictio* est simulatio alicujus rei, quæ ad sacramentum requiritur, et quæ hic et nunc non subest; unde tantum locum habet in adultis. — Fictio distinguitur duplex : *essentialis*, quæ reddit sacramentum nullum; et *accidentalis,* seu carentia dispositionis necessariæ ad percipiendum effectum, quæ non impedit valorem sed tantum fructum sacramenti.

132. Itaque non negamus (quod Catholicis falso objiciunt hæretici), requiri *per se* in adultis varios actus pios per modum dispositionis, ad hoc ut sacramenta gratiam operentur. Dicimus tamen, ipsum opus sacramentale externum, prout distinctum ab illis actibus, fidei, spei et similibus, habere ex institutione Christi vim per seipsum gratiam conferendi, supposita dispositione in adultis requisita; ita ut gratiam subinde conferat, absque ullo bono actu interno conferentis et suscipientis sacramentum.

133. PROB. 1° *Deus salvos nos fecit* PER *lavacrum regenerationem et renovationis Spiritus Sancti.* Tit. III, 5. — *Nisi quis renatus fuerit* EX *aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan. III, 5. — His verbis Baptismus dicitur esse *causa* salutis, nativitatis novæ, seu *gratiæ*. — Quod porro de Baptismo dicitur, idem de reliquis sacramentis affirmandum est: sive ob paritatem rationis, adversus Novatores; sive præsertim, quia gratiæ productio etiam aliis sacramentis competere ostenditur ex Scriptura, ut in propriis Tractatibus videre est.

134. 2° Augustinus locum Scripturæ mox citatum afferens contra Donatistas : *Non ex parentum fide*, ait, *aut offerentium, vel ministrantium ; sed ex aqua et Spiritu Sancto ; aqua igitur regenerat hominem.* — Tertullianus: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur ; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur ; caro corpore Christi et sanguine vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* De resurr. carnis, cap. 8.

135. Greg. Nyss. : *Quod si quis me interroget qua ratione aqua regeneret? dicam optimo jure ad eum : Ostende mihi modum nativitatis quæ fit secundum carnem, et ego tibi vim regenerationis, quæ secundum animam fit, exponam.* Orat. in Christi Bapt.

136. 3° Accedit ratio, quæ deducitur ex Baptismo infantium. Parvuli per Baptismum justificantur ; atqui hujus justificationis causa non est fides subjecti, quod est incapax, neque fides aut probitas ministri, quæ non requiruntur, ut infra probabimus ; ergo causa est ipsum opus operatum, ablutio nempe baptismalis. — Quæ de Baptismo dicuntur, reliquis sacramentis applicari etiam debent, ut argumento 1° adnotatum est.

137. OBJIC. 1° Scripturæ docent hominem sanctificari per fidem. Ergo non per sacramenta secundum se sumpta. — Resp. 1) *Trans. ant. et nego conseq.* Nihil enim impedit *plures* partiales ejusdem effectus causas haberi. — Resp. 2) *Dist. antec.* Scripturæ docent hominem per fidem sanctificari *radicaliter* et *dispositive, C.; formaliter,* subdist. : per gratiam habitualem quæ adnexa est fidei, quando hæc est charitate formata, *C.:* per ipsam fidem, *N.* — *Dist. cons.* Non sanctificatur homo radicaliter, dispositive, aut formaliter per sacramenta, *C.;* non sanctificatur efficienter, *subd.:* efficientia *principali, C. ; instrumentali, N.*

138. *Objic.* 2° *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo,* NON QUIA DICITUR, SED QUIA CREDITUR? Sic. Aug. Tract. 80. in Joan. n. 3. Ergo non ipsum verbum sacramentale, sed fides erga verbum est sanctificationis causa. — R. *Dist. antecedentis sensum.* 1) Non quia dicitur mere *materialiter*, *C.;* non quia dicitur *formaliter*, ut verbum

sacramentale, a Christo institutum ad gratiam producendam, *N.* 2) Sed quia creditur *subjective*; i. e. per fidem baptizati aut baptizantis, *N.*; quia creditur *objective*; i. e. quia est quid sacrum, divinitus elevatum ad gratiam producendam, et sub hoc respectu *objectum* fidei catholicæ, etc., *C.*

139. *Objic.* 3° Impossibile, vel absurdum est, gratiam, i. e. rem summe spiritualem atque supernaturalis ordinis, produci ab elementis materialibus, etc. — Resp. breviter, hasce et similes difficultates facile solvi posse, consideratis quæ dicta sunt quæst. præviis de variis causarum generibus, et quæ sequuntur de causalitate sacramentorum.

QUÆSTIONES CIRCA CAUSALITEM SACRAMENTORUM.

1° *Utrum sacramenta causant physice an moraliter?* — 2° *An effectus sacramenti non debetur dispositioni suscipientis?* – 3° *Quænam erat causalitas sacramentorum V. L.?*

140. QUÆR. 1° *Utrum sacramenta causant physice an moraliter?* — R. Disputatur — Sacramenta *continere gratiam, eamque conferre* definivit Ecclesia : unde omnibus Catholicis indubitatum est, illa non esse signa nuda et vacua, sed fecunda, efficacia, quæ ut veræ causæ instrumentales in gratiæ productionem influant. — De modo autem causandi, utrum nimirum sacramenta producant gratiam influxu effectivo physico, sicut ignis calorem; an solum morali, sicut vox ducis motum militis : celebris controversia est, quæ salva fide inter Theologos agitatur.

141. *Qui tenent influxum physicum*, hunc varia ratione explicant. Juxta Suarezium, Bellarminum, et, uti videtur, S. Thomam (1), sacramenta causant physice gratiam *per potentiam obedientialem, extrinseca elevatione recepta.*—Potentia obedientialis dicitur quædam entis aptitudo ad elevationem, seu ad recipiendam proprietatem supra suam naturam. Alia est *passiva*, qualis cernitur in Christi humanitate, elevata ad sustentandam unionem hypostaticam ; item in anima hominis ad recipiendam et sustentandam gratiam habitualem, characterem sacramentalem, etc. ; alia est *activa*, qualis est

(1) P. 3, q. 63, art. 1.

in anima rationali et angelis, ad eliciendos per elevationem actus supernaturales, v. g. amoris Dei, visionis intuitivæ Dei. — Elevatio porro potest esse *intrinseca*, seu per intrinsecam qualitatem: sic elevatur anima per habitus supernaturales, ferrum candens per ignem: — vel *extrinseca*, seu per extrinsecum causæ altioris influxum: sicut gladius ad pugnandum elevatur per manum militis; calamus ad rite scribendum elevatur per manum scribentis. — Ex his intelligitur quomodo prædicti Doctores concipiant causalitatem sacramentorum physicam (1).

142. *Qui tenent causalitatem moralem*, ut Vasquez, Lugo, Lessius, dicunt sacramenta causare moraliter, *eo quod Deum moveant ad physicam gratiæ productionem*. Statuunt scilicet, sacramenta esse veras et proprie dictas *causas*, quas apprime distinguunt a nudis *signis* vel *conditionibus*. Causa enim moralis illud est, quod continet vim movendi causam physicam ratione propriæ dignitatis; sic præceptum domini jubentis servum surgere ad galli cantum, est causa moralis. — Conditio, vel nudum signum, illud est, quod non movet ratione propriæ excellentiæ sed, tantum ut conjunctum cum alio, in quo talis excellentia reperitur: sic galli cantus, quem dominus servo constituit ut mane surgat, est nudum signum, mera conditio ad surgendum, non autem surgendi causa (2).

143. Jam vero, juxta patronos causalitatis moralis, sacramenta nequaquam sunt meræ conditiones, propria vi movendi Deum destitutæ, et tantum exhibentes signum, ad quod decreverit Deus gratiam conferre; sed sunt veræ causæ morales, possidentes in se excellentiam, qua Deum ad producendam gratiam movent: quippe quæ *moraliter* sunt actiones ipsius Christi, pretium gratiæ moraliter continentes, scilicet Christi meritum, quod ipse singulis sacramentis attribuit, ut per ea nobis gratia conferatur. Quare sacramenta a PP. exhibentur veluti vasa quædam plena Christi sanguine et merito, cujus virtute nos sanctificant. *Non itaque sunt nuda signa*, ait Lessius, *ad quorum præsentiam Deus nos sanctificet;*

(1) Cfr. Suar. t. 18, dist. 9, sect. 1, 2. — (2) Cf. supra. quæst. præv. n. 118, seqq.

sed simul repræsentant et reipsa exhibent ipsum pretium. Unde ab hujusmodi signis differunt sicut bursa auro plena a chirographo, et sicut chirographum cum hypotheca a chirographo nudo (1).

144. *Nota.* Patroni prioris sententiæ minime negant causalitatem moralem sacramentis competere; verum præterea contendunt illis competere physicam; idque tum ex Scriptura, tum maxime, traditione, imo et ratione theologica comprobari.

145. Q. 2° *An effectus sacramenti non debetur dispositioni suscipientis?* — R. Dispositio in adultis, non est nisi *conditio sine qua non*, quæ tamen nihil efficientiæ habet *respectu gratiæ mere sacramentalis* (2): quemadmodum siccitas in ligno est mere *removens prohibens*, seu *conditio sine qua non*, et nequaquam *causa efficiens* combustionis. Similiter quando Christus curabat infirmos, licet requireret fidem ab iis quos sanare vellet, sanitas tamen non fide ipsorum sed virtute Christi efficiebatur.

146. Q. 3° *Quænam erat causalitas sacramentorum V. L.?* — R. Continebant et conferebant munditiem et sanctitatem legalem; seu sanctificabant, ut loquitur Apostolus (3), *ad emundationem carnis;* gratiam autem sanctificantem non continebant neque conferebant, saltem *ex opere operato*, ut Theologi communiter cum S. Thoma docent. Unde ab Apostolo (4) vocantur *infirma et egena elementa.* Dicuntur *infirma*, inquit S. Thomas (5), *quia non possunt a peccato mundare; egena, qui non continent in se gratiam.* Merito igitur Concilium Flor. differentiam inter sacramenta V. et N. L. explicat his verbis: *Illa non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam figurabant: hæc autem continent gratiam et eam digne suscipientibus conferunt.*

(1) Lessius in 3 p. q. 62, art. 4.—Cf. Haunold. *de sacram.* c. 3, contr. 3, § 5.

(2) Dicitur : *respectu*, etc.; quia cæteroquin hi actus, quibus disponimur ad sacramenta suscipienda, ex. gr. fidei, spei; etc., possunt esse meritoria *etiam de condigno* (ut dictum est in tract. sup. de gratia et merito); adeoque causæ morales gratiæ sanctificantis augendæ. Verum gratiæ augmentum, hac ratione comparatum, non est gratia illa quæ, quia sacramentorum effectus est, *sacramentalis* nuncupatur.

(3) Hebr. IX, 13.— (4) Gal. IV, 9. — (5) 1, 2, q. 103, art. 2.

147. Licet vero gratiam sanctificantem non conferrent, ad eam tamen conducebant, sicut alia bona opera, ex merito operantis. — Quod si Circumcisio conferebat justificationem, hoc non efficiebat *ex opere operato*, sed intuitu fidei Judæorum; vel etiam tanquam conditio, qua posita Deus infundebat gratiam: non secus aspectus serpentis æneí sanabat læsos a serpentibus ignitis.

ARTICULUS II.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTORUM, SEU GRATIA ET CHARACTERE.

148. Effectus sacramentorum est duplex: *primarius* est gratia; *secundarius*, et tribus sacramentis tantum proprius, character.

149. Gratia per sacramentum collata distinguitur iterum duplex: 1° gratia *sanctificans* prima vel secunda, ad quam tanquam eam concomitans, reducitur infusio virtutum et donorum Spiritus S., quæ simul dantur vel augentur. 2° Gratia *sacramentalis* stricte dicta, quæ cuique sacramento specialis est et propria.

Propositio I, *de gratia sacramentali.*
Propositio II, *de charactere.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Singula sacramenta, præter gratiam sanctificantem, conferunt etiam sacramentalem.

150. Propositio enuntiat *unanimem et certam* Theologorum doctrinam.

151. PROB. Quodvis sacramentum ad finem peculiarem ordinatur. Nam, ut Egen. IV ait in Decreto pro Armenis, *per Baptismum spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divinæ Eucharistiæ alimonia.* etc. Ad hos vero fines distinctos assequendos necessaria quoque est sacramentalis gratia, propria et peculiaris; effectus enim sacramenti inducit rationem medii, ad statutum a Deo sacramenti finem assequendum. Et vero, nisi effectus ille diversus distinctusque esset, non apparet in quo alias differrent sa-

cramenta, nisi in solo externo ritu; nec alterum altero esset majoris necessitatis; ac reliqua, præter unum, essent superflua.

PROPOSITIO II.

Tria tantum sacramenta, Baptismus, Confirmatio et Ordo, characterem imprimunt, unde ea iterari non possunt.

152. *De fide*, ut patet ex Trid. Sess. 7, can. 9; item ex Decreto Eugenii IV pro Armenis.

153. *Character* ex græco fonte desumptum nomen est, significatione generali *notam* importans vel *signaculum*, quo quis vel certo domino adscribitur, vel ab aliis distinguitur, vel ad certum deputatur munus. Inde character militaris Veteribus nota fuit corporalis, militibus imprimi solita. — Character sacramentalis describi potest: *Signaculum quoddam spirituale, per sacramentum animæ indelebiliter impressum, quo homo deputatur ad divina, configuratur Christo, et ab aliis discernitur* (1).

154. PROBATUR simul utraque propositionis pars; plerisque enim testimoniis afferendis hæc duo dogmata ut connexa traduntur.

155. 1° Scriptura indicat: *In quo* (Christo) *credentes* SIGNATI *estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Eph. I, 13.

156. 2° Testantur aperte Patres. S. Cyrillus Hieros. in præfatione ad Catecheses, et iterum Catech. 17, *Baptisma* vocat *signaculum sanctum, indelebile.* — Alii idem sacramentum comparant signaculo militum, monetarum, ovium gregis, Circumcisionis in carne (2).

157. *Confirmationem* appellant Veteres *signaculum spiritale*, et eidem applicant II Cor. I, 21: *Qui unxit nos Deus, qui et* SIGNAVIT *nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*,

158. De charactere *Ordinis* Patres luculentissime loquuntur. Augustinus de schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus ait: *Non sunt rursus ordinati: sed sicut Baptismus in eis, ita ordinatio manet integra.* Contr. Parmen. lib. 2, cap. 13. —

(1) Cf. infra, *Quæst. de characteris natura et effectibus*, n. 179 seqq.
(2) Cfr. Chrysost. *Homil. 2 in Ephes.* n. 2.

Concilium Tolet. 7, anno 653, can. 7, ait : *Sacrum Chrisma collatum et altaris honor avelli nequeunt.*

159. 3° Consensus universæ tum Occidentalis tum Orientalis Ecclesiæ manifestus est in praxi perpetua, qua nunquam hæc tria sacramenta iterari permisit, non aliam ob rationem nisi indelebilis characteris.

QUÆSTIONES

1° *Quid est gratia sacramentalis?* — 2° *Quæ sunt in particulari gratiæ cujusque sacramenti propriæ?* — 3° *An sacramenta vivorum nunquam producunt gratiam primam?* — 4° *An distincta sacramenta æquali mensura gratiam causant?* — 5° *An sacramenta non realiter sed solo voto suscepta, conferunt effectus sacramentales?* — 6° *Quandonam sacramenta rite suscepta suos effectus producunt?* — 7° *Quænam circa characterem inter Catholicos controversia est?* — 8° *Quinam sunt characteris effectus?*

160. QUÆR. 1° *Quid est gratia sacramentalis?* — R. Dupliciter gratia *sacramentalis* dicitur : 1) Sensu *lato*, ad designandam omnem gratiam quæ sacramentis producitur, opponiturque gratiæ *extra-sacramentali*, quæ independenter a sacramentis animæ confertur (1). — 2) Sensu *stricto*, ad designandam gratiam cuique sacramento propriam : quo sensu gratia sacramentalis aliquomodo distinguitur a gratia sanctificante, omnibus sacramentis communi. Hujusmodi porro gratiam singulis sacramentis propriam inesse constat, et inde patet, quod sacramenta singula ad distinctos fines ordinantur, unde distinctos effectus, adeoque distinctam gratiam producant necesse est.

161. At gratia hæc distincta, proprie ac stricte sacramentalis, quæritur in quo consistat, quidve gratiæ sanctificanti superaddat?

162. 1) Juxta communem sententiam, gratia sacramentalis (secluso charactere) non est novus aliquis habitus, ultra gratiam sanctificantem annexasque virtutes superadditus; 2) neque est gratia sanctificans specie diversa; 3) sed videtur esse eadem *gratia sanctificans, duo adnexa habens* :

(1) Cf. sup. n. 145, not. 2.

quorum *primum* est peculiaris ordinatio Dei ad proprium cujusque sacramenti finem; *alterum*, gratia actualis ad eumdem finem, vel saltem jus ad illam suo tempore consequendam (1).

163. Q. 2° *Quæ sunt, in particulari, gratiæ, cujusque sacramenti propriæ?* — R. Gratia *Baptismi* propria est gratia habitualis ordinata ad primam sanctificationem, seu ad primum *esse* spirituale hominis venientis in hunc mundum; et proinde ad regenerationem spiritualem, qua homo moritur vitiis et in adoptivum filium Dei ac membrum Christi nascitur. Quod quia perfecto modo efficitur in lege Evangelica, tollitur per Baptisma non solum omnis culpa, sed etiam omnis reatus pœnæ. — Addit præterea Baptismus auxilia specialia actualis gratiæ, ad servandam vitæ novitatem quæ in christiana lege consistit, nec non ad alia sacramenta rite suscipienda.

164. *Confirmationis*, est gratia habitualis ordinata ad roborandam spiritualem vitam; simulque actualis gratia ad fidem constanter retinendam et profitendam, atque tentationes contrarias fortiter superandas.

165. *Eucharistiæ*, est gratia habitualis ordinata ad vitam spiritualem nutriendam, animamque per charitatis fervorem Deo uniendam; simulque actualia auxilia ad perseverandum in vita spirituali, et in charitatis aliarumque virtutum exercitio proficiendum.

166. *Pœnitentiæ*, est gratia habitualis ordinata *per se* ad spiritualem resurrectionem, seu sanationem a morbo lethali; simulque gratia actualis ad efficacius de peccatis dolendum, ad præterita expianda et futura vitanda.

167. *Extremæ-Unctionis*, est gratia habitualis ordinata ad pleniorem animæ sanationem: ut reliquiæ peccatorum abstergantur et anima in extremo agone roboretur; simulque actualis gratiæ quasi alacritas et robur, ad morbi incommoda ferenda, et dæmonis tentationes devincendas.

168. *Ordinis*, est gratia habitualis ordinata ad sanctitatem sacerdotalem; simulque actuale auxilium ad sacri ministerii munera rite et fructuose obeunda.

(1) Cfr. S. Thom. 3 p. q. 62, art. 2.

169. *Matrimonii*, est gratia habitualis ordinata ad sanctitatem conjugalem; simulque actualis, ad mutuum amorem, fidem castimoniamque conjugalem, et christianam prolis educationem accommodata.

170. Præterea non immerito Theologi quidam existimant, in quolibet sacramento illas præ cæteris augeri virtutes, et Spiritus S. dona, quæ fini sacramenti magis conveniunt. Hujusmodi sunt, in Baptismo *religio*, in Confirmatione *fides* et *fortitudo*, in Eucharistia *charitas*, in Pœnitentia *compunctionis spiritus*, in Extrema-Unctione *spes*, in Ordine *devotio et zelus*, in Matrimonio *fidelitas* et *longanimitas* (1).

171. Seclusa sacramenti susceptione *in re*, possent quidem ejusmodi gratiæ actuales obtineri ad prædictum finem : ut patet in iis qui absque Confirmationis sacramento fortiter fidem professi sunt, aut absque sacramento Pœnitentiæ constanter peccata vitarunt; sed juxta legem ordinariam, minus copiosæ nec tam singulares (2).

172. Q. 3° *An sacramenta vivorum nunquam producunt gratiam primam?* — R. Juxta probabiliorem et communiorem sententiam, quæ videtur fuisse S. Thomæ (3), Sacramenta vivorum gratiam primam aliquando *per accidens* conferunt; quando videlicet ea quis suscipit, v. g. Eucharistiam, invincibiliter aut saltem citra gravem culpam ignorans in statu se mortalis peccati versari : dummodo tamen motum illum imperfectæ contritionis habeat, qui sufficit ad justificationem per sacramentum Pœnitentiæ consequendam. — Hæc sententia omnia quidem vivorum sacramenta complectitur; præsertim vero sacramentum Extremæ Unctionis respicit. Etenim hoc tanquam completivum sacramenti Pœnitentiæ, magis directe quam alia sacramenta vivorum, potest *per accidens* etiam mortalia remittere, secundum illud : *Si in peccatis sit, remittentur ei*. Jac. V, 15.

173. Auctores, qui hanc sententiam non sequuntur, minime diffitentur, saltem plerique, eos, qui in mortali existentes bona fide et cum attritione suscipiunt sacramenta vivorum, maxime Eucharistiam et Extremam Unctionem,

(1) Cfr. Theol. Mechl. *De sacram.* n. 22.— (2) Suar. t. 18, disp. 7, sect 3;
(3) 3 p. q. 79, a. 3.

justificari ; sed negant justificari *immediate* et *ex opere operato*. Putant enim justificationem tunc obtineri *mediate* et *ex opere operantis;* id est per actum contritionis perfectæ, quem scilicet ab homine sic recipiente sacramentum, auxilio gratiæ actualis tunc ei collatæ, elici arbitrantur.

174. Q. 4° *An distincta sacramenta inæquali mensura causant gratiam?* — R. Dupliciter sacramenta dici possunt distincta : *specie*, ut Baptismus et Confirmatio ; vel solo *numero*, ut duo Baptismi, duobus nempe subjectis collati.

175. Jam vero, quod spectat ad sacramenta *specie distincta*, utrum, stante æquali dispositione subjecti, inæqualem conferant gratiam, *incertum est*. Nam ex una quidem parte a multis non improbabile censetur digniora sacramenta potiorem producere gratiæ effectum ; adeoque Eucharistiam, sacramentorum dignissimum, conferre gratiam majorem quam sacramenta reliqua : quod ipse S. Thomas insinuare videtur (1). — Ex altera vero parte, a libera Dei et Christi voluntate pendet, quantam meritorum suorum mensuram huic illive sacramento applicaverit ; de qua voluntate nobis constare non potest, cum nihil in Scripturis, Conciliis vel Patribus expressum habeatur. Et ad Eucharistiam quod attinet, licet propter Christi præsentiam videatur hoc sacramentum copiosiorem gratiam conferre ; *aliunde tamen*, ait Suarez, *quia institutum est veluti ad continuam nutritionem, et consequenter ut sæpius ac frequentius recipiatur : ideo non videtur necessarium ut quoties recipitur toties majorem gratiam conferat, quam Baptismus semel susceptus*, vel *quam Confirmatio aut Ordo* (2). Res igitur in incerto manet.

176. Sacramenta *solo numero distincta* æqualiter dispositis æqualem gratiam, inæqualiter dispositis inæqualem conferre, communis est cum S. Thoma (3) sententia. Prob. 1) Sacramenta, utpote ex opere operato causantia, merito assimilantur causis naturalibus (4) : atqui hæ pro dispositione subjecti inæqualem producunt effectum ; v. gr. lux magis illuminat crystallum purius, ignis vehementius accendit lignum magis aridum : ergo a pari, etc. — 2) Congruum erat

(1) 3 p. q. 65, art. 3. — (2) Suar. t. 18, disp. 14, sect. 4.
(3) P 3, q. 69, a. t. 8. — (4) S. Thom. ibid.

a Christo sic institui sacramenta, ut homines allicerentur ad diligentius se disponendos ac præparandos; atqui si melius dispositi plus gratiæ ex ipso sacramento accipiant, utique allicientur ad diligentius se disponendos; ergo. — 3) Tridentinum docet baptizatos recipere justitiam *secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem* (1); atqui quod hic de Baptismo asseritur, idem de aliis sacramentis intelligendum est, cum eadem sit omnibus ratio; ergo.

177. Q. 5° *An sacramenta non realiter sed solo voto suscepta, conferunt effectus sacramentales?* — R. Sacramentum dicitur solo voto, h. e. desiderio suscipi, dum quis a reali susceptione impeditus, elicit sacramenti suscipiendi desiderium conjunctum cum statu gratiæ; vel saltem cum actu contritionis et charitatis perfectæ, qui statum gratiæ de congruo infallibili meretur (2). Jam vero sacramenta solo voto suscepta — 1) non imprimunt characterem, — 2) neque ullum effectum producunt *ex opere operato*, utpote quod hic supponitur deesse; — 3) conferunt autem gratias *ex opere operantis:* hoc sensu, quod sanctum illud desiderium, propter relationem ad sacramentum, peculiari ratione valet ad obtinendas aliquas gratias similes iis, quæ ex suscepto realiter sacramento hauriuntur. Hæc videtur esse mens S. Thomæ dicentis, *quod effectus sacramenti potest ab aliquo percipi, si sacramentum habeat in voto, quamvis non percipiat in re* (3).

178. Q. 6° *Quandonam sacramenta rite suscepta suos effectus producunt?* — R. 1) Gratiam sanctificantem eodem instanti conferunt quo essentialiter complentur, si tamen nullus in subjecto sit obex gratiæ. — 2) Eodem quoque instanti conferunt jus ad gratias actuales, quæ tempore opportuno dabuntur, nisi interim per peccatum jus amittatur vel ponatur impedimentum (4). — 3) Eodem pariter instanti sacramenta characteristica imprimunt characterem: quæ quidem hoc effecta nunquam carent, etiamsi indigne, dummodo valide, recipiantur.

179. Q. 7° *Quænam circa characterem inter Catholicos disputatio est?*—R. Non de characteris existentia, quæ controversia

(1) Sess. 6, cap. 7. — (2) Cfr. Supra, Tract. 9, *De gratia*, n. 374.
(3) 3 p. q. 80, art. 1 ad 3. — (4) Suar. t 16, disp. 7, sect. 3.

est cum hæreticis; sed de ejusdem characteris ratione seu natura. Omnes enim consentiunt per tria sacramenta imprimi in anima characterem, ceu quoddam spirituale signaculum quod deleri non potest; in explicando autem, quid in se sit illud signaculum, non concordant. Nobis sequentia notasse sufficiat. 1) Pro certo tenendum, characterem non esse *ens morale*, *relationem scilicet rationis*, vel *denominationem extrinsecam*, sicut est prima tonsura, doctoratus, dignitas prætoris, etc. Hæc enim sententia Durandi et Scoti, post editum Tridentini adversus Protestantes canonem 9, Sess. 7, non videtur posse probabilis censeri.

180. 2) Dicendum cum S. Thoma et Suarezio (1), characterem esse quid reale, absolutum, physicum, physice inhærens animæ.

181. 3) Probabilius pertinet ad illud genus accidentium, quod Scholastici appellant *qualitatem;* estque habitus quidam seu qualitas stabilis, ad instar gratiæ habitualis : habitus scilicet per se non operativus, sed exornans subjectum, in quo inest, et illud convenienter in suo *esse* disponens; fere veluti pulchritudo in humano corpore.

182. 4) Unde *subjectum* immediatum characteris non est ulla animæ potentia, sed ejus substantia.

183. 5) Habitus characteristicus habet rationem *signi*, quo *homo insignitur ut ordinatus in aliquem finem : sicut charactere insignitur denarius ad usum commutationum; et milites charactere insigniuntur, quasi ad militiam deputati* (2). — Porro signum characteristicum est *signum* seu *character Christi*, sicut nota militaris dicitur et est character ducis, quo milites quodammodo configurantur duci, et in ordine ad pugnam ab hostibus distinguuntur (3).

184. 6) Character habet rationem *potentiæ* spiritualis, activæ vel passivæ, non sensu physico sed morali : scilicet notæ characteristicæ annexus est concursus Dei supernaturalis, ad alia sacramenta vel suscipienda vel conferenda (4).

(1) P. 3, q. 63, art. 2, in corp. et ad 3.— Suar. t. 18, p. 1, disp. 11, sect. 2, 2.
(2) S. Thom. ibid. art. 3.—(3) Ibid. ad 2 et 3. Cfr. Apoc. VII, 3; XIII, 17; Ezech. IX, 4.—(4) Cfr. Lessius in D. Thom. q. 63, art. 2.

Hæc autem potentia spectans, ut S. Thomas ait, *ad cultum Dei secundum ritum Christianæ religionis*, participatio quædam potestatis, dignitatis et sacerdotii Christi est. Unde merito fideles vocantur *genus electum, regale sacerdotium* (1); *sacerdotes Dei Christi* (2).

185. 7) Character est *indelibilis* in anima; et quidem a Conciliis dicitur indelebilis simpliciter : h. e. non tantum permansurus in hac vita, quod *de fide* tenendum; sed etiam in futura, quod fert longe probabilior et communis sententia. Est enim quædam consecratio tamdiu duratura quamdiu subjectum, quod est anima. Id *patet etiam in rebus inanimatis : nam ecclesiæ vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur... Et ideo post hanc vitam remanet character, et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt, ad gloriam, et in his qui sunt victi, ad pœnam* (3).

186. Q. 8° *Quinam sunt characteris effectus?* — R. Spectatus *in genere*, character 1) tanquam insigne quoddam præclarum, animæ tribuit spirituale decus et ornamentum; 2) hominem Christo configurat tanquam membrum Capiti, militem Duci, ministrum Pontifici; 3) oculis Dei distinguit signatum ab aliis; 4) continet specialia jura et potestatem.

187. Spectatus *in specie*, character *Baptismalis* est insigne familiæ Christi, quo insignitus homo huic familiæ aggregatur, Christi membrum atque Ecclesiæ domesticus constituitur, a non baptizatis distinguitur, obtinet jus percipiendi reliqua Christi munera, quæ propria demesticorum sunt.

188. Character *Confirmationis* est velut insigne militum Christi, quo fidelis militiæ Christi adscribitur, a non confirmatis distinguitur; obtinet potestatem activam, seu robur, ad fidem profitendam; et passivam, seu majorem aptitudinem ad cætera sacramenta recipienda.

189. Character *Ordinis* est præclara nota sacerdotii Christi, qua insignitus fidelis, pro vario ordinationis gradu, a non ordinatis segregatur, constituitur veluti dux militiæ Chri-

(1) 1 Pet. II, 9. — (2) Apoc. XX, 6.
(3) S. Thom. p. 3, q. 63, art. 5 in corp. et ad 3.

stianæ, et Christo Pontifici maxime configuratur, utpote sacerdotalis dignitatis ac potestatis Christi particeps effectus.

190. Character enim sacerdotalis non configurat hominem Christo ratione sui, sed ratione potestatis quam inducit. Quemadmodum scilicet præfectus prætorii, per insigne acceptum ab Imperatore, assimilatur in potestate regendi Imperatori qui hanc potestatem habet, non per aliqua insignia, sed primario jure: ita Christus homini, characterem sacerdotalem imprimendo, suum sacerdotium communicat; quod Ipse tamen non habet per characterem, sed per unionem hypostaticam, adeoque non per accidens, sed per se et per essentiam (1).

ARTICULUS III.

DE CONDITIONIBUS AD EFFECTUM SACRAMENTORUM REQUISITIS.

191. Ut percipiatur sacramenti effectus duæ conditiones requiruntur: subjectum capax et debita dispositio. — Subjectum capax dicitur persona illa, quæ idonea est ad sacramentum recipiendum. — Dispositio requisita spectare potest ad valorem, vel ad liceitatem, vel ad fructum. Quare distinguitur receptio sacramenti quadruplex: *invalida* seu nulla, *valida* tantum, valida et *licita*, licita et *fructuosa*.

QUÆSTIONES

1° *Quodnam est subjectum capax sacramentorum?* — 2° *Quid in subjecto requiritur ad susceptionem validam?* — 3° *Qualis intentio requiritur in subjecto ad sacramenti valorem?* — 4° *Quid requiritur in adultis ad susceptionem fructuosam?* — 5° *An sacramenta cum obice suscepta reviviscunt?*

192. QUÆR. 1° *Quodnam est subjectum capax sacramentorum?* —R. Sunt soli homines viatores: pro ipsis enim Christus sacramenta instituit, ut scilicet iis essent salutis æternæ comparandæ instrumenta et organa (2); non tamen ita ut omnis homo *cujuslibet* sacramenti sit capax.

193. Q. 2° *Quid in subjecto requiritur ad susceptionem validam?* — R. 1° In nullo subjecto ad sacramenti valorem sanctitas necessaria est: imo nec fides, excepto Pœnitentiæ

(1) Cfr. Lessius, *de sacram.* in 3 p. q. 63, a. 3.—(2) Trid. Sess. 7, procem.

sacramento. — In parvulis et perpetuo amentibus, nulla requiritur intentio ad ea sacramenta recipienda, quorum capaces sunt. — In adultis requiritur intentio, seu vera voluntas recipiendi sacramentum, ut constat ex doctrina et praxi Ecclesiæ communique Doctorum sententia. Non enim videtur conveniens ut adultus sanctificetur nisi velit: quare Deus ejus voluntatem et cooperationem requirit secundum illud Augustini: *Qui fecit te sine te, non te justificat sine te.* Serm. 15 de verb Ap. c. 11.

194. Q. 3° *Qualis intentio requiritur in subjecto ad valorem?* — R. Respectu objecti requiritur saltem intentio id recipiendi quod ab Ecclesia datur, i. e. sacramentum confuse apprehensum. — Respectu ipsius subjecti, requiritur et sufficit positiva aliqua voluntas et intentio sacramentum suscipiendi, nec sufficit sola negatio voluntatis contrariæ. Excipienda tamen 1) Eucharistia, quæ cum jam ante susceptionem confecta sit, manet verum sacramentum, etsi invito obtruderetur; et—2) Pœnitentia, in qua non sufficit intentio, sed insuper contritio et confessio pœnitentis requiruntur ad valorem. — Hæc tamen intentio sive voluntas non est necesse ut actualis sit vel virtualis; sed sufficit habitualis, quæ fundatur in voluntate aliqua priori non retractata, ratione cujus susceptio sacramenti moraliter loquendo, adhuc censeatur voluntaria. Quin, ad sacramentum Extremæ Unctionis sola etiam intentio interpretativa videtur sufficere (1).

195. Q. 4° *Quid requiritur in adultis ad susceptionem fructuosam?*—R. Ad sacramenta vivorum fructuose suscipienda, prærequiritur *per se* status gratiæ; ad sacramenta vero mortuorum status gratiæ necessarius non est: sed tantum fides, spes, detestatio peccati, eæque dispositiones omnes, quibus gratiæ obices removentur (2).

196. Q. 5° *An sacramenta cum obice suscepta seu informia, postea sublato obice reviviscunt?*—R. (3) Sacramentum Baptismi cum fictione, seu obice, sive culpabiliter sive inculpabiliter susceptum, remoto per subsequentem dispositionem obice,

(1) Cfr. Theol. Mechlin. *De sacram.* n. 45; et Wirceb. *De sacram. in gen.* n. 196 seq. —(2) Trid. Sess. cap. 6. — (3) Wirceb. *De sacram. in genere*, n. 85 et seqq.

reviviscit, gratiamque ex opere operato confert. Est communissima Theologorum sententia, post Aug. tempora, si Sotum et paucos alios excipias. — Et revera, si secus dicatur, ille qui cum obice Baptismum suscepisset, non amplius posset salvus fieri ; quod profecto nefas est admittere. Etenim hujusmodi homo neque posset iterum baptizari, neque posset justificari per votum Baptismi quod jam non esset licitum.

197. Idem communius affirmant Theologi de duobus reliquis sacramentis characteristicis, id est, Confirmatione atque Ordine; ea præsertim ratione nixi, quod hæc duo sacramenta, quemadmodum Baptismus, iterari nequeunt, et virtualiter in charactere perseverant. Probabile quoque est, Matrimonium et Extremam Unctionem reviviscere; quippe quæ et ipsa *aliquatenus* initerabilia sunt. — De sacramentis vero Eucharistiæ ac Pœnitentiæ paulo aliter judicandum videtur. Utrum sacramentum Pœnitentiæ reviviscat, ab ea quæstione pendet : an dari possit sacramentum hoc validum simul et informe? Quod probabilius multi negant. Si tamen supponatur id posse fieri, ac reapse dari sacramentum hoc validum sed informe, idem quoque posse reviviscere videtur perquam probabile. — Ad Eucharistiam quod attinet, si suscepta fuerit cum fictione, non videtur posse reviviscere, saltem si fictio fuerit formalis ac positiva: id est, si Eucharistiam suscipiens, impedimentum gratiæ sciens volensque posuerit, vel minime sustulerit (1).

198. Quod si quæratur, *quomodo* sacramenta reviviscant, respondetur, ea reviviscere, proprios effectus suos, postquam remotus fuerit obex, *operando*. Licet enim sacramentum non amplius existat physice, adhuc tamen existit moraliter atque virtualiter; quatenus illius virtus, puta, applicatio meritorum Christi, in acceptatione Divina permanet, et sic operatur: i. e. movet Deum efficaciter, ut gratiam, post sublatum obicem, conferat.

199. Hactenus de sacramentis in genere. Jam vero communia hæc principia singulis sacramentis applicanda sunt: quod agendo *de sacramentis in specie* præstabimus.

(1) Cf. La Croix, lib. 6, *De sacramentis*, n. 197 seqq.

TRACTATUS XI.

DE BAPTISMO.

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Doctrina catholica.* — § III. *Instrumenta dogmatica.* — § IV. *Errores contrarii.* — § V. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum

1. Baptismus jure merito, inter reliqua sacramenta, primo loco ponitur. Est enim primum, non quidem dignitate, sed tum necessitate tum ordine receptionis. Deinde nativitas spiritualis est, adeoque principium illius spiritualis vitæ, qua homo christianus crescere debet *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Eph. IV, 13.—Est etiam janua, qua *introitur in regnum Dei*, Joan. III, 5; id est, in Ecclesiam militantem hic in terris, et postea in Ecclesiam cum Christo in cœlis triumphantem.

§ II. Doctrina catholica.

2. Sacramentum Baptismi administrari debet aqua vera et naturali, sub distincta trium divinarum Personarum invocatione; æque autem valet sive per immersionem, sive per infusionem aut aspersionem conferatur. — Ministri ordinarii hujus sacramenti sunt Episcopi et presbyteri, extraordinarii vero et ex delegatione diaconi; imo quilibet homo *valide*, et necessitate cogente, etiam *licite* baptizare potest.

3. Baptismus in re vel in voto, omnibus hominibus, etiam parvulis, ex quo promulgatum est Evangelium, necessarius est ad salutem. Per illum remittitur originale peccatum; imo etiam omne peccatum actuale, omnisque pœna peccato

debita tollitur; ac simul gratia sanctificans, cum virtutibus et donis spiritualibus, infunditur.

4. Ut autem hi fructus percipiantur, requiritur in adultis fides in Christum, dolor de peccatis mortalibus, et propositum servandi mandata.

5. Baptismus valide susceptus characterem indelebilem in anima imprimit; atque iterari non potest.

§ III. Instrumenta dogmatica.

6. — DEFINITIO CONCILII LATERAN. IV (1215), CAP. *FIRMITER*.

...Sacramentum vero Baptismi (quod ad Dei invocationem et individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus sancti, consecratur in aqua), tam parvulis quam adultis in forma Ecclesiæ a quocumque rite collatum, proficit ad salutem.

7. — DECRETUM CONCILII FLORENTINI PRO ARMENIS.

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma quod vitæ spiritualis janua est : per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum cœlorum introire. Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis : nec refert frigida sit an calida. Forma autem est : EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. *Non tamen negamus quin et per verba illa:* BAPTIZATUR TALIS SERVUS CHRISTI IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI *; vel :* BAPTIZATUR MANIBUS MEIS TALIS IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, *verum perficiatur Baptisma : quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit S. Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione perficitur sacramentum. Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis, non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia. Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis; omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniunt.*

8. — CANONES CONCILII TRIDENTINI.

SESS. V. — Can. 4. *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti ; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam ; unde sit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur ; anathema sit*

Can. 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat ; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet ; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.*

SESS VII. DE BAPT. — Can. 1. *Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi ; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi : Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto ; ad metaphoram aliquam detorserit ; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam ; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum ; anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem ; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere quantumcumque peccet, nisi nolit credere ; anathema sit*

Can. 7. *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum, solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ Legis Christi servandæ ; anathema sit*

Can. 8. *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint ; anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea, et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo ; anathema sit.*

Can. 10. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri ; anathema sit.*

Can 11. *Si quis dixerit, verum, et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur ; anathema sit.*

Can. 12 *Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo ; anathema sit*

Can. 13. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos ; aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ ; anathema sit.*

Can. 14. *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt ; et ubi se nolle responderint suo esse arbitrio relinquendos ; nec alia interim pœna ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.*

§ IV. Errores contrarii.

9. — 1° *Circa materiam.* a) Omnem Baptismi materiam rejecerunt *Herminiani*, *Manichæi* eorumque soboles.

10. b) In igne baptizasse discipuli *Simonis*, et *Seleuciani* ; sanguinem pro aqua adhibuisse *Flagellantes* perhibentur.

11. c) Quidquid balnei loco esse potest, materiam idoneam dixerunt *hæretici recentiores*, duce Luthero.

12. d) Nullam aquam nisi metaphoricam *Sociniani*, eorumque sequaces admiserunt.

13. e) Pro materia proxima solam immersionem *Græci schismatici* validam habent.

14. — 2° *Circa formam.* a) Eam vitiarunt *Gnostici*, *Valentiniani*, *Montanistæ* aliqui, *Sabelliani*, *Priscillianistæ ;* item *Pauliciani* qui baptizabant his verbis : *Ego sum aqua vivens.*

15. b) Formam catholicam retinent sed non necessariam censent *Zwingliani*, *Calviniani*, *Sociniani*.

16. — 3° *Circa necessitatem et effectus. a*) Baptismum infantium rejecerunt *Storchius*, *Anabaptistarum* parens, et *Servetus*.

17. *b*) Baptismi necessitatem negarunt, saltem quoad filios Christianorum. *Manichæi*, *Pelagiani*, *Waldenses*, *Calviniani*, *Sociniani*.

18. *c*) Baptismum nihil salutis afferre dixerunt *Manichæi* et *Sociniani*.

§ V. Divisio Tractatus.

19. Circa Baptismum dogmatice spectatum tria quæri possunt : 1° quale sit sacramentum ? 2° a quo sit administrandum et quibus ? 3° quos effectus producat ? — Hinc tria capita :

Caput I, *de Baptismi natura, seu causis intrinsecis.*
Caput II, *de ejus administratione, seu causis extrinsecis.*
Caput III, *de ejus effectibus.*

CAPUT PRIMUM.

DE BAPTISMI NATURA.

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ET INSTITUTIONE BAPTISMI.

QUÆSTIONES.

1° *Quid significat nomen Baptismi ? — 2° Quomodo N L Baptismus definitur ? — 3° Quibus nominibus vel descriptionibus Baptismi sacramentum in Scriptura et Patribus designatur ? — 4° Quibus figuris fuit adumbratum ? — 5° Quotuplex Baptismus distinguitur ? — 6° Quid est Baptismus flaminis et sanguinis ? — 7° An Christus Baptismum instituit ante passionem suam ? — 8° Quo determinato tempore illum instituit ?*

20. QUÆR. 1° *Quid significat nomen* BAPTISMI ? — R. *Baptismi* nomen sensu litterali *immersionem*, *tinctionem* sonat, utpote a verbo græco βάπτω vel βαπτιζω, id est, *mergo*, *tingo*, derivatum. — Accipitur autem in S. Scriptura quadruplici sensu: 1° sensu proprio, ut Judith. XII, 7 : *Et exibat noctibus, et baptizabat se in fonte aquæ.*

21. — 2° Metaphorice, *a*) pro passione et afflictione abundante, qua veluti flumine homo mergitur, ut Luc. XII, 50 : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur? b*) Pro abundantia gratiæ et spiritualis gaudii per infusionem donorum Spiritus S., ut Act. I, 5: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto. c*) Pro figura Baptismi christiani, I Cor. X, 2 : *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari;*

id est, quodammodo baptizati sunt. Transitus enim per mare rubrum figura fuit Baptismi, in quo sacramento Ægyptios, hoc est peccata, sanguine Christi mergimus.

22. — 3° Pro lotionibus legalibus et traditionalibus Judæorum, ut Hebr. IX, 10; Marc. VII, 8; et pro insigni ritu a Joanne usurpato, qui Marc. I, 4, vocatur *baptismus pœnitentiæ.*

23.—4° Denique nomen Baptismi, usu Scripturæ et Ecclesiæ, usurpatur ad primum inter septem sacramenta N. L. designandum.

24. Q. 2° *Quomodo N. L. Baptismus definitur?*—R. Sacramentum Baptismi, si spectetur *physice*, i. e. si considerentur elementa, quibus constat *prout est a parte rei*, definitur: *Ablutio corporis sub præscripta verborum forma.* — Si vero spectetur *metaphysice*, i. e. si considerentur elementa, quibus constat *prout a nobis concipitur* cum fundamento a parte rei, quæque sunt ejus *genus proximum* et *differentia ultima*, recte definiri potest: *Sacramentum regenerativum*, seu, institutum et idoneum ad supernaturalem hominum generationem. — Utroque autem modo, physice ac metaphysice, sumptus Baptismus, a Catechismo Romano (1) definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*: vel explicatius, et ut vulgo describi solet: *Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo per ablutionem exteriorem corporis, sub invocatione SS. Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur.*

25. Q. 3° *Quibus nominibus vel descriptionibus sacramentum Baptismi in Scriptura et Patribus designatur?* —R. 1) A materia dicitur *lavacrum aquæ* (2).—2) Ab effectibus: *lavacrum regenerationis et renovationis* (3), *illuminatio* (4), quæ Græcis Patribus familiaris appellatio est; unde S. Cyrillus Hierosolymitanus orationes suas de Baptismo *Catecheses illuminatorum* nuncupavit, ratione scilicet fidei, cujus solemnem professionem catechumenus emittit, et in cujus *admirabile lumen* baptizati, *de potestate tenebrarum erepti, transferuntur* (5); idcirco quoque *sacramentum fidei*, a Tridentinis

(1) Part. 2. cap.— (2) Ephes. V, 26. — (3) Tit. III, 5. — (4) Hebr. VI, 4.
(5) I Pet. II, 9; Coloss. I, 13.

Patribus vocatur (1). Item: *sigillum, signaculum* (2), ob characterem, *sepultura hominis cum Christo in mortem* (3), quia ut Christus mortuus ad vitam novam et gloriosam resurrexit, ita homo in Baptismo ad spiritualem vitam; — *indumentum* (4), quia Baptizati Christum, novum hominem, quodammodo induunt (5). — 3) A forma demum, *sacramentum Trinitatis* (6) nuncupatur.

26. Q. 4° *Quibus figuris Baptismus fuit adumbratus?* — R. Figuræ Baptismi præcipuæ fuerunt: arca Noe, columna nubis, transitus maris rubri, transitus Jordanis, lotio Naaman Syri in Jordane, lotiones legales Judæorum; præ cæteris autem Circumcisio et baptismus Joannis. Luculentissime vero Baptismi N. T. mysterium manifestatum potius quam adumbratum fuit, quando, Christo in Jordane baptizato, cœli aperti sunt, et SS. Trinitatis majestas apparuit (7).

27. Primi Ecclesiæ sæculis Baptismus frequenter figurabatur per piscinam seu vivarium, ubi Christus, mysticus 'ΙΚΘΥΣ (8), seu *piscis*, cum omnibus fidelibus tanquam in elemento suo habitaret. *Nos pisciculi*, inquit Tertullianus, *secundum ἰχθῦν nostrum Jesum Christum, in aqua nascimur; nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus.* De Bapt. c. 1.

28. Q. 5° *Quotuplex Baptismus distinguitur?* — R. Triplex: Baptismus *fluminis*, *flaminis* et *sanguinis*. Non tamen triplex, sed unum est Baptismi *sacramentum*, nimirum *fluminis* seu aquæ: *Confiteor* UNUM *Baptisma*. Symb. Constantinop. — *Unus Deus, una fides, unum Baptisma*. Eph. III, 5. — Baptismus autem flaminis et sanguinis hoc nomine donatur, *in quantum*, ut S. Thomas ait, *supplet vicem Baptismi aquæ* (9).

29. Q. 6° *Quid est Baptismus flaminis et sanguinis?* — R. Baptismus flaminis est *perfecta cordis contritio*, aut etiam *quilibet charitatis perfectæ actus*, qui quidem votum saltem implicitum Baptismi contineat. — *Flaminis* nomen traxisse videtur a *flamine, afflatu* seu virtute Spiritus S., cujus est movere ani-

(1) Trid. Sess. 6, cap. 7. — (2) Cyrill. Hieros. *Catech. de Bapt.*
(3) Rom. IV, 4. — (4) Greg. Naz. *Orat.* 40 *in Bapt.*
(5) Gal. III, 27. — (6) Greg. Naz. ibid. — (7) Cf. *Catech. Rom.* cap. 14, § 1.
(8) 'Ιχθὺς est acrostichis vocabulorum Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς Σωτήρ. Cf. August. *De civit.* l. 18, c. 23. — (9) P. 3, q. 66, art. 11.

mum ad diligendum Deum et pœnitendum de peccatis. — Porro Baptismus flaminis vices Baptismi aquæ in adultis supplet, quoad effectum ejus principalem, gratiam peccatorum remissivam. — *Qui diligit me diligetur a Patre meo.* Joan. XIV, 21. — *Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit.* Rom. X, 13. — S. Ambrosius de Valentiniano Imperatore, qui catechumenus obierat, ait : *Quod si martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas* (1). — Hujusmodi effectum Baptismo flaminis produci Tridentinum supponit, ubi de justificatione pronuntiat, eam *sine lavacro regenerationis*, AUT EJUS VOTO *fieri non posse* (2).

30. Baptismus sanguinis est *Martyrium* (3) *pro Christo toleratum a non baptizato*, quod supplet vices Baptismi aquæ, tam in infantibus quam in adultis, quoad remissionem culpæ omnis et pœnæ; idque quasi *ex opere operato*, non solum in infantibus, sed etiam probabilius in adultis (4). *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Matth. X, 39. — S. Augustinus : *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis* (5). — Quare Ecclesia pro martyribus orare supervacaneum censet; imo eos ut sanctos colit et invocat, etiam parvulos, qui uti hymno celebrat, Christum *non loquendo, sed moriendo confessi sunt* (6).

31. Q. 7° *An Christus Baptismum ante passionem suam instituit?* — R. Omnes quidem Theologi consentiunt, vim actu et proxime obligandi, nisi post resurrectionem Christi, Baptismo non fuisse; at pauci sunt qui institutionem Baptismi ad ea quoque tempora referant. Plerique Scholastici sententiam sequuntur S. Thomæ, quam etiam S. Augustinus aliique Patres tanquam veriorem et credibiliorem commendarunt : nempe Baptismi sacramentum ante Christi mortem, a Christo ipso fuisse institutum et ab Apostolis ministratum. Cujus sententiæ duæ sunt præcipuæ rationes : — 1) Joan.

(1) *Orat. funeb. de Valent.* — (2) Sess. 6, cap. 4. Cf. Sess. 14, cap. 4.
(3) Cf. infra, tract. *De virtutibus*, n. 399. — (4) Wirceb. de Bapt. n. 81.
(5) *De civit.* l. 13, c. 7 — (6) De dispositionibus ad effectum martyrii requisitis in adulto, vid. infra *De virtutibus*, c. 3, art. 4, n. 401.

IV, 1 : *Audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit et baptizat, quam Joannes.* Dicitur : *Baptizat :* non utique baptismo Joannis, sed alio; ut hic insinuatur, et apertius ab ipso Joanne Baptista declaratur Matth. III, 11. — 2) Secus admittendum esset, quod probabile nequaquam est (1), Apostolos antequam baptizati essent, Eucharistiam et Ordinem in ultima Cœna recepisse. Igitur ante ultimam Cœnam Christus instituisse Baptismum censendus est. Imo ipse Dominus aliquando per se baptizasse videtur. Nam licet, Joan. IV, 2, dicatur : *Quanquam Jesus non baptizaret sed discipuli ejus*, tamen S. Augustinus censet (2), etsi non habeatur in Scriptura, credendum esse, Christum per seipsum baptizasse Apostolos. Nicephorus autem (3) ex Evodio Antiocheno refert, Christum manibus propriis tantummodo Petro baptismum contulisse : Petrum vero Andreæ ac Filiis Zebedæi ; hos deinceps reliquis. Euthymius, in Joan. III, ait, Christum suis manibus ante Apostolos sanctissimam Matrem suam baptizasse (4).

32. Q. 8° *Quo determinato tempore Christus Baptismum instituit?* — R. Controvertitur. Juxta communiorem sententiam, Christus Baptismum, saltem inchoate, instituit ac veluti in exemplari delineavit, quando a Joanne baptizatus est. Tunc enim aquæ sanctificandi virtutem, Christi contactu, imbiberunt, ut apta Baptismi materia fierent; tunc etiam Baptismi forma designata est, manifestante se SS. Trinitate ; et proprius ejus effectus declaratus, aperto scilicet cœlo ac Paterna voce testante : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* — Ergo quæcumque ad Baptismi institutionem pertinent in illo mysterio delineata reperiuntur. Porro quæ tunc delineata tantum, ea paulo post positiva institutione a Domino videntur impleta fuisse (5).

(1) Augustin. Epist. 163. Cf. Suar. tom. 18, disp. 19, sect 1, 2.
(2) Epist. 108 ad Seleucianum. — (3) Hist. l. 2, cap. 3.
(4) Cf. Suar. t. 18, disp. 19.
(5) August. Tract. 6 in Joan. Cf. Catech. Conc. Trid. *De Bapt.* quæst. 16, — Suar. t. 18, disp. 19, sect. 1, 2.

ARTICULUS II.

DE BAPTISMI MATERIA.

33. Baptismi materia *remota* est aqua naturalis; materia *proxima* est ablutio, sive per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem fiat. Immersionis usus usque ad sæculum XIII in Ecclesia obtinuit; deinceps vero infusio generaliter fuit usurpata.

Propositio I, *de materia remota.* — *Objectiones.*
Propositio II, *de materia proxima.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Materia remota Baptismi est aqua vera et naturalis.

34. *De fide* ex Decreto pro Armenis, et ex Trid. Sess. 7, can. 2.

35. Dicitur in propositione *aqua*, ut excludatur alius quicunque liquor; — *vera*, ut excludatur aqua *metaphorica;* — *et naturalis*, ut excludatur omnis aqua artificiali modo confecta.

36. PROB. 1° *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan. III, 5. — *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Act. VIII, 36 et seqq.

37. 2° Augustinus : *Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus; tolle verbum, non est Baptismus.* Tract. 15 in Joan. n. 4.

38. 3° Praxis perpetua Ecclesiæ, quæ constat, inter alia monumenta, ex baptisteriis antiquis, in aquæ receptacula ædificatis.

39. OBJIC. 1° In allatis verbis Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto,...* pari ratione ponitur aqua et Spiritus sanctus; adeoque et pari significatione; atqui Spiritus sanctus non designat materiam Baptismi; ergo neque aqua. — R. *Dist. maj.* Pari ratione, etc., *sub aliquo respectu*, nimirum causalitatis in genere, *C. : sub omni respectu*, etiam causalitatis in specie, *N.* Christus asserit quidem tum aquæ tum Spiritus sancti causalitatem in opere regene-

rationis perficiendo; sed minime dicit utramque ad eumdem ordinem pertinere. Porro causalitas Spiritus S. principalis est; aquæ vero, instrumentalis. — *Concessa minori, negatur conseq.* ob allatam disparitatem.

40. *Obj.* 2° Matthæi III, 11, de Christo dicit Joannes Baptista : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni;* atqui hoc loco *ignis* sumitur metaphorice pro gratiæ effusione in cordibus; ergo etiam aqua, Joan. III, propter utriusque testimonii parallelismum, metaphorice intelligenda est. — R. *Conc. antec., neg. conseq. et suppositum parallelismum ac paritatem.* Joannes Baptista non describit Baptismum Christi quoad materiam, sicut Christus Joan. III ; ergo non est parallelismus. — Nec magis paritas datur : repugnat enim ignem proprie accipi : ut vero aqua sensu proprio sumatur omnia postulant.

41. *Inst.* Præcursor Baptisma suum Christi Baptismati opponit : *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam.... ipse baptizabit in Spiritu sancto;* atqui, ut consistat oppositio seu antithesis, Baptisma Christi non potest fieri in aqua naturali, sed spiritali, nimirum interna illa aqua gratiæ, de qua ipse Salvator Joan. IV, loquitur ad Samaritanam; ergo aqua, de qua Joan. III agitur, metaphorice intelligenda est.— R. *Dist. maj.* Opponit Baptisma Baptismati respectu materiæ, *neg.;* respectu effectuum, *conc. maj.* Significat his verbis Præcursor, se quidem aqua baptizare, quæ gratiam nude designet, non autem producat, nisi ex opere operantis, atque ut humilitatis et pœnitentiæ medium : *in aqua in pœnitentiam;* Christum vero baptizaturum aqua, quæ ad animas mundandas et charitatis igne accendendas valeat, Spiritus sancti virtute per eam operante ; imo baptizaturum quoque immediata Spiritus S. effusione, speciem ignis referente, die Pentecostes, sicut ipse Dominus discipulis prædixit : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Act. I, 5. — Nec juvat objicere verba Joan. IV, 14, quibus, vocabulo aquæ metaphorice accepta, Christus gratiam designat. Negatur enim locum illum Evangelii cum alio quem nunc examinamus, parallelum esse; siquidem *hic* Dominus de Baptismo manifeste agit : *ibi* vero, non de Baptismo cum

Samaritana loquitur, sed de gratia, cujus effectus depingit imagine fontis *aquæ salientis in vitam æternam*.

PROPOSITIO II.

Baptismus æque validus est, sive per immersionem, sive per infusionem aut aspersionem conferatur.

42. Propositio hæc, contra Græcos, *certa* est, imo *ad fidem pertinet*, quatenus enuntiat Ecclesiæ Romanæ circa Baptismum doctrinam, quæ definitur esse vera, Trid. Sess. 7, can. 3.

43. Ad probationem prænotandum, quod de infusione dicetur, illud de aspersione quoque intelligi oportere; quippe quæ non est nisi specialis infusionis vel affusionis modus.

44. PROB. 1° Ex praxi ac sensu totius antiquitatis. 1) Illud Ezechielis XXXVI, 25: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, Patres passim de Baptismo intelligunt.

45. 2) Baptismus *clinicorum*, i. e. in lecto decumbentium, ab initio in Ecclesia frequentatus, semper pro valido fuit habitus (1).

46. 3) Valuit, nullo unquam ex Catholicis contradicente, Baptismus, qui in carceribus sola affusione aquæ conferebatur: ut quando S. Laurentius aqua ex urna effusa Romanum, aut Paulus, Act. XIX, custodem carceris cum suis baptizavit. Huc refer quod Act. II et III narratur, Petrum, una vice tria, alia vice quinque millia hominum baptizasse.

47. 2° Ratione. Non requisivit Christus nisi signum ablutionis internæ, quæ per ablutionem corporis in aqua significatur. Ablutio autem hæc, non tantum immersione, sed etiam affusione et aspersione fieri potest. — Quod si Apostolus dicat (2), *nos consepeliri cum Christo per Baptismum in mortem*, hujusmodi sepultura spiritualis, ac dominium mortis, per qualemcumque inundationem sufficienter adumbratur.

(1) Cf. *respons. S. Cypriani ad Magnum*, epist. 76, n. 13 et seq.
(2) Rom. VI, 4.

QUÆSTIONES.

1° *An necessaria est immersio vel infusio trina?* — 2° *Quare Christus aquam in materiam Baptismi elegit?*

48. QUÆR. 1° *An necessaria est immersio vel infusio trina?*— Resp. negative. S. Gregorius M. lib. I, epist. 43, ad Leandrum Hispalensem, hæc habet: *Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate vel ter, vel semel mergere; quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest Divinitatis singularitas designari.*

49. Q. 2° *Quare Christus in Baptismi materiam elegit aquam?* — R. Adæquata ratio est sola Christi voluntas. Quatuor tamen rationes congruentiæ allegat S. Thomas (1). — 1) Quia id convenit rationi Baptismi. Regeneratio enim spiritualis apte adumbratur per aquam, quæ in rebus quoque naturalibus principium productionis et fecunditatis est. 2) Quia convenit effectibus Baptismi, qui proprietatibus aquæ significantur. Aqua enim sua humiditate *lavat*, quod significat ablutionem peccatorum; sua frigiditate *temperat* superfluitatem caloris, quod significat mitigationem concupiscentiæ; sua diaphaneitate est *luminis susceptiva*, quod illuminationem fidei in anima baptizati significat. 3) Quia convenit ad repræsentanda mysteria Christi quorum virtute justificamur. Ut enim dicit Chrysostomus, super illud Joan. III, *Nisi quis*, etc.: *Sicut in quodam sepulcro*, ait, *in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus ascendit.* Homil. 24 in Joan. 4) Quia ratione suæ communitatis et abundantiæ est materia conveniens pro hujusce sacramenti necessitate; potest enim aqua ubique facili negotio haberi.

ARTICULUS III.

DE BAPTISMI FORMA.

50. Consueta apud Latinos baptizandi forma hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* qua exprimitur actio ministri, persona baptizanda, et causa princeps, in cujus virtute seu nomine Baptismus datur.

(1) 3 p. q. 66, art. in corp.

51. Græcorum forma: *Baptizatur servus* (*aut serva*) *Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, a forma Latinorum non differt substantialiter.

52. Quæstio est inter Catholicos controversa, utrum valeat Baptisma *in nomine solius Christi* aut *in nomine Trinitatis* tantum collatum, id est, prolatis ad modum formæ his tantum verbis: *Ego te Baptizo in nomine J. C.;* aut: *in nomine SS. Trinitatis.* Alii valere, alii valuisse per dispensationem divinam tempore Apostolorum, plerique autem non valere, neque unquam valuisse censent (1). Juxta posteriores Theologos, quando in Actibus Apostolorum refertur, nonnullos fuisse baptizatos *in nomine Christi*, aut *Domini Jesu*, significatur eos in fide et auctoritate Christi atque ejus Baptismo, ut distincto a baptismo Joannis, baptizatos fuisse; sed minime innuitur illa baptismata, prolatis solum his verbis: *in nomine Christi*, fuisse collata.

53. Cæterum, quidquid sit de validitate, hoc certissimum est, sub ea forma conferre Baptismum minime licere.

PROPOSITIO.

Vera est illa Baptismi forma, quæ distinctam invocationem trium divinarum Personarum complectitur.

54. *De fide*, ut patet ex Trid. Sess. 7, can. 3 et 4.

55. Propositio præscindit a quæstione disputata, utrum hæc sola et exclusiva forma semper fuerit.

56. PROB. 1° *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Matth. ult.

57. 2° Tertullianus: *Lex tingendi imposita est et forma præscripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Lib. De Bapt. cap. 13.

58. 3° Accedit perpetua Ecclesiæ praxis, ut ex ritualibus omnium Ecclesiarum patet. — Quod attinet ad espistolam Nicolai I ad Bulgaros (2) an. 860 datam, quæ hic objici solet, hæc propositioni nostræ nequaquam contradicit; imo ne certo quidem statuit, validum esse Baptismum, si expresso tantum nomine SS. Trinitatis, aut Christi, conferretur.

(1) S Thom. q. 68, art. 6. — Suarez, t. 18, dis. 21, sect. 3, 4.
(2) Labb. tom. 8, col. 548.

CAPUT SECUNDUM.

DE BAPTISMI ADMINISTRATIONE.

Articulus I, *de ministro Baptismi.*
Articulus II, *de subjecto Baptismi.*

ARTICULUS I.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Propositio unica, *de triplici ministro.*
Quæstiones.

PROPOSITIO.

Baptismi minister proprius et ordinarius est Episcopus et presbyter; extraordinarius et ex delegatione diaconus; in necessitatem autem, omnis homo minister esse potest.

59. Propositio *certa*, quoad primam et secundam partem; quoad tertiam vero, *de fide*, ut patet ex Decreto Eug. IV, *pro Armenis.*

60. Tertia pars de liceitate agit : validitatem supponit. Valor enim Baptismi a quovis homine, etiam extra necessitatem, administrati, *de fide* est ex Conc. Lat. IV, cap. *Firmiter.*

61. PROB I PARS. Episcopos esse ministros Baptismi a nemine dubitatur. Presbyteros quoque ministros esse, subordinatos tamen, ex universa Traditione constat. *Constitutiones apostolicæ* solum Episcopis et presbyteris permittunt ut Baptismum, ministrantibus diaconis, administrent (1).

62. II PARS. Diaconos ex delegatione baptizasse constat, tum ex Act. VIII, 38, ubi Philippus diaconus baptizasse per-

(1) Lib. 3, cap. 11, apud Coteler. Idipsum constat ex Canon. apostolicis 47, 48 et 50.

hibetur Eunuchum: tum ex sensu et praxi totius antiquitatis (1).

63. III PARS. In casu necessitatis cuilibet homini facultatem baptizandi fieri, iterum ex sensu et praxi antiquitatis patet. Tertullianus: *Alioquin* (si fuerit videlicet urgens Baptismi necessitas) *et laicis jus est.* Lib. De Baptismo, cap. 17.— Hieronymus: *Baptizare, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis.* Dialog. contra Lucif. n. 9. — Baptismus ab hæreticis collatus pro valido semper habitus est; quod comprobatur ex controversia Cypriani cum Stephano Papa, quam supra exposuimus (2). Validitas Baptismi ab infidelibus collati nonnihil dubia adhuc videbatur Augustino (3); sæculo vero IX, res prorsus eliquata erat, ut patet ex responsione Nicolai I ad consulta Bulgarorum (4).

QUÆSTIONES.

1° *Quænam sunt cæremoniæ Baptismi?* — 2° *Quæ sunt vota Baptismi?*

64. QUÆR. 1° *Quænam sunt Baptismi cæremoniæ?*—R. Aliæ sunt generales, aliæ particulares. Ad *generales* pertinent benedictio Fontis et locus sacer. — *Particulares* partim Baptismum præcedunt, partim concomitantur, partim subsequuntur. Cæremoniæ Baptismum *præcedentes* sunt: adhibitio susceptorum, sive Patrini et Matrinæ; nominis Sancti impositio; signa crucis fronti, oculis, humeris, auribus impressa; exorcismi, et exsufflatio: linitio qua aures et nares saliva tinguntur; traditio salis consecrati quod initiando degustandum datur; atque hæc quidem ad limen Ecclesiæ peraguntur.

65. *Concomitantes* sunt: 1) Abrenuntiatio ἀπόταξις quæ his verbis perficitur; *Abrenuntias Satanæ?* — R. *Abrenuntio.— Et omnibus operibus ejus?* — R. *Abrenuntio.* — *Et omnibus pompis ejus?* — R. *Abrenuntio.* 2) Deinde fit sponsio, qua baptizandus Christo adscribitur, σύνταξις, quæ hodiedum perficitur petitione Baptismi: *N. Visne baptizari?* — R. *Volo.*

(1) Cf. Concil Illib. can. 70. — (2) *De sacram. in gen.* n. 97.
(3) Lib. 2, *Contra epist. Parmen.* cap. 13. Cf. de Bapt. lib. 7, cap. 53.
(4) Harduin, *Acta Conc.* tom. 5, col. 383.

3) Fidei professio. 4) Inunctio, oleo catechumenorum facta. 5) Alia SS. Trinitatis confessio.

66. *Subsequentes:* 1) Baptizatus chrismate ungitur in vertice, 2) veste alba induitur; 3) cereum accensum in manu accipit, 4) his verbis a ministro dimittitur: *Vade in pace: Dominus sit semper tecum.*

67. Hæ cæremoniæ documentis spiritualibus refertæ, a remotissima antiquitate, in Ecclesia fere immutabiliter conservatæ sunt (1).

68. Q. 2° *Quæ sunt vota Baptismi?* — R. Vota Baptismi vocantur abrenuntiatio et sponsio, quibus se catechumenus vitaturum peccata, et legem Christi servaturum promittit. Hæc porro, licet antiquitus vota dici consueverint, lato sensu ita appellantur; non enim proprie sunt, nisi declarationes, quibus baptizandus profitetur se Christianam legem, quod per ipsum Baptisma fit, voluntarie suscipere; ac propterea æque obligant eos qui in infantia, quam qui adulta ætate baptizantur. Nihilominus peccata baptizati graviora, cæteris paribus, sunt, quam reliquorum; tum ob ingratum animum, tum ob hujus voluntariæ professionis, atque adeo Baptismi ipsius, violationem. — Sponsiones Baptismi aliquoties renovare convenit ac utilissimum est, præsertim ante primam Communionem, ante Confirmationem, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, quando fit Fontis baptismalis benedictio, die anniversario suscepti Baptismatis, et denique morte imminente.

ARTICULUS II.

DE BAPTISMI SUBJECTO.

69. Hoc argumentum ad tria capita revocari potest. Quæritur enim: 1° qui possint, 2° qui debeant baptizari; 3° quomodo debeant esse dispositi qui baptizantur? Quæ quæstiones, si specialius, et sub respectu dogmatico proponantur, ad has reducuntur: 1° Utrum parvuli et rationis usu carentes sint Baptismi capaces? 2° Utrum Baptisma sit necessarium, necessitate scilicet medii et præcepti? 3° Quæ

(1) Cf. Liebermann, *de effectibus Bapt.* — Catech. Rom. cap. 15, § 4.

dispositiones requiruntur in adultis ut fructuose Baptismum recipiant?

Propositio I, *de suscipiendi Baptismi capacitate.*
Propositio II, *de suscipiendi Baptismi necessitate.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Baptismus etiam parvulis conferri potest, qui rationis usum non habent.

70. *Ad fidem pertinet,* ut patet ex Trid. Sess. 7, can. 12, 13, 14.

71. PROB. 1° Colligitur ex Scriptura : *Nisi quis renatus fuerit...* Joan. III, 5. Hoc Christi edicto comprehendi etiam parvulos censendum est ; tum quia id postulat verborum vis, tum quia secus dimidia fere humani generis pars, quæ ante adultam ætatem moritur, extorris a beneficiis redemptionis foret. — Apostoli perhibentur baptizasse integras familias, ut Act. XVI, 15 et 33; in quibus verisimile est infantes aliquot fuisse.

72. 2° Apertissima est Traditio et perpetua Ecclesiæ praxis. Origenes : *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare.* Lib. 3 in Rom. cap. VI.

73. 3° Ratione. Nihil est quod obstet quominus beneficium gratiæ etiam parvulus recipiat, sicut nihil obstat quominus parvulus ab homine benefico hæres adscribatur. — In adultis quidem requiritur *fides, attritio, intentio :* infantes vero attritione non indigent; *intentio* eis interpretativa sufficit ad recipiendum beneficium: nec indigent *fide actuali :* cum habitus fidei sufficiat qui ipsis a Deo per Baptisma infunditur, et actus fidei per fidem Ecclesiæ suppleatur.

PROPOSITIO II.

Baptismus liber non est : sed omnibus ad salutem necessarius.

74. *De fide.* Trid. Sess. 7, can. 3.

75. *Baptismus non est liber,* h. e. datur Baptismi recipiendi obligatio, orta ex præcepto, quod Christus tulit, cum Apostolos ad docendum et baptizandum mitteret. Hæc autem lex

proxime atque actu obligare cœpit post sufficientem Evangelii promulgationem, quæ vario tempore pro variis gentibus contigisse censenda est.

76. Dicitur *necessarius:* i. e. de necessitate, non tantum præcepti, sed etiam medii ad salutem: parvulis quidem in re, adultis in re vel in voto.

77. PROB. 1° *Nisi quis renatus fuerit.....* Joan. III, 5. In quæ verba S. Ambrosius scribit: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum necessitate.* De Abraham, l. 2, c. 11, n. 84.

78. 2° Ex perpetua Orientalis et Occidentalis Ecclesiæ sollicitudine parvulos baptizandi.

QUÆSTIONES

1° *An tempore infantiæ baptizatis examen protestanticum, ubi adoleverint, permittendum est?* — 2° *Quæ dispositiones in adultis catechumenis requiruntur?* — 3° *Quæ fuit olim Ecclesiæ pro catechumenis disciplina?*

79. QUÆR. 1° *An tempore infantiæ baptizatis examen protestanticum, ubi adoleverint, permittendum est?* — R. Examen protestanticum est libertas permissa adultis, tum ea cognoscendi, examine non mere *confirmativo* sed *dubitativo*, quæ, cum baptizarentur, eorum nomine promissa sunt; tum eadem promissa libere confirmandi vel abjiciendi. Jam vero hujusmodi examen et libertatem nequaquam permitti posse definivit Trid. Sess. 7, can. 14. Et merito quidem; nam sponsio baptismalis pertinet tum ad fidem, tum ad mores: atqui neutrum vel ad examen dubitativum vel ad liberam acceptationem revocari potest (1).

80. Q. 2° *Quæ dispositiones requiruntur in adultis ut fructuose baptizentur?*—R. Requiritur fides in Christum, et propositum servandi mandata; in iis autem qui jam actu mortaliter peccarunt, pœnitentia seu dolor de peccatis, saltem ille qui dicitur *attritio*, insuper necessarius est.

81. Q. 3° *Quæ fuit olim pro catechumenis disciplina?* — R. Ecclesia semper in hoc sollicita fuit, ut nisi bene dispositi ac

(1) Cf. Perrone, *De Baptismo*, n. 104 et seqq.

præparati ad Baptismum non admitterentur. Qui ad Baptismum disponebantur, Catechumeni dicti sunt, a voce κατηχεῖν, *instituere*, quia veluti tirones in primis christianæ Religionis elementis instituebantur. Tempus probationis duorum aut trium annorum spatio videtur fuisse comprehensum.

82. Catechumenorum gradus communiter distinguuntur tres: *Audientes*, *Orantes et Competentes*. *Audientium* nomine veniebant ii qui Fidem christianam edocebantur; quapropter in ecclesiam admittebantur ad sacrum sermonem et SS. Scripturas audiendas. Finito sermone exibant, diacono proclamante: *Ne quis audientium, ne quis infidelium.* — *Orantes*, seu *prostrati* dicebantur, qui post sermonem in ecclesia remanentes, manuum impositionem cum precationibus in genua provoluti recipiebant. — *Competentes* seu *electi* vocabantur ii, qui ab Episcopo, examine instituto, approbati, et ad Baptisma suscipiendum jam succincti erant. Appropinquante Paschatis festo *electi* variis detinebantur exercitationibus, donec in ipso Paschatis pervigilio, salutari lavacro abluerentur (1).

(1) Cfr Liebermann, *De subjecto Baptismi*.

CAPUT TERTIUM.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

83. Tres sunt secundum catholicam doctrinam Baptismatis effectus: 1° deletio omnis culpæ et pœnæ; 2° gratiæ sanctificantis cum virtutibus et donis Spiritus S. infusio; 3° impressio characteris, quo baptizatus efficitur Christi et Ecclesiæ membrum, et capax reliqua sacramenta recipiendi. De 2° et 3° jam actum est in præcedenti Tractatu; de 1° tantum remanet agendum.

Propositio unica, *de remissione totali in Baptismo.*
Quæstio.

PROPOSITIO.

Baptismum tollit omne peccatum, tum originale tum actuale; omnemque pœnam peccato debitam.

84. *De fide*, ex Eug. IV Decreto pro Armenis, et Trid. Sess. 5, can. 5.

85. PROB. I PARS. Tollit omne peccatum: *Consepulti sumus cum illo per Baptismum in mortem.* Rom. VI, 4. — *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ezechiel XXXVI, 25.

86. II PARS. Tollit omnem pœnam. In Scripturis dicimur per Baptismum *renasci*, similes effici *infantibus modo genitis;* quæ, atque his similia, de plena remissione omnis culpæ et pœnæ intelligenda sunt, et ab Ecclesia semper intellecta fuerunt. — Quod postremum vel ex eo solum in comperto est, quod recens baptizatis nulla unquam opera laboriosa et satisfactoria fuerint imponi solita.

QUÆSTIONES.

87. *An per Baptismum etiam pœnalitates hujus vitæ auferuntur?* — Respondeo verbis S. Thomæ (1): « Dicendum quod

(1) P. 3, q. 69, art. 3. Cf. 1, 2, q. 85, art. 5 ad 2. — *De pœnalitatibus*, Cf. tom. I, Tract. *De creatione*, n. 370.

« Baptismus habet virtutem auferendi pœnalitates præsentis « vitæ ; non tamen eas aufert in præsenti vita, sed ejus vir- « tute auferentur a justis in resurrectione, *quando mortale* « *hoc induet immortalitatem*, ut dicitur I Cor. XV, 54. — Et « hoc rationabiliter, primo quidem quia per Baptismum « homo incorporatur Christo et efficitur membrum ejus. Et « ideo conveniens est, ut id agatur in membro incorporato, « quod est actum in capite. Christus autem a principio suæ « conceptionis fuit plenus gratia et veritate ; habuit tamen « corpus passibile, quod, post Passionem et mortem, est ad « vitam gloriosam resuscitatum. Unde et Christianus in Ba- « ptismo gratiam consequitur quantum ad animam ; habet « tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati ; sed « tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam. Unde Apo- « stolus dicit, Rom. VIII, 11 : *Qui suscitavit Jesum Christum* « *a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter in-* « *habitantem Spiritum ejus in vobis;* et infra, 17 : *Hæredes* « *quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur* « *ut et conglorificemur.*

88. « Secundo, hoc est conveniens propter spirituale exer- « citium, ut videlicet contra concupiscentiam et alias passi- « bilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Unde « super illud Rom. VI : *Ut destruatur corpus peccati,* dicit « Glossa (1) : *Si post Baptismum vixerit homo, in carne habet* « *concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo* « *superet.* In cujus figuram dicitur Judic. III, 1 : *Hæ sunt* « *gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in iis Israelem,* « *et postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere* « *consuetudinem præliandi.*

89. « Tertio, hoc fuit conveniens ne homines ad Bapti- « smum accederent propter impassibilitatem præsentis vitæ, « et non propter gloriam vitæ æternæ; unde et Apostolus « dicit I Cor. XV, 19 : *Si in hac vita tantum sperantes sumus* « *in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (2). »

(1) Augustin. *De peccator. merit. et remiss.* l. 1, c. ult.
(2) Cf. Trid. Sess. 6, can. 5.—Huj. op. t. I, *De creat.* n 273.

Saw the Sacraments in the Grand Seminary Montreal in 1875-1876. Mr. Bentty professor in Dogma. Mr. Roussel in Morale.

TRACTATUS XII.

DE CONFIRMATIONE.

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Doctrina catholica.* — § III. *Instrumenta dogmatica.* — § IV. *Errores contrarii.* — § V. *Divisio.*

§ I. Argumentum.

1. Sanctum Confirmationis sacramentum non sine causa post Baptismum collocatur et proponitur. Nam et per duodecim priora Ecclesiæ sæcula recens baptizatis conferri consuevit; et aliunde magnam cum Baptismo affinitatem habet. Per Confirmationem enim vita spiritualis, quam in Baptismo accepimus, augetur atque perficitur. Adscripti familiæ Christi et ad hæreditatem vocati, jam ejus *militiæ adscribimur*, ut hæreditatem adire valeamus. Quare sacræ militiæ character nobis per Confirmationem imprimitur; et lumen infunditur menti ac robur pectori, ut sicut boni milites Christi Jesu (1), legitime certemus.

§ II. Doctrina catholica.

2. Confirmatio alterum est N. L. sacramentum, quod robur et fortitudinem tribuit, præsertim ad Fidem strenue profitendam. Characterem quoque in anima imprimit indelebilem, unde iterari non potest. — Minister Confirmationis ordinarius est Episcopus, licet et presbytero hoc munus a summo Pontifice delegari possit. — Materia adæquata est chrismatio.

(1) II Tim. II, 3, 5.

§ III. Instrumenta dogmatica.

3. — DECRETUM CONC. FLORENTINI PRO ARMENIS.

Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est : SIGNO TE SIGNO CRUCIS, ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALUTIS, IN NOMINE PATRIS ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. *Ordinarius minister est Episcopus. Et cum cæteras functiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat : Cum enim audissent, inquit, Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat ; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum.— Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando, per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum. — Effectus autem hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus, quæ Judæis quidem est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum : propter quod signo crucis signatur.*

4. — CANONES CONC. TRIDENTINI SESS. VII, DE CONFIRMATIONE.

Can. 1. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, at non potius verum et proprium sacramentum ; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant ; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt ; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem ; anathema sit.*

§ IV. Errores contrarii.

5. Hoc sacramentum 1° antiquitus quidam hæretici neglexerunt, ut *Novatiani;* aut superstitiosis ritibus temeraverunt, ut *Valentiniani;* nulli tamen ejus virtutem inficiati sunt.

6. — 2° Postea neglexerunt vel rejecerunt, *Cathari*, *Waldenses*, *Wicleffitæ*, *Hussitæ*.

7. — 3° Recentius rejecerunt illud passim Protestantes, inter quos præcipue impugnarunt *Dallæus* et *Basnagius*.

§ V. Divisio.

8. Totum argumentum ad duo capita referemus :

Caput I, *de existentia et natura sacramenti Confirmationis.*
Caput II, *de ejusdem administratione et effectibus.*

CAPUT PRIMUM

DE CONFIRMATIONIS EXISTENTIA ET NATURA.

Articulus I, *de Confirmationis notione.*
Articulus II, *de ejusdem existentia.*
Articulus III, *de ejusdem materia et forma.*

ARTICULUS I.

DE CONFIRMATIONIS NOTIONE.

9. Confirmatio definiri potest : *Sacramentum corroborativum in fide, per manuum impositionem et chrismatis unctionem sub certa verborum forma.* Quæ definitio utramque Confirmationis essentiam, physicam scilicet et metaphysicam explicat, ut ex dicendis patebit (1).

10. Sacramentum hoc vario olim nomine insignitum in Ecclesia fuit. 1° A materia sua remota vocatum est *sacramentum Chrismatis, unguenti mysterium.*— 2° A materia proxima, *impositio manus, sacramentum Unctionis.* — 3° *Signaculum dominicum, sigillum regium :* tum quia cruce signamur in fronte, tum quia per characterem sigillamur in anima. — 4° Ab effectibus, *perfectio, consummatio*, quia confert copiosam gratiam ad perfectionem vitæ in Baptismo acceptæ; item *donum, sacramentum Spiritus sancti.* — At nunc in Ecclesia vulgato nomine *Confirmatio* nuncupatur. Quanquam et hoc Confirmationis nomen antiquissimum est: nam ejusdem reperitur vestigium apud S. Ambrosium, lib. *De mysteriis*, cap. 7, n. 42; imo in *Constitutionibus apostolicis*, lib. 3, cap. 27, legitur : *Chrisma* CONFIRMATIO *est confessionis*, nempe Baptismi, de quo ibi agitur.

(1) De essentia physica et metaphysica etc. Cfr quæ habentur tom. 1, *De Deo*, cap. I, art. 2, n. 49 seqq.; et explicationem traditam definitionis physicæ et metaphysicæ, supra Tract. II, *de Bapt.* n. 24.

11. Adumbratum hoc sacramentum a Christo fuit dum manus imposuit parvulis et oravit, Matth. XIX, 13. Insignis autem ejus declaratio die Pentecostes exstitit, quando Apostoli Spiritus S. abundantiam acceperunt.

ARTICULUS II.

DE EXISTENTIA SEU VERITATE SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

PROPOSITIO.

Confirmatio verum est et proprie dictum N. L. sacramentum, a Baptismo distinctum.

12. *De fide*, ex Trid. Sess. 7, can. 1. de Confirmatione. — Cfr Decretum pro Armenis.

13. PROB. 1° *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cum venissent... imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum.* Act. VIII, 14 seqq. — *His auditis baptizati sunt* (Ephesii) *in nomine Domini Jesu; et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* In quibus duobus testimoniis habetur quidquid ad sacramenti rationem requiritur: signum sensibile, institutio Christi, collatio gratiæ.

14. 2° Cyprianus, Epist. 73, de tinctis a Philippo in Samaria disserens: *Quod deerat,* inquit, *id a Petro et a Joanne factum est, oratione pro eis habita et manu imposita, invocaretur et infunderetur super eos Spiritus S. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum S. consequantur, et signaculo dominico consummentur.*

15. S. Cyrillus Hieros, integram catechesim habet de Confirmatione (1), unde factum est ut Chemnitius vocaverit hoc sacramentum *Chrisma Cyrillianum.*

(1) Catech. mystagog. III, περὶ χρίσματος.

16. 3° Accedit perpetuus Ecclesiæ usus, quem ex ritualibus et euchologiis manifestum videre est apud Martinium (1) et Renaudotium (2).

17. OBJIC. Nomine *Spiritus sancti*, quem Apostoli manuum impositione contulisse leguntur Act. VIII, denotatur donum linguarum et prophetiæ, non vero gratia sanctificans; ergo ex illo testimonio non probatur Confirmationem esse sacramentum. — R. *Neg. antec.* Aliud enim est *accipere Spiritum sanctum*, aliud *loqui linguis* aut *prophetare*. Primum includit gratiæ sanctificantis collationem : nam Spiritus sanctus in animam veniens et receptus, eam ultro sanctificat diffusa charitate : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Rom. V, 5 (1). — Alterum pertinet ad gratias gratis datas, quæ initio, propter conditionem nascentis Ecclesiæ, simul cum gratia sanctificante conferebantur frequenter ; non tamen semper, ut patet ex I Cor. XII, 29: *Nunquid omnes prophetæ?... Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur?*

18. *Inst.* Samaritani et Ephesii, de quibus ibidem in Actibus sermo est, gratia sanctificante, utpote baptizati, jam fruebantur. Ergo nomine *Spiritus sancti* non gratia sanctificans sed gratia gratis data intelligenda est. — R. *Dist. antec.* Jam fruebantur gratia sanctificante baptismali, quæ porro ad christianam vitam ordinatur, *conc.*; gratia *Confirmationis*, ad christianam militiam ordinata, *neg.*

ARTICULUS III.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

19. Licet inter Catholicos sine controversia conveniat, sacramentum Confirmationis rite in Ecclesia administrari, nec practice ullus sit dubio locus ; speculative tamen non omnino consentiunt in hac administratione explicanda, atque in forma, et potissimum materia, hujus sacramenti definienda.

(1) *De antiq. Eccl. ritibus*, lib. I, cap. 2.
(2) *Perpétuité de la foi*, tom. 5, liv. 2, chap. 11, 12 et 13.
(3) Cf. tom. I, *de Trinit.* n. 172, 173; S. Thom. 1 p. q. 43, art. 3.

QUÆSTIONES.

1° *Quænam est materia remota Confirmationis ? — 2° Quæ materia proxima ? — 3° Quæ forma ? — 4° Quandonam fuit Confirmatio instituta ? — 5° An Chrisma est materia huic sacramento congrua ?*

20. QUÆR. 1° *Quænam est materia remota Confirmationis?* — R. Sanctum Chrisma, ex oleo olivarum et balsamo confectum, et ab Episcopo benedictum. Oleum olivarum essentialiter requiritur. Admixtio autem balsami utrum essentialis sit, non ita est exploratum ut salva fide negari non possit (1); communior tamen et probabilior est sententia affirmans. utrum benedictione chrismatis necessaria sit!

21. Communius etiam affirmatur benedictionem Chrismatis de necessitate sacramenti esse. Quæ quidem benedictio de jure ordinario competit solis Episcopis (2); ex delegatione tamen summi Pontificis, juxta probabiliorem sententiam, etiam a simplici sacerdote dari potest.

22. Q. 2° *Quænam est materia proxima?* — R. Quatuor præcipuæ opiniones recensentur. Juxta 1^{am} opinionem, materia proxima consistit in sola manuum impositione, quæ principio fit ab Episcopo ad omnes confirmandos simul : juxta 2^{am}, in sola unctione : juxta 3^{am}, in alterutra seorsim sumpta : tandem juxta 4^{am}, quæ probabilior est et nunc fere communiter recepta, essentialis et adæquata Confirmationis materia, in manuum impositione et Chrismatis unctione, quæ uno verbo *Chrismatio* dici potest, simul usurpatis, consistit (3). Agitur hic, ut patet, de illa manus impositione quæ cum chrismatione ipsa conjuncta est. Illa enim altera manus impositio præambula, quæ fit dum Episcopus, antequam singulos per ordinem confirmet, manu extensa versus omnes confirmandos simul, orat ut in eos descendat Spiritus sanctus; solum ceremonialis est, ut habet communior sententia.

(1) Cf. Bellarm. *De Confirm.* cap. 9, n. 17.
(2) Bened. XIV. *De synodo*, lib. 7, cap. 8, n. 1.
(3) Cf. Card. Orsi, Dissertatio historico-theologica de Chrismate confirmatorio, præsertim. cap. 3 et seqq.

23. Unctio fieri debet in fronte, et quidem in modum crucis; utrumque probabilius de necessitate sacramenti est.

24. Q. 3° *Quænam est forma?* — R. Disputatum quoque fuit de essentia verborum. Qui adæquatam Confirmationis materiam esse solam illam impositionem manuum docent, quæ earumdem extensione super confirmandos fit, iidem formam essentialem in sola illa oratione statuunt, quam tunc Episcopus Spiritum sanctum invocando profert. Verum hæc sententia merito rejecta est a Theologis, qui communiter tenent, formam esse illam unicam quæ in Decreto pro Armenis indicatur; nimirum apud Latinos : *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, etc.* Apud Græcos vero : *Signaculum doni Spiritus sancti.*

25. Q. 4° *Quandonam fuit Confirmatio instituta?* — R. Non certo constat : aliis in ultima Cœna, aliis probabilius videtur fuisse instituta a Domino post resurrectionem, quando loquens de regno Dei multa de Spiritu sancto prædixit : quibus diebus, inquit S. Leo, *magna sunt confirmata sacramenta, magna revelata mysteria* (1). — Censet Suarez, Confirmationem promissam et explicatam nocte Cœnæ fuisse : definitive autem institutam, quando Christus redivivus, insufflans Apostolis suis, Joan. XX, ait : *Accipite Spiritum sanctum.* Animadvertendum tamen, quod S. Thomas notat (2), Christum Confirmationem discipulis non administrasse : quia Spiritus sancti plenitudo, quæ hujus sacramenti effectus est, non erat ante Domini glorificationem concedenda. Neque id mirum videri debet; cum neque sacramentum Ordinis, neque Pœnitentiæ, neque Extremæ Unctionis ipse contulerit : sed effectus horum sacramentorum sublimiori modo, tanquam sacramentorum auctor qui nullis externis cæremoniis alligatus est, tribuerit.

26. Q. 5° *An Chrisma est materia huic sacramento congrua?* — R. Omnino. Oleum enim, eo quod pingue sit, et natura sua manet ac diffluat, gratiæ plenitudinem exprimit, quæ in hoc sacramento per Spiritum S. a capite Christo in alios redundat atque effunditur, *sicut unguentum quod descendit in bar-*

(1) Serm. 1, *de Ascens.*—(2) P. 3, q. 72, art. 1, ad 1.

bam Aaron, usque *in oram vestimenti ejus* (1). Unxit enim *eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis* (2); *et de plenitudine ejus nos omnes accepimus* (3). Præterea oleum roborat, nutrit, fovet lumen et ignem, quibus proprietatibus Spiritus sancti dona adumbrantur. Illæ autem proprietates olei, quibus significatur Spiritus S., magis in oleo olivarum quam in quocumque alio oleo inveniuntur. Imo ipsa oliva, semper frondibus virens, vigorem simul et misericordiam Spiritus sancti significat.

27. Oleo admiscetur balsamum propter fragrantiam odoris, quæ ab inunctis redundat ad alios, unde Apostolus dicit : *Christi bonus odor sumus.* II Cor. II, 15. Et licet multa alia sint odorifera, tamen præcipue adhibetur balsamum, propterea quod præcipuum odorem habet, et etiam quia incorruptionem præstat; unde Eccli. XXIV, 21, dicitur : *Quasi balsamum non mixtum odor meus* (4).

(1) Ps. 132. — (2) Ps. 44. — (3) Joan. I, 16.
(4) Cfr. S Thom. p. 3, q. 72, art. 2. — Catech. Rom. cap. 17, § 4.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONFIRMATIONIS ADMINISTRATIONE ET EFFECTIBUS.

Propositio unica, *de ministro*.
Quæstiones.

PROPOSITIO.

Solus Episcopus est ordinarius Confirmationis minister.

28. *De fide*, ex Trid. Sess. 7, can. 3 et Sess. 23, can. 7.

29. Dicitur *ordinarius*, hoc est, potestate propria sui Ordinis, quo ad hoc sacramentum administrandum consecratur. Hac propositione non excluditur minister *extraordinarius*, imo potius supponitur. Certum est enim, ex praxi tum Orientalis tum etiam Romanæ Ecclesiæ, simplici presbytero per delegationem summi Pontificis potestatem confirmandi posse conferri. At hujusmodi delegatus presbyter, minister extraordinarius est. Quanquam potestas ipsi communicata non est mera jurisdictio; sed potius dicenda videtur completio characteris sacerdotalis, cui radicalis insit aptitudo ad hanc extraordinariam potestatem, accedente Romani Pontificis auctoritate, suscipiendam.

30. PROB. I PARS. *Episcopus est minister ordinarius.* 1° Id insinuatur in Scriptura. Nam Act. VIII, mittuntur Petrus et Joannes ad Confirmationem conferendam Samaritanis. Porro Apostolos hoc sacramentum prout erant Episcopi administrasse, discimus ex universa ecclesiastica antiquitate ; juxta quam omni ætate receptum videmus, ut soli Episcopi, ad Spiritum S. conferendum, manus imponerent.

31. 2° Cyprianus : *Qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offeruntur, ut per nostram orationem ac manuum impositionem, Spiritum sanctum consequantur.* Epist. 73.

32. Innocentius I : *De consignandis vero infantibus, manifestum est, non ab alio quam ab Episcopo fieri licere... Nam*

presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum S. Paracletum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere. Epist. 23, ad Decentium Eugubinum, c. 3. an. 410.

33. II PARS. *Episcopus solus :* Scilicet, simplex presbyter confirmandi potestatem non habet vi Ordinis sui. Etenim presbyteris administratio Confirmationis lege generali Ecclesiæ interdicitur ; atqui, si vi ordinis haberent hujusmodi potestatem, non existeret interdictio tam generalis, ut nunquam, ne urgente quidem necessitate, possent eam exercere : ergo non habere dicendi sunt.

34. Accedit quod Nicolaus I, sæc. IX, iterum confirmare jussit, quos sub Photio presbyteri græci in Bulgaria consignaverant. Ideo enim ita se gessit, quia, cum Bulgariæ provincia ad patriarchatum occidentalem spectaret, presbyteri non a Photio, sed a Romano Pontifice delegari debuissent; eo magis quod, erroribus Photii imbuti, sacerdotes illi se ordinaria potestate præditos ad Confirmationem conferendam arbitrarentur.

QUÆSTIONES.

1° *Quodnam est hujus sacramenti subjectum?* — 2° *Quinam sunt effectus?* — 3° *Quid præcipue significatur Confirmationis cæremoniis ?*

35. QUÆR. 1° *Quodnam est hujus sacramenti subjectum?* — R. Subjectum capax est omnis et solus baptizatus necdum confirmatus. — Quod attinet ad necessitatem ac tempus Confirmationis recipiendæ, atque dispositiones in confirmando requisitas, apud Moralistas hæc omnia traduntur.

36. Q. 2° *Qui sunt Confirmationis effectus?* — R. Primus effectus est gratia sanctificans, *per se* secunda, abundantiam virtutum et septem donorum Spiritus S. adnexam habens.

37. Ideo in hoc sacramento Spiritus sanctus, seu gratiæ plenitudo, speciali ratione dari dicitur; non quasi major dari nequeat, sed quia Confirmatio est ultimum complemen-

tum, quo homo ita in gratia perficitur, ut ejus causa *perfectus Christianus* vocari possit. Peculiari autem modo virtutes fidei ac fortitudinis augentur. — Initio Ecclesiæ, cum his internis donis externa quoque charismata, miraculorum, linguarum, etc. sæpe conjuncta cernebantur.

38. Secundus effectus est gratia sacramentalis, sive actu data, sive obtinenda tempore suo : cum scilicet occasio se offeret ad Fidem corde, ore et opere, strenue et constanter profitendam ; ad vincendas contra Fidem tentationes, atque adversa quælibet pro Fide patienter toleranda.

39. Tertius effectus est character, ratione cujus hoc sacramentum initerabile est (1).

40. Q. 3° *Quid cæremoniis Confirmationis præcipue significatur?*—R. Confessio Fidei, ut recte explicant Scholastici (2). Confessio hæc — 1) debet esse *integra;* ideo fidelis signaculo crucis in nomine SS. Trinitatis signatur.—2) Debet esse *placens coram Deo et hominibus*, ad quod requiritur odor bonæ famæ et vitæ honestæ ; quare oleum olivarum, quod est nitidum, et balsamum quod odoriferum est, simul miscentur, ad significandum conscientiæ nitorem cum suavi odore tam vitæ quam famæ.—3) Debet esse *intrepida;* ideo signum crucis imprimitur fronti.—4) Debet esse *constans et patiens;* ideo levis alapa infligitur. Hæc cæremonia alapæ ex ritu, quo ætate media creari solebant equites, derivata est, ut significaretur admissio confirmati in Christi militiam. Non enim ante sæculum X mentio ulla de ea invenitur.

(1) Cf. S. Thom. p. 3, q. 72, art. 3 et 7.—Item supra, *de Sacram. in gen.* n. 152.
(2) Cf. S Bonav. *Breviloq.* p. 6, cap. 8.

Beatty Teacher of Dogma.

TRACTATUS XIII.

DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum Tractatus, ejusque divisio.* — § II. *Doctrina catholica.* — § III. *Errores contrarii.* — § IV. *Instrumenta dogmatica.*

§ I. Argumentum Tractatus, ejusque divisio.

1. Post Baptismum et Confirmationem merito collocatur *venerabile Eucharistiæ Sacramentum*, quod ad spiritualem animarum alimoniam est institutum. Quemadmodum enim, qui nati sunt et perfecta sanitate valent, cibo indigent et potu ad vitam corporalem fovendam ; ita etiam, renati per Baptismum, ac per Confirmationem roborati, cœlesti Eucharistiæ alimonia reficiendi sunt, qua spiritualem vitam indeficienter *habeant et abundantius habeant.*

2. Licet autem Eucharistia in serie sacramentorum numeretur tertia, dignitate tamen locum obtinet primarium, et reliquis omnibus antecellit ; cum non tantum gratiam, sed ipsum gratiæ auctorem et fontem, Jesum Christum, contineat. Est quasi Sacramentum sacramentorum, Sacramentum autonomastice dictum et κατ' ἐξοχὴν, ad quod reliqua tanquam ad finem referuntur ; est inter sacramenta Ecclesiæ, sicut sol inter firmamenti sidera quæ circa ipsum moventur.

3. Nec tantum est præcipuum Religionis Sacramentum, sed etiam totius Religionis compendium : scilicet compendium fidei, compendium cultus, denique compendium bonorum omnium in Christo : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus ; escam dedit timentibus se.* Ps. CX. Quod centrum est in circulo, quod cor in homine, quod Deus in mundo ; hoc fere est Eucharistia in Ecclesia Christi. Et sicut in templo materiali omnes ædificii partes

Gratia datur in confirmationem est quasi medicina. Per Eucharistiam anima recepit gratia crescenta. ut Christ est centrum nostrae religionis Euchar...

atque ornamenta apte disposita referuntur ad altare; ita in Christiana Religione et cultu, omnia ad Eucharistiæ Sacrificium et Sacramentum ordinantur.

4. Dixi ad Eucharistiæ *Sacrificium* et *Sacramentum;* Eucharistia namque dupliciter considerari potest: 1° respective ad homines quos sanctificat, et sub hac ratione est Sacramentum; 2° respective ad Deum, seu ad ejus cultum: et sub hac ratione Sacrificium est. Hinc tractatus de Eucharistia in duas partes dividitur.

I pars, *de Eucharistia ut est Sacramentum.*
II pars, *de Eucharistia ut est Sacrificium.*

§ II. Doctrina catholica.

5. In sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento continetur vere, realiter et substantialiter corpus et sanguis, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi. — In hoc Sacramento non remanet substantia panis et vini; sed per consecrationem tota substantia panis in corpus, et tota substantia vini in sanguinem convertitur, manentibus duntaxat speciebus panis et vini. — Itaque, peracta consecratione, sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus continetur; neque tantum in usu dum sumitur, sed etiam ante vel post usum, in particulis consecratis, quamdiu supersunt, præsens remanet, cultu latriæ, etiam externo, ibidem adorandus.

6. Materia valida Sacramenti et Sacrificii Eucharistici est panis triticeus, sive azymus sit sive fermentatus; et vinum de vite, cui, ex traditione perpetua et Ecclesiæ præcepto, modica aqua est admiscenda.

7. Eucharistiæ perceptio nemini necessaria est necessitate medii; sed solis adultis necessitate præcepti. Nullum vero datur præceptum obligans omnes et singulos Christi fideles ad communicandum sub utraque specie. Imo Ecclesia jure merito jussit, eos qui non sacrificant, sacramentalem Eucharistiæ communionem sub una tantum specie suscipere.

8. Nec unicus, nec præcipuus hujus Sacramenti effectus est remissio peccatorum; nec sola fides est sufficiens ad Eucharistiam recipiendam præparatio.

+ Protestantes dicunt continet vere sed non realiter et substantialiter. Quod significat [illegible] et vinum christi.

9. In *Missa* offertur Deo verum et proprium sacrificium, quod proinde non est *nuda* commemoratio sacrificii in cruce peracti; neque solum *latreuticum* et *eucharisticum* est, sed etiam *impetratorium* et *propitiatorium* pro vivis ac pro defunctis.

10. Solus sacerdos est immediatus et proprie dictus minister et offerens; fideles et adstantes non sunt nisi mediati et improprie dicti offerentes; atque illorum communio nulla ratione ad Missæ valorem requiritur.

11. Specialis applicatio sacrificii pro aliquibus personis a sacerdote fieri potest, qua præstatur ut specialis fructus iis, pro quibus fit, cæteris paribus, proveniat.

12. Licet enim valor sacrificii secundum se infinitus sit, tamen quoad effectus respectu nostri, seu quoad fructum quem nos ex eo percipimus, limitatus censendus est.

§ III. Errores contrarii.

13. 1° *Circa præsentiam realem.* Eam impugnasse dicitur jam sæc. IX *Scotus Erigena;* — sæc. XI eam negavit *Berengarius;* negaverunt et sæc. XII *Petrobrusiani* ac *Henriciani*, *Albigenses*, *Tancheliani;* — item *Wicleff* 1359 (1); — præsertim vero sæc. XVI *Sacramentarii*, qui docebant in Eucharistia Christum adesse tantum ut in signo, figura aut virtute; quorum duces *Zwinglius*, *Carlostadius*, *Bucerus*, *OEcolampadius*, *Calvinus.* — Eosdem errores amplexi sunt *Sociniani* et *Rationalistæ* omnes.

14. 2° *Circa modum seu Transsubstantiationem*, dissentiunt *Lutherani*, dicentes Christum simul cum panis substantia præsentem esse, et quidem non permanenter sed tantum in usu.

15. 3° *Circa materiam.* Veteres *Ebionitæ* et *Encratitæ*, ac postea *Hydroparastæ* aquam pro vino adhibuerunt. — *Monophysitæ* et *Armeni schismatici* vino puro utuntur; sic et *Protestantes.* — *Græci schismatici* panem fermentatum adhibent, azymum respuunt.

(1) Articulis 1, 2 et 3 ex 45 damnatis a Conc. Constant. et Martino V, 1418, per Bullam *Inter cunctas.*

16. 4° *Circa usum.* Necessariam esse communionem sub utraque specie omnibus fidelibus, docuerunt *Petrus Dresdensis* et *Jacobellus*; necnon *Hieron. de Praga*, cum magistro suo *Joanne Huss,* quos damnavit *Conc. Constantiense* 1418. Eumdem errorem adoptarunt *Calixtini* Bohemiæ, illorum hæreticorum propago, et *Protestantes* in sua *Cœna* celebranda.

17. 5° *Circa sacrificium.* Negant sacrificii veritatem quicumque realem præsentiam respuunt: *Sociniani*, *Methodistæ*, *Rationalistæ*, imo ipsi *Lutherani*, quamvis præsentiam realem non negent, sed tantum male explicent, et ad solum usum restringant. — Missas privatas reprobant *cum Protestantibus*, *Janseniani*, qui communionem populi ad essentiam sacrificii pertinere contendunt.

§ IV. Instrumenta dogmatica.

18. Omnia propemodum scripta Patrum vocari possunt instrumenta, quibus Ecclesiæ circa Eucharistiam perpetua traditio continetur. Etenim in tanta librorum christianas traditiones referentium multitudine, vix ullum reperies, qui sublimem illam *Dei absconditi* humilitatem non luculenter aliquo testimonio celebret. — Instrumenta autem, quibus definita circa hoc Sacramentum Ecclesiæ doctrina exhibetur, sunt: 1° Decretum Conc. Florentini pro Armenis, 1439; 2° Concilii Tridentini sessiones 13, 21 et 22. — Tridentinis vero Decretis tanquam supplementum addi possunt Propositiones 28, 33, inter 89 synodi Pistoriensis, damnatas a Pio VI per constitutionem *Auctorem fidei*, 1794.

19. — DECRETUM CONCILII FLORENTINI PRO ARMENIS, DE EUCHARISTIA.

Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam, juxta testimonia SS. Patrum ac Doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in vino aquæ permixto hoc instituisse Sacramentum. Deinde, quia hoc convenit Dominicæ Passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a beato Petro: In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Mis-

sarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque, id est, sanguis et aqua, ex latere Christi profluxisse legitur : tum etiam, quod convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis : Aquæ multæ populi multi. Et Julius Papa secundus post beatum Sylvestrum ait : Calix Dominicus, juxta canonum præceptum, vino et aqua permixtus debet offerri; quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum et aqua miscetur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credidit, copulatur et jungitur. Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia a beatissimis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis et doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, et modo servent; inconveniens admodum videtur, ut alia quævis religio ab hac universali et rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque sacerdotes in Calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino. Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Sacerdos enim, in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, et substantia vini in Sanguinem convertuntur : ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini ; sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione facta, totus est Christus. Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo incorporatur et membris ejus unitur ; consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur ; omnemque effectum, quem materialis cibus et potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem : in quo, inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

20. — CANONES CONCILII TRIDENTINI.

SESS. XIII. — Can. 1. *Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini : quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat ; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri ; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini ; anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire ; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum ; vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras ; anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservare, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam : aut non licere ut illa ad infirmos honorifice deferatur ; anathema sit*

Can. 8. *Si quis dixerit, Christum, in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter ; anathema sit.*

Can. 9. *Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ ; anathema sit.*

Can 10. *Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare ; anathema sit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ; anathema sit.—Et, ne*

tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessarie præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

SESS. XXI. — Can. 1. *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.*

Can. 2 *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret; aut in eo errasse; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia ut quidem falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; anathema sit.*

SESS. XXII. — Can. 1. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, illis verbis : Hoc facite in meam commemorationem Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum; anathema sit*

Can 3. *Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti : neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi Sacrificio in cruce peracto, per Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit*

Can. 5. *Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis quam officia pietatis; anathema sit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.*

PARS PRIOR.

DE EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1° *Quomodo Eucharistiæ Sacramentum a Catholicis definitur?—2° Quibus nominibus fuit insignitum? — 3° Quibus figuris præsignatum? — 4° Quando et quomodo institutum? — 5° Quem in finem institutum? — 6° Quomodo ostenditur Eucharistiam esse verum sacramentum? — 7° Quibusnam rebus Eucharistia a cæteris sacramentis differt? — 8° Quomodo Tractatio de Eucharistia, ut est Sacramentum dividitur?*

21. QUÆR. 1° *Quomodo Eucharistiæ Sacramentum a Catholicis definitur?* — R. Eucharistia, quatenus Sacramentum est, definiri solet: *Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini, ad spiritualem fidelium refectionem a Christo Domino institutum.* Quæ definitio, prout realem Christi præsentiam includit, ab omnibus Protestantibus, si excipiantur veteres Lutherani, rejicitur. Protestantes enim passim, licet eucharisticum *ritum* nomine *Cœnæ* ut Sacramentum admittant, eucharisticam *rem*, i. e. realem Christi præsentiam negant; atque ita Eucharistiæ umbram potius quam veritatem retinent, ut infra demonstrabitur.

22. Q. 2° *Quibus nominibus hoc Sacramentum fuit insignitum?* — R. Præcipuo nomine dictum est *Eucharistia*, h. e. *bona gratia, gratiarum actio:* non solum quia Christus eam gratias agendo Patri instituit; sed etiam, quia ipsum gratiarum fontem in se continet; quia per eam, tanquam oblationem dignam, dignas possumus Deo gratias reddere; demum quia Eucharistia animas nostras implet charitate ut semper in laude Dei et gratiarum actione maneamus (1).

(1) Cf. S. Chrysost. *Homil.* 25 *in cap.* 8 *Matth.* n. 3.

23. Aliis multis splendidisque nominibus illud Sacramentum passim efferunt Patres et Scriptores ecclesiastici, quæ et ipsa luculentum præbent fidei nostræ argumentum. Præcipua sunt sequentia :

24. — 1° Ratione *significationis commemorativæ*, dicitur *hostia*, quo denotatur Passio Domini.

25. — 2° Ratione *significationis demonstrativæ*, dicitur *communio, congregatio, σύναξις* quo denotatur unio membrorum Ecclesiæ inter se et cum capite Christo.

26. — 3° Ratione *significationis prognosticæ*, dicitur *viaticum*, quo denotatur patria, et fruitio Dei (1). Quo nomine speciatim appellatur cum recipitur in periculo mortis.

27. — 4° Ratione *materiæ* transeuntis, et specierum, ac formæ consecrationis : *panis*, *fractio panis*, *panis angelorum*, *calix benedictionis*, *benedictio* seu *eulogia*. Eulogiæ tamen etiam olim dicebantur partes panis non consecrati, sed tantum benedicti, quæ fidelibus distribui solebant.

28. — 5. Ratione *rei contentæ* dicitur : *Corpus et Sanguis Domini*, — *Ἀγαθὸν seu bonum per excellentiam*, — *panis de cœlo, panis vitæ, alimonia, pharmacum et poculum immortalitatis*,— *Sanctum, Sanctissimum*,—*Mysterium*,— *Venerabile*,—*Sacramentum*, — *sacramentum amoris, charitatis.*

29.— 6° Ratione *modi* quo recipitur : *mensa, epulæ divinæ, sacrum convivium.*

30. — 7° Ratione *temporis*, quo Eucharistia instituta est : *Cœna Domini.*

31. — 8° Ratione *loci* ubi conficitur : *Sacramentum Altaris.*

32. Q. 3° *Quænam fuerunt SS. Eucharistiæ figuræ ?* — R. Figuris plurimis hoc mysterium fuit adumbratum, quas S. Thomas, p. 3, q. 73, a. 6, in quatuor classes distribuit. Etenim in hoc Sacramento tria considerari possunt : 1° id quod appellatur *sacramentum* tantum, seu id quod significat et non significatur, materia nempe *ex qua*, vel ejusdem species. 2° Id quod appellatur *sacramentum et res sacramenti simul*, quod est corpus et sanguis Christi : quia et significatur speciebus consecratis, et significat gratiam per modum refectionis spiritualis communicandam. 3° Id quod appella-

(1) Cf. S. Thom. p. 3, q. 73, a. 4.

tur *res sacramenti tantum*, seu id quod significatur et non significat, quæ est gratia sanctificans. — Ad hæc tria referuntur variæ figuræ in quatuor classes distributæ.

33. — 1° Ratione *materiæ ex qua, et specierum*, Eucharistiam figurarunt: panis et vinum in sacrificio Melchisedech, Gen. XIV; panes Primitiarum, Levit. XXIII, 17, qui in gratiarum actionem offerebantur; panes Propositionis, Levit, XXIV, quibus soli homines mundi et sanctificati vescebantur; in nova autem Lege, mutatio aquæ in vinum, Joan. II; et duplex multiplicatio panum, Joan. VI, Marc. VI et VIII.

34. — 2° Ratione *contenti*, scilicet Corporis et Sanguinis Christi pro nobis passi, figuræ Eucharistiæ fuerunt omnia sacrificia antiqua: præcipue vero sacrificium Abrahæ, Gen. XXII, sacrificium expiationis, Levit. XVI, et sanguis Testamenti, Exod XXIV, 8.

35.—3° Ratione *effectus seu gratiæ*, figura Eucharistiæ fuit: lignum vitæ plantatum in medio paradisi, cujus fructus immortalitatem edentibus præstabant, Gen. II; panis subcinericius, quem cum surrexisset comedit Elias, et *in cujus fortitudine ambulavit, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb*. III Reg. XIX, 8. Cf. Judic. VII, 13. — Deinde, hydria farinæ, III Reg. XVII, quæ non exhauriebatur, sicut Christus in Eucharistia manducatus non consumitur; demum, præ cæteris, manna de cœlo descendens ad cibandum populum Dei in deserto, Joan. VI, Sap. XVI, 20.

36. — 4° Ratione *omnium* proprietatum Eucharistiæ, figura ejus maxime solemnis Agnus paschalis fuit. Etenim, ut S. Thomas ait (1). « quantum ad primum, figurabat Eucharistiam « quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud « Exodi XII, 8: *Edent carnes... et azymos panes;* quantum « vero ad secundum, quia immolabatur ab omni multitu- « dine filiorum Israel quarta decima luna: quod fuit figura « Passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus; « quantum vero ad effectum, quia per sanguinem Agni « paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et « educti de Ægyptiaca servitute; et quantum ad hoc ponitur

(1) Art. cit. in corp.

« præcipua figura hujus Sacramenti Agnus paschalis, quia « secundum omnia ipsum repræsentat (1). »

37. Q. 4° *Quando et quomodo Eucharistia instituta fuit?* — R. In ultima Cœna, ubi Dominus implevit solemnem illam hujusce Sacramenti, aliquando instituendi, promissionem, qua antea, cum esset Capharnaum, post multiplicati panis miraculum, clarissimis verbis se obstrinxerat; quemadmodum ex cap. VI Evangelii Joannis infra (2) demonstrabimus.

38. Porro quomodo Christus Eucharistiam, instituerit præclare narratur in Evangeliis, et I Cor. XI, 23 seqq., his verbis notissimis: *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur*, etc.

39. At quo die Christus ultimam Cœnam celebraverit, non omnino constat. Græci, ut fermentati panis usum tueantur, contendunt, Christum ultimam Cœnam celebrasse præveniendo una die solemnitatem paschalem, eo quod Judæi pascha feria sexta manducaverint, Christus autem quinta. Latinorum e contra communis sententia est, Christum pascha celebrasse die 14ª mensis lunaris Nisan exeunte: h. e. feria quinta ad vesperam, quando incipiebat paschalis solemnitas, quæ celebrabatur luna 15ª, i. e. die sequenti, feria sexta, qua Dominus crucifixus est (3).

40. Ultima Cœna mysteriis plenissima, quam insolita quadam solemnitate Dominus celebrare voluit, quasi triplex distingui potest: *legalis*, in qua comedit Agnum paschalem, utens pane azymo, aliosque legis ritus observans (4); *vulgaris*, quæ innuitur Matth. XXVI, 20, 26, de qua surrexisse videtur ad lavandum discipulorum pedes; *sacramentalis* seu eucharistica, in qua Sacramentum instituit, ut hymno canitur:

Post Agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis.

41. Q. 5° *Quem in finem Christus Eucharistiam instituit?* — R. Finis multiplex recensetur a Conc. Tridentino docente (5), Sacramentum a Salvatore institutum esse — 1) in monumentum vivum ineffabilis amoris ejus: *Cum dilexisset suos*

(1) Cf. Bellarm. *De Euchar.* l. 1, c. 3 et 4. — (2) Cap. 1, art. 1, n. 50.
(3) Cf. Suar. t. 18, disp. 41, sect. 1, 2.— (4) Exod. XII.
(5) Sess. 13, cap. 2; Sess. 22, cap. 2; Sess. 22, cap. 1.

qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. XIII, 1. — 2) In memoriam Passionis ejus : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* I Cor. XI, 26.—3) In spiritualem animæ cibum, et antidotum contra peccata : *Qui manducat me et ipse vivet propter me.* Joan. VI, 58. — 4) In pignus futuræ gloriæ : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Joan. VI, 59.—5) In symbolum unius corporis mystici, cujus ipse Caput existit et fideles membra : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* I Cor. X, 17. — 6) Ut hoc Sacramentum simul esset perpetuum N. L. Sacrificium : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur... Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Luc. XXII, 19, 20.

42. Hisce causis tres alias addit Lessius (1) : — 1) Ut Christus abiturus in cœlum, Ecclesiæ se perpetuo præsentem exhiberet;—2) ut Ecclesiæ suæ relinqueret continuum et maximum miraculum, quo suam sapientiam ac potentiam ei patefaceret, et vicissim ejus fidem devotionemque probaret atque exerceret ;—3) ut homo in hoc exilio eximium solatium, et munimentum contra omnes hostes haberet, imo quodammodo inchoatam vitæ beatæ fruitionem.

43. Q. 6° *Quomodo ostenditur Eucharistiam esse verum sacramentum?* — R. Eucharistiæ mysterium, quale illud credit ac profitetur Ecclesia catholica, et nos hoc tractatu propugnamus, conditiones omnes veri sacramenti continet. Etenim — 1) est signum visibile : cum conficiatur ritu visibili, et speciebus panis ac vini sensibile permaneat ; — 2) est gratiæ efficax : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum,* Joan. VI, 59 ; — 3) est a Christo institutum, et quidem permanenter : *Hoc facite in meam commemorationem... mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* I Cor XI, 24, 26.

44. Q. 7° *Quibusnam rebus Eucharistia differt a cæteris sacramentis?* — R. 1) Eo quod cætera solummodo vim conferendi gratiam continent, Eucharistia vero ipsum quoque gratiæ fontem et auctorem. 2) Quod cætera consistunt tantum in

(1) *De Euchar.* in quæst. 73, art. 5.

actione transeunte, Eucharistia autem etiam in re post actionem seu confectionem permanente. Unde in cæteris sacramentis idem est *fieri* ac *esse*, in Eucharistia aliud est *fieri*, aliud *esse*. 3) Quod in sola Eucharistiæ confectione fit *transsubstantiatio*, seu mutatio materiæ in aliam substantiam. 4) Quod sola Sacramenti Eucharistiæ confectio includit oblationem Sacrificii.

45. Q. 8° *Quomodo tractatio de Eucharistia, ut est sacramentum, dividitur?* — R. Eucharistia, secundum rationem sacramenti spectata, dupliciter, ut modo dictum est, considerari potest, nempe *in fieri* et *in facto esse:* seu in confectione, et in permanenti existentia. Sub utroque respectu, plerumque tamen sub secundo, nobis est inspicienda. Quod ut rite peragatur, examinanda sunt tria: 1° recta Sacramenti Eucharistiæ notio, quæ realem in eo Christi præsentiam complectitur; 2° ejus confectio, quo spectat materia et forma; 3° ejus usus et effectus. Unde tria capita:

Caput I, *de reali Christi in Eucharistia præsentia.*
Caput II, *de Eucharistiæ materia et forma.*
Caput III, *de Eucharistiæ usu et effectibus.*

CAPUT PRIMUM.

DE REALI CHRISTI IN EUCHARISTIA PRÆSENTIA.

---

46. Duæ gravissimi momenti quæstiones, circa realem præsentiam, solvendæ nobis proponuntur: altera ad *factum* ipsum divinæ hujus præsentiæ spectat; altera ad ejus admirabilem *modum*, prout hic, fide duce, investigari potest. Hinc duo articuli.

Articulus I, *de veritate præsentiæ realis.*
Articulus II, *de modo præsentiæ realis.*

ARTICULUS I.

DE VERITATE PRÆSENTIÆ REALIS.

47. Primum et fundamentale de Eucharistiæ Sacramento dogma, est realis in eodem Christi præsentia. Hanc, si Berengarium excipias (qui tamen, ut videtur, errorem retractans obiit), nemo inficiatus *directe* fuit ante Calvinum et Sacramentarios, qui sæculo XVI asserere ausi sunt, non aliter Christum in Sacramento adesse, quam ut in signo, vel figura, aut virtute. Cui errori opponitur catholicum dogma, quod Tridentinum definivit, et propugnat sequens

PROPOSITIO.

In SS. Eucharistiæ Sacramento Christus vere, realiter et substantialiter continetur, et non ut in signo tantum vel figura aut virtute.

48. *De fide*, ex Trid. Sess. 13, can. 1.

49. Dicitur in propositione : *continetur Christus*, i. e. totus, prout supra in exponenda doctrina catholica declaravimus. Quoad si argumenta afferenda, *vi verborum*, probant solum præsentiam realem *corporis* vel *sanguinis;* eadem tamen præsentiam totius Christi demonstrant, vi *connexio-*

nis, seu *concomitantiæ:* tum supernaturalis, quæ est hypostatica et inseparabilis unio Verbi cum humanitate sua; tum *naturalis*, qua partes humanitatis Christus, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur (1).—Additur, *qui jam ex mortuis resurrexit:* ut enim docent Theologi communiter, si antequam Christus resurgeret, i. e. triduo mortis ejus, Apostoli consecrassent, res aliter se habuisset. Sub specie nimirum panis fuisset Domini corpus sine sanguine et anima; et sub specie vini, sanguis sine corpore et anima: sub utraque tamen specie fuisset Divinitas, quæ cum partibus hypostatice assumptis inseparabiliter unita mansit (2).

50. PROB. I. *Ex verbis promissionis*, quæ referuntur Joan. VI. Etenim si Christus tunc reapse promisit daturum se corpus et sanguinem suum oraliter manducandum, certum omnino est, eumdem Christum in Eucharistia vere, realiter et substantialiter adesse. Atqui Christus id reapse promisit; ergo.

51. *Prob. major.* Si Christus oralem sui ipsius manducationem promisit, certum omnino est, id fuisse adimpletum; atqui non fuisset adimpletum, seu nulla esset oralis manducatio, absque reali Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ; ergo si Christus oralem sui manducationem promisit, certum omnino est, ipsum vere et realiter in Eucharistia adesse.

52. *Probatur min.* Nam duo constant: 1° locutum ibi Christum de Eucharistia, seu de aliquo pane, qui non est fides, sed Corpus et Sanguis ipsius; 2° locutum de hujus panis orali manducatione.

53. 1° Christus de pane loquebatur qui non esset fides, sed Corpus et Sanguis ipsius: etenim 1) loquebatur de novo quodam alimento a se in posterum dando. Ergo non de fide loquebatur; quippe quæ et ad omnia tempora pertinet, et eo ipso momento a Christo in animis auditorum suorum postulabatur.

(1) Trid. Sess. 13, cap. 3.
(2) Cf. T. I, *De Incarn.* n. 127.

54. — 2) Promittebat panem illum fore manna, simile priori quod pluit in deserto; ergo sicut antiquam manna verus sensibilisque cibus fuit, ita et novum erit.

55. — 3) Distinguebat constanter cibum a potu. Atqui, nulla distinctionis fuisset ratio, si vocabulis *cibi* et *potus* fidem tantum designare voluisset.

56. — 4) Si Christus, carnem suam ejusque manducationem, sanguinem suum ejusque potationem nominando, intendisset symbolice fidem commendare, obscurissime locutus esset ob novitatem tropi; et simil offendiculo audientibus exstitisset, ob naturam tropi a quo Judæi maxime abhorrerent.

57. — 5) Usurpabat tunc verba his similia, quibus postea in ultima Cœna usus est ad Eucharistiam instituendam. Ergo censendus est, non de sola fide sed de Eucharistia tunc quoque locutus. — Hinc factum est ut, cum in ultima Cœna porrigeret Eucharistiam Apostolis, dicens: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*, — Apostoli, quasi ad hoc mysterium præparati, nihil turbati sint, nihil dubitarint, nihil interrogarint.

58. — 6) Ex ipsis adversariis plures fatentur, Christum hic de Corpore et Sanguine suo locutum; quamvis contendant, verborum sensum non fuisse nisi spiritualem ac metaphoricum. — At contra

59. 2° Christus de manducatione *orali* loqui intendebat. Etenim, 1) ita audientes verba intellexerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?... Non durus est hic sermo, et quis potest eum audire?*

60. — 2) Ita verba Christi intelligenda esse probant epitheta, quibus Christus sua dicta confirmat. *Caro mea* VERE *est cibus, et sanguis meus* VERE *est potus*.

61. — 3) Idem probat appellatio Christi ad miraculum: *Si videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius*.

62. — 4) Probant Christi indoles et adjuncta. Si de manducatione non orali loqui intendisset, in errorem perniciosissimum conjecisset audientes, et in eodem confirmasset; quod de Christo vel cogitare nefas est.

*Difficultas in hoc probatione sunt tale clare non requirit probationem.

63. — 5) Probat agendi ratio quam Christus sequitur : qui cum obscura soleat ipse explicare, hic nullam declarationem adjicit; atqui tamen valde obscurus esset locus adeoque imprimis declarandus, si de manducatione non orali foret intelligendus.

64. — 6) Idem probat unanimis Patrum sententia, et Ecclesiæ sensus, quæ infantibus olim Eucharistiam dari permittebat; profecto ut Christi carne vivificarentur, non ut eam manducarent per fidem, cujus actum non haberent.

65. — II *Ex verbis institutionis.* Verba quibus Christus Eucharistiam instituit, sunt : *Hoc est Corpus meum... Hic est Sanguis meus...* Matth. XXVI, 16. Atqui hæc verba sensu proprio et non metaphorico sunt accipienda ; ergo Corpus et Sanguis Christi realiter in Eucharistia continetur. — Sensus proprius est admittendus, si nulla ratio postulet interpretationem metaphoricam, multæ vero exigant propriam ; atqui ita est.

66. 1° *Nihil est quod metaphoram postulet.* Nam secundum hermeneuticæ regulas, verba institutionis essent metaphorice interpretanda, vel 1) quia subjecta materia sensum litteralem non patitur, vel 2) quia ipsa verborum formula insinuat metaphoram, vel 3) quia ex usu communi metaphora obvia est ; atqui nulla ex his rationibus hic occurrit ; ergo nihil est quod metaphoricam interpretationem requirat.

67. 2° *Multa vero interpretationem propriam postulant.* 1) Persona Christi, cujus verba sensu proprio sunt accipienda, etiamsi hic sensus miraculum supponat, modo id non dedeceat Christum. — 2) Adjuncta : Christus tunc, ut brevi moriturus, Testamentum et Sacramentum condebat; quæ omnia verborum simplicitatem et claritatem requirunt. —3) Perspicuitas et emphasis verborum : *Hic est sanguis* ILLE *meus,* ILLE *novi fœderis,* ILLE *qui pro multis in peccatorum remissionem effunditur* (1). In quibus verbis ut sacramentarii figuratum sensum invenirent, incredibile est quot excogitaverint interpretationes, quantum eruditionis expenderint. At frustra. Nam, ut Schlussenbergius lutheranus ait, hæc

(1) Cf. textum græcum. Matth. XXVI, 25 seqq.

Est discordia inter protestantes quoad conectum metaphoricum sensum, Dicunt etiam Hoc est corpus meum id est pertinet ad meum. Est absurdus.

Christi verba *tam clara sunt, ut nullus angelus e cœlis, nullus homo in terris possit clarius loqui* (1).

68.—4) Idipsum demum requirunt absurda alterius cujusvis interpretationis consectaria. Etenim Christus decepisset Apostolos, et per eos Ecclesiam universam, quæ semper verba illa litteraliter accepit, ut infra ostendetur.

69. III. *Ex verbis Apostoli* I *Cor.* X, 15-21, *et* XI, 27 *et* 29. 1° Cap. X legimus: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?.... Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.* Quorum verborum ex integro contextu sensus est: qui manducant carnes immolatas idolis, participant cultum et sacrificium dæmoniorum, sicut nos manducantes Eucharistiam participamus Sacrificium Corporis et Sanguinis Domini. Nam sicut nos manducamus carnem Christi in menso seu altari Domini, et sicut Judæi carnem victimarum Legis; ita gentiles carnem sacrificii peccaminosi manducant. Jam vero hujusmodi comparatio supponit carnem Christi a fidelibus non minus realiter, quam carnem victimarum a Judæis et gentilibus manducari.

70. 2° Cap XI ita exponit Apostolus institutionem Eucharistiæ, ut realem Christi præsentiam evidentissime doceat, præsertim cum versu 27 et 29 concludat, indigne communicantes esse reos Corporis et Sanguinis Domini, judiciumque sibi manducare et bibere; eo quod practice non considerent se Corpus Domini profanare.

71. IV. *Ex Traditione.* Patrum testimonia, quæ passim in auctoribus colliguntur, ad duas classes reduci possunt.

72. Prima classis constat testimoniis *directis*, et complectitur, tum ea loca, ubi Patres Scripturæ verba de vero Corpore et Sanguine Christi interpretantur; tum ea, ubi disertis verbis hoc dogma exprimunt; tum ea, ubi formaliter omnem figuram excludunt.

73. Secunda classis constat testimoniis *indirectis*, et complectitur generatim dicta Patrum, quibus ea de Eucharistia

(1) Cf. apud Herbermanum in *Vindiciis Bellar.* ad lib. 3, *De Euchar.*

prædicant et adstruunt, quæ necessario realem præsentiam supponunt. Unum alterumve citasse sufficiat.

74. S. Ambrosius, vel vetus Auctor sub ejus nomine, scribit : *De pane fit caro Christi... Quomodo potest, qui panis est, Corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est et cujus sermonibus? Domini Jesu... Non erat Corpus Christi ante consecrationem; sed post consecrationem dico tibi, quod jam Corpus est Christi. Ipse dixit et factum est : ipse mandavit et creatum est.* Lib. 4, de Sacram. cap. 4.

75. S. Cyrillus Jerosol. : *Cum igitur ipse de pane pronuntiaverit ac dixerit : Hoc est Corpus meum; quis audebit deinceps ambigere? Et cum idem ipse tam asseveranter dixerit : Hic est Sanguis meus : quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse ejus Sanguinem? Aquam olim in vinum convertit in Cana Galilææ, quod habet quamdam cum sanguine propinquitatem : et eum parum dignum existimabimus, cui credamus quod vinum in sanguinem transmutarit?... In specie panis dat nobis Corpus, et in specie vini dat nobis Sanguinem... Quamobrem ne judices rem ex gustu : sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat, quod sis dignus factus, qui Corporis et Sanguinis Christi particeps fieres.* Catech. mystag. 4. Debet retinere, in memoria.

76. v. *Ex præscriptione.* Hæc fides in Ecclesia catholica est; ergo semper fuit; ergo est apostolica et divina. Etenim 1° tanta variatio, quæ impiissima foret idololatria, in Ecclesia sanctorum non modo facta non est; sed 2° nullo pacto fieri potuit. *Facta non est :* cum nulla sint hujusmodi facti testimonia; contra vero, omnia, vel antiquissima, tam Occidentalium quam Orientalium (1) Ecclesiarum, monumenta testentur contrarium. *Fieri non potuit :* cum non possint tot viri sancti et docti, in universo orbe, in tantam impietatem conspirare, aut in tantum errorem proruere.

DIFFICULTATES.

77. I. Contra argumentum ductum ex verbis promissionis Joan. VI.

78. *Objic.* 1° Ex versiculis 35, 47, 48 et 51, satis patet panem de quo Christus loquebatur, nihil fuisse aliud quam

(1) Cf. Lamy; *De Syrorum fide et disciplina in re Euchar.* Lovanii 1859.

Protestantes dicunt in Hoc est corpus meum a pani verba Et verbo caro factum est et alios textus in Scriptura qui continent eadem verbum

fidem in ipsum. Ergo *non de Eucharistia loquebatur.* — R. *Nego antec.* Non enim *patet*, sive philologice sive hermeneutice, imo incredibile est, his verbis : *manducare carnem alicujus et bibere ejus sanguinem*, idem significari ac istis : *credere in aliquem.*

79. *Inst.* 1) Christus ibidem requirebat fidem : *Qui venit ad me* (scilicet per fidem)... *qui credit in me*, habet vitam æternam, etc. Ergo non de Eucharistia danda agebat. — R. *Dist. antec.* Requirebat fidem, qua scilicet audientes crederent ipsi Eucharistiam promittenti. *conc.;* requirebat fidem solum, et Eucharistiam non promisit, *neg.*

80. *Inst.* 2) Christus tantum loquebatur de illa carnis suæ manducatione, quæ futura esset ad salutem omnino necessaria : *Nisi manducaveritis carnem*, etc. ; atqui manducatio quidem per fidem futura erat omnino necessaria ad salutem, non autem manducatio sacramentalis, seu Eucharistica ; ergo de hac non loquebatur. — R. *Dist. maj.* Necessaria necessitate *præcepti*, *conc.;* necessitate medii, *N.* — *Dist. min.* Manducatio Eucharistica non futura erat necessaria necessitate medii, *C.;* præcepti, *N.*

81. *Objic.* 2° Christus loquens de manducatione carnis suæ, voluit eam sensu mere figurato et metaphorico intelligi. Nam versu 62 et seqq. hæc, si verborum substantiam spectamus, loquitur : Intelligite manducationem eo sensu, quo illam intelligetis, quando corpus meum videritis sursum in cœlum elevari, adeoque non posse oraliter manducari. Ergo *de manducatione orali Christus ibi* non loquebatur. — R. *Nego antec.* — Ad prob. *nego* Christum vers. 62 et seqq. voluisse insinuare audientibus, ne manducationem sensu proprio intelligerent. Sed, aut voluit confirmare manducationis oralis possibilitatem, appellando ad præclarum futuræ ascensionis suæ miraculum ; aut voluit, ut alii interpretantur, incredulitatem audientium redarguere (*hoc vos scandalizat?* etc.), augendo primum rei credendæ, i. e. manducationis oralis difficultatem, ex memorata in cœlum ascensione ; perinde ac si diceret : Si nunc non creditis, quomodo credetis carnem meam a vobis oraliter manducari, postquam eam videritis in cœlum illatam ?

82. *Inst.* 1) Subdit Christus : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Atqui nomine *spiritus*, hic venit sensus spiritualis seu mysticus illius verbi : *manducatio carnis*, etc.; nomine *carnis* venit sensus litteralis, Ergo. — R. *Concessa maj., nego min.* Sed nomine *spiritus* venit sensus *supernaturalis*, per oppositionem, non ad sensum litteralem, sed ad sensum *mere humanum* et terrestrem, qui venit nomine *carnis*. Hic postremus erat sensus Capharnaitarum, qui manducationem intelligebant non solum *sensu litterali*, i. e. *oralem*, in quo recte judicabant; sed etiam sensu *mere humano*, i. e. *animalem*, qua Christi corpus esset in frusta scindendum, dentibus terendum, etc.; in quo turpiter errabant.

83. II. Contra argumentum ductum ex verbis institutionis.

84. *Objic.* 1° In pluribus propositionibus Scripturæ, verbum *est* sumi debet figurate, ita ut idem sonet ac *significat*, seu *est figura* : ut ex. gr. *Petra erat Christus*, I Cor. X, 4; — *Ego sum ostium; Ego sum vitis;* Joan. X et XV. Ergo a pari in hac propositione : *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*; ita ut sensus sit : *hoc est figura corporis mei*, etc. — Resp. 1) retorquendo. In pluribus propositionibus Scripturæ, verbum *est* sumi debet sensu proprio; ergo a pari sic debet sumi in propositione : *Hoc est corpus meum*, etc. — Resp. 2) *Dist. antec.* In pluribus propositionibus verbum *est* accipi debet figurate, *transeat.;* in omnibus illis propositionibus quas nobis objiciunt adversarii, *N.* Sic, ex. gr. in illa : *Ego sum ostium; Ego sum vitis*, verbum *est* sumi debet sensu litterali et proprio, non figurato. Non enim sensus est : *Ego sum figura ostii*; *figura vitis*, sed : Ego *proprio sensu* sum ostium, vitis, etc. : ostium nempe spirituale, vitis spiritualis. — Resp. 3) *Dist. antec.* Verbum *est* debet sumi sensu *figurato*, in pluribus propositionibus Scripturæ, quia nimirum ille sensus vel ex usu loquendi, vel ex subjecta materia, vel ex contextu orationis, vel denique ex aliis circumstantiis suadetur aut etiam exigitur, *conc.;* alias, *nego*. Et *nego conseq.* Etenim paritas nulla est; siquidem nedum aliqua ratio suadeat ut verbum *est* in casu nostro accipiatur figurate,

plures contra *cogunt* (ut in probatione ostendimus), sensum litteralem amplecti.

85. *Inst.* 1) Adest parallelismus inter propositionem : *Hoc est corpus meum*, et propositionem illam : *Petra erat Christus.* Ergo utrobique figuratus est sensus. Idem dic de illa : *Ego sum ostium*, *vitis.* — R. *Nego*, vel *Dist.* Parallelismus mere *materialis* adest, *trans.*; — *formalis*, sive quoad verba, sive præsertim quoad res, seu materias de quibus agunt verba, *nego.* Quod cuilibet illas propositiones consideranti, atque inter se et cum contextu, ex que unaquæque deprompta est, comparanti, facile patebit. — Si homo quispiam in testamento scriberet, *relinquo tibi domum meam*, quis imaginem domus ipsius intelligeret ? Atqui eadem hic est ratio : nam sicut homo quispiam domum, ita prorsus Christus corpus suum in testamentum relinquere potest. — Quod si in tanta verborum perspicuitate obstinate figuram inveniri volunt, quid igitur, rogo, potuisset dicere Evangelista, quo figuram excluderet? An forte addendo : *Et id quod manducaverunt et biberunt, erat vere corpus, et sanguis Domini*; an hæc, inquam, addendo omnem figuram exclusisset ? Atqui hæc Apostolus, licet aliis verbis, habet I Cor. X, 16, et XI, 27, 29.

86. *Objic.* 2° In propositione : *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* demonstrat panem ; et in propositione : *Hic est sanguis meus*, pronomen *hic* demonstrat vinum. Atqui panis non est reipsa corpus Christi, vinum non est reipsa sanguis ; ergo tantum figurate Christus locutus est. — R. *Nego maj.* Nam, vel pronomina illa accipienda sunt adjective, vel, quod probabilius est, substantive. Si adjective, non demonstrant nisi aliquid, quocum concordant genere grammaticali. Atqui neque pronomen *hoc* concordat cum nomine *panis*, neque pronomen *hic* concordat cum nomine *vinum.* Ergo neque *hoc* demonstrat *panem*; neque *hic* demonstrat *vinum.* — Simile ratiocinium etiam circa textum Græcum institui potest. — Si vero pronomina accipienda sint substantive, demonstrant id, quod continetur sub speciebus, in fine prolatæ propositionis; adeoque demonstrant corpus et sanguinem Christi ; non quidem explicite ac distincte, i. e. *ut corpus*, *ut sanguinem;* sed implicite, confuse, i. e. *ut*

quiddam contentum sub speciebus in fine prolatæ propositionis.

87. *Inst.* 1) Pronomina *hic*, *hæc*, *hoc*, demonstrant aliquid ut præsens, dum pronuntiantur: ut præsens, inquam, sub speciebus seu signis a pronuntiante ostensis; ideoque, ut recte usurpentur, res, ad quam demonstrandam diriguntur, debet sic esse præsens, dum proferuntur. Atqui Corpus Christi sub speciebus panis præsens non erat, dum Christus pronomen *hoc* pronuntiavit. Ergo pronomen non demonstrabat Corpus Christi. — Resp. 1° *Nego majorem* universaliter acceptam. — Resp. 2° *Dist. maj.* Pronomina illa demonstrant aliquid ut præsens, saltem *in fine propositionis prolatæ*, *C.;* ut præsens *dum pronuntiantur*, subd.: si pronomina pertineant ad propositionem practicam, *N.;* si ad propositionem speculativam, iterum *subd.:* aliquid præsens demonstrant sæpe, *C.;* semper. i. e. ex natura ipsa pronominis, ex significatione ejus, ut ita dicam, essentiali, *nego.*

88. Dixi 1° *Nego maj. universaliter acceptam:* ejus enim falsitas exemplis patet. Sic v. g. recte usurparet pronomen *hæc*, qui diceret: *Hæc est forma Baptismi: Ego te Baptizo*, etc.: et nihilominus res, quam demonstrat pronomen, i. e. forma Baptismi, nondum est præsens, seu nondum prolata existit, dum pronuntiatur pronomen. Sic etiam ducens circulum, recte diceret: *Hic est circulus;* licet dum profert pronomen, *hic*, nondum adsit circulus quem pronomen demonstrat. — Multo magis falsitas *majoris* patet, quando agitur de pronomine usurpato in aliqua propositione *practica*, cujusmodi erat propositio illa Christi: *Hoc est Corpus meum.* Differt enim propositio *practiva* a *speculativa*, quod hæc posterior objectum suum non efficiat, et ut plurimum supponat jam existens; prior vero efficiat quod enuntiat: hinc in propositionibus practicis, etsi, dum inchoantur, adhuc persistat terminus *a quo* fit mutatio, (ac proinde initio propositionis hujus: *Hoc est corpus meum*, adhuc subsistat panis ;) in fine tamen, dum propositiones practicæ completæ sunt, terminus *a quo* in terminum *ad quem* transiit; terminus autem *ad quem*, in propositione practica quam hic perpendimus, est Corpus Christi.

89. III. *Ad objectiones ex Patribus desumptas*, quæque omnes in ambiguitate vocum nituntur quibus Patres usi sunt, generatim notari possunt sequentia.

90. — 1° Patres vocant Eucharistiam *figuram*, ratione specierum; ratione Corporis Christi in cœlis existentis, ubi speciebus non tegitur; vel etiam, ratione realitatis Corporis Domini, quod per figuram externam, i. e. per species eucharisticas, sensibus exhibetur.

91. — 2° Vocant *signum:* non autem intelligunt signum vacuum, sed signum rem significatam continens: idque vel ratione Sacramenti, gratiam quam continet significantis; vel etiam ratione specierum, quæ significant Corpus Christi sub ipsis latens.

92. — 3° Vocant *panem*, ratione materiæ ex qua, et specierum; et quia Eucharistia est panis animæ.

93. — 4° Vocant *typum*, iterum ratione specierum; vicissim aliquando negant Eucharistiam *typum*, *symbolum*, *figuram*, *imaginem* dici posse: videlicet typum, imaginem, etc., rei absentis.

94. — 5° Vocant *antitypum*, sicut symbolum et signum, scilicet ratione rei præsentis, interioris, latentis; aut etiam, hoc supposita, ratione rei futuræ, aut tanquam præteritæ implementum.

95. — 6° Negant esse corpus Domini *sacramentum*, hanc vocem nempe sumendo pro speciebus.

96. — 7° Aiunt Corpus Domini esse manducandum *spiritualiter*, i. e. non sensibili modo aut crasso, prout intelligebant Capharnaitæ; aut etiam, id, quod invisibile latet, debere cum spiritu fidei sumi et gustari.

97.—8° Sæculo IX. inter Paschasium Ratbertum et Rabbanum Maurum ac Ratramnum, quæstio erat non de reali præsentia Corporis Christi, sed de ejusdem Corporis statu: *an Corpus Christi Eucharisticum esset idem quod ex Mariæ Virgine natum?* Paschasius affirmabat; alii negabant, dicentes, corpus Eucharisticum, quod gloriosum esset et impassibile, dici non posse idem ac illud, quod in nativitate et ante resurrectionem esset passibile, etc.; omnes tamen fatebantur

Christi Corpus Eucharisticum esse, non figuratum, sed verum et reale Corpus Christi (1).

ARTICULUS II.

DE MODO PRÆSENTIÆ REALIS.

98. Circa modum, quo Christus in Eucharistia præsens sistitur et existit, tria nobis fide innotescunt, quæ totidem propositionibus probabimus; quibus dilucidandis nonnullæ theologorum investigationes et conclusiones accedent.

Propositio I, *de Transubstantiatione.*
Propositio II, *de indivisa multiplicatione.* in speciis non divisa
Propositio III, *de permanentia et adoratione.*
Quæstiones. — Objectiones ex ratione.

PROPOSITIO I.

Christus in Eucharistia præsens est per Transsubstantiationem.

99. *De fide*, ex Trid. Sess. 13, can. 2.

100. Triplex concipi potest modus, quo Christus in Eucharistia præsens constituatur: 1° per *impanationem*, 2° per *consubstantiationem* : qui duo modi sunt hæretici; 3° demum per *Transsubstantiationem*, qui modus verus est, prout catholica fides docet.

101. *Impanationem* Osiander, cum aliis paucis de Lutherana sobole, deliravit, hoc nomine intelligens hypostaticam Christi cum pane conjunctionem. — *Consubstantiatio*, quæ Lutheri doctrina est, a plerisque Lutheranis conservata, supponit Corpus Christi adesse una cum substantia panis, quæ permaneat.

102. *Transsubstantiatio*, quæ vox a Scholasticis pridem usurpata, deinde auctoritate Concilii Later. IV sancita et confirmata est, accuratissime exprimit doctrinam, quam SS. Patres ab Apostolis receptam uberrime scriptis suis tradiderunt. Definitur autem: *Mirabilis et singularis conversio totius substantiæ panis in Corpus Christi, et totius substantiæ*

(1) Objectiones ex ratione vide infra, art. 2, quær. 7°, n. 174 seqq.

vini in ejus Sanguinem, manentibus duntaxat panis vinique speciebus (1). Qua definitione continentur duo: 1° toti substantiæ panis, sub ejusdem speciebus remanentibus, succedere substantiam Corporis Christi; 2° hanc successionem fieri per veram conversionem.

103. Quoniam vero transsubstantiationis ratio principaliter in conversione sita est, hæc imprimis accurate definienda. *Conversio*, seu *transmutatio*, generatim est *transitus unius rei in aliam*. Versatur inter duos terminos : res quæ transit, est terminus *a quo*; res in quam transitur, est terminus *ad quem*. Conversio potest esse, vel accidentalis, vel substantialis. *Accidentalis* est, quando mutatur tantum rei accidens, non vero substantia: ut cum aqua frigida fit calida, iisdem manentibus aquæ forma et materia. — *Substantialis* quando non eadem permanet substantia, sed aliquid ex essentialibus amittit vel recipit : hujusmodi est v. g. mutatio farinæ in panem; panis, in substantiam corporis humani, quod eo nutritur, etc. — Porro conversio, quam ipsa transsubstantiatio, prout a Tridentino definitur, includit, ut prima fronte patet, substantialis est; verum singulari quadam et admirabili proprietate inter substantiales conversiones eminet, ratione cujus, singulari etiam nomine, *transsubstantialis* appellatur. Etenim, ut contra Durandum statuunt reliqui Theologi, transsubstantiatio non solum præstat, ut substantia quæ convertitur, i. e. panis et vini, desinat quoad omnes suas partes *integrales*, et quoad partem *essentialem*, quæ *forma* (2) substantialis dicitur, ut in quavis conversione substantiali fit; sed etiam, quoad alteram partem *essentialem*, quæ appellatur *materia*, quod in aliis substantialibus conversionibus non contingit.

104. PROB. Vera admittenda est in Eucharistia transsubstantiatio, si toti substantiæ panis succedit Corpus Christi, toti vero substantiæ vini succedit Sanguis Christi, et si hæc successio fit per veram conversionem. Atqui hæc duo contingunt.

(1) Trid. Sess. 13, can. 2.

(2) Cf. de *materia* et *forma*, t. I, tract. 6, *De SS. Trinitate*, n. 13 seqq.— Item ibid. tract. 5, *De Deo*, n. 49; et t. II, *De Sacram. in genere*, n.58 seqq.

105. *Primum* patet, 1° ex verbis: *Hoc est Corpus meum; — hic est Sanguis meus:* quorum verus et genuinus sensus est hujusmodi: QUIDQUID *per modum sustentantis subest istis speciebus panis;* vel: OMNE ID *quod substat istis speciebus ad modum substantiæ;* vel: OMNE ID *quod respectu istarum specierum obit munus substantiæ*, OMNE ID *est* CORPUS MEUM; item: QUIDQUID *subest simili modo istis speciebus vini, est* SANGUIS MEUS. Porro ad hunc sensum verificandum requiritur evidenter, ut nihil de substantia panis maneat sub speciebus panis, nihil sub speciebus vini de vini substantia.

106. 2° Ex testimonio Patrum, qui hanc conversionem vocant *μεταστοιχείωσιν*, *transelementationem*, et *μεταποίησιν*, *mutationem*, ut S. Greg. Nys. et S. Joan. Damascenus; *μεταβολὴν*, *mutationem*, ut Cyrillus Hieros., *μετάρρύθμισιν*, *transformationem*, ut S. Chrysost. — Idem patet exemplis, quæ Patres petunt a creatione, et a mutatione aquæ in vinum, ut S. Ambrosius et S. Cyrillus Hieros.

107. *Alterum*, nimirum substantiam Corporis *Christi* toti substantiæ panis, *per veram conversionem* succedere, sequitur ex mox allatis probationibus, vel in ipsis aperte continetur.

108. 3° Addi potest argumentum ex ratione theologica, quod sic proponitur. Ad veram conversionem substantialem requiruntur ad summum quatuor, quæ reapse in Eucharistia conficienda inveniuntur. 1) Requiritur ut aliqua substantia esse desinat, quæ dicitur conversionis terminus *a quo*. Jam vero in confectione Eucharistiæ desinit substantia panis et vini. 2) Requiritur ut aliqua substantia esse incipiat, quæ dicitur terminus *ad quem*. Jam, vero hic incipit esse sub speciebus, Corporis et Sanguinis Christi substantia. 3) Requiritur ut aliquid maneat utrique termino successive commune. Jam vero in Eucharistia quiddam commune sunt accidentia seu species, quibus prius substabat panis et vini substantia, nunc vero substat Corpus et Sanguis Christi. 4) Requiritur ut terminus *a quo*, seu recedens, repugnantiam aliquam secundum se habeat ad coexistendum cum termino *ad quem*, id est, cum termino succedente sub communi elemento; adeo ut termini *ad quem* introductio, expulsionem termini *a quo*, imo et desitionem, secum afferat. Jam vero et

hoc in Eucharistia contingit. Etenim, cum Corpus et Sanguis Christi sunt *totum id* quod subest speciebus per modum sustentantis (1), hoc ipso excluditur coexistentia panis per modum sustentantis; imo hoc ipso panis omnino existere desinit. Cum enim non possit jam existere per modum sustentantis accidentia, nullo modo existere potest, nisi supernaturaliter et per miraculum: quod ne fiat omnia postulare videntur (2).

PROPOSITIO II.

Totus Christus præsens est sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta.

109. *De fide*, ex Trid. Sess. 13, can. 3.

110. Propositio asserit Christum integrum esse sub specie panis, integrum quoque sub specie vini; et, si species vini vel panis dividatur in partes, integrum esse sub singulis particulis; ita ut, quot sunt species vel particulæ separatæ, toties Christi præsentia multiplicetur; ac, quemadmodum fere Deus in universo mundo, ita Christus in quavis hostia sit totus licet non totaliter.

111. Dicitur *separatione facta;* propositio enim, sicut Conc. Tridentinum, solummodo agit de particulis separatis, præscindendo a quæstione: utrum Christus sit quoque totus in singulis partibus hostiæ non separatis.

112. PROB. 1° *Quicumque manducaverit panem hunc*, VEL *biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis* ET *Sanguinis Domini*. I Cor. XI, 27. — *Qui manducat* ME *et ipse vivet propter me*. Joan. VI, 58.

113. 2° S. Ignatius de hæreticis Docetis scribit: *Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit.* Epist. ad Smyrn. cap. 8. — S. Cyrillus Hieros. per sanctam Communionem *nos fieri* ait *Christiferos*. Catech. mystag. 4.

(1) Hoc enim verba consecrationis exigunt, ut ostensum est sup., prob. 1°.
(2) Certissimum est id non fieri : i. e. substantiam panis ac vini post consecrationem miraculose non conservari, sed omnino desinere ; verum hic directe non quærimus quid fiat, sed quid fieri *aliquomodo* repugnet.

114. 3° *Ratione theol.* Vi unionis hypostaticæ, ac immortalitatis suæ, Christus a seipso dividi non potest; sed ubi pars substantiæ ejus, ibi per concomitantiam Christus totus est.

PROPOSITIO III.

Christus in Eucharistia præsens est modo permanenti, et ibidem cultu etiam externo adorandus est.

115. *De fide*, ex Trid. Sess. 13, can. 4 et 6.

116. PROBATUR PARS UTRAQUE simul, cum argumenta pleraque ad utramque stabiliendam valeant; et pars posterior de cætero tanquam corollarium fluat ex priore.

117. 1° Ex verbis institutionis: *Hoc est Corpus meum*, quæ verificari debuerunt ante sumptionem; secus dicere debuisset Dominus: *In hoc sumetis Corpus meum.*

118. 2° Auctoritate Patrum. Patres nunquam ex manducatione, sed ex Christi verbis realem præsentiam repetunt.— S. Augustinus: *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* In Ps. XCVIII.

119. 3° Ex Ecclesiæ antiquissima praxi, quam exhibent 1) liturgiæ, in quibus præscribitur, ut consecratione facta, Corpus Domini adorandum elevetur (1).—2) Missæ *præsanctificatorum,* apud Græcos. — 3) Eucharistia servata in domibus et in itineribus, delata per diaconos ad absentes, ab Episcopis ad Episcopos missa. S. Eudoxia, ut in ejus actis legitur (2), antequam traderet ultro se satellitibus, *brevi mora impetrata prodeundi, accurrit in sacram ædem, reserataque illic arcula, in qua divinum donum reliquiarum SS. Corporis Christi servabatur, inde particulam acceptam sinu recondidit, et sic statim cum militibus abiit.*

QUÆSTIONES.

1° *An nihil omnino de substantia panis vel vini post consecrationem remanet?* — 2° *An Christus, etiam ante specierum divisionem, sub qualibet earum parte continetur?* — 3° *Quot miracula Eucharistiæ dogmate involvuntur?* — 4° *In quo præcipue Eucharistiæ mysterium*

(1) Cf. infra, part. 2, c. 3, art. 1, quæst. 6, n. 333.
(2) Bolland. *Acta SS.*, Mart. tom. 1, pag. 19, cap. 12, n. 44.

consistit ? — 5° Quid potest naturali ratione de hoc mysterio ostendi? — 6° Quomodo, juxta S. Thomæ doctrinam, Eucharistiæ mysterium declaratur ? — 7° Quænam difficultates ex ratione objici solent et quomodo solvuntur ? — 8° Qualis est et quo nomine vocanda operatio, qua Transsubstantiatio peragitur ? — 9° Quid de natura accidentium credendum aut sentiendum est ? — 10° Quare sub hujusmodi speciebus Christus humanitatem suam abscondere voluit ? — 11° An una cum Corpore Domini sacramentales species adorentur ?

120. QUÆR. 1° *An nihil omnino de substantia panis vel vini post consecrationem remanet?* — R. Dogma fidei est, totam substantiam panis converti et transsubstantiari in Corporis Christi substantiam, et duntaxat remanere accidentia sine *suo* subjecto (1). Quodque de pane dicimus, idem similiter de vino est intelligendum. — Unde sequitur, 1) non tantum non remanere ullam partem integrantem panis et vini ; neque formale constitutivum panis, seu formam ejus substantialem ; sed 2) neque ejus materiam primam : si enim materia superesset, ut perperam censuit Durandus, accidentia suum subjectum retinerent : cum materia sit subjectum accidentium ; nec proinde Corpus et Sanguis Domini esset *omne id* quod accidentibus subest ad modum sustentantis, et sic verba consecrationis, juxta proprium et genuinum sensum, minime verificarentur. 3) Sequitur demum non remanere subsistentiam, neque existentiam, neque ullum gradum genericum vel individualem substantiæ panis : quandoquidem hæc omnia pertinent ad substantiam, quæ tota in Christi Corpus converti credenda est.

121. Q. 2° *An Christus, etiam ante specierum divisionem, sub qualibet earum parte continetur?* — R. Licet sententia id negans hæretica non sit, quia Conc. Flor. et Trid. definitioni inseruerunt hæc verba : *separatione facta* ; tamen parum probabilis videtur plerisque Theologis, qui pro certo habent sub quavis hostia Christum esse totum, et simul sub singulis ejus partibus totum. Cujus affirmativæ sententiæ validissima ratio hæc datur : quod Christus fiat præsens per consecra-

(1) Trid. Sess. 13, can 2, Constant. Sess 8.

tionem, nequaquam vero per fractionem; si ergo continetur sub fragmentis post divisionem, sub iisdem præsens fuisse ante divisionem dicendus est. — Non tamen inde sequitur Christum in una hostia indivisa existere pluries; nam una eademque præsentia est totus in tota hostia, et totus in singulis ejus partibus; quemadmodum fere anima tota est in toto corpore, et tota in singulis membris; aut etiam, quemadmodum tota ratio panis in omnibus et singulis est ejusdem fragmenti partibus, sicut in toto fragmento (1).

122. Q. 3° *Quot miracula Eucharistiæ dogmate involvuntur?* — R. In hoc mysterio, juxta catholicam doctrinam concepto, plurima interveniunt supernaturalia facta, quæ licet sensibilia signa non sint, et tantum per fidem percipiantur, lato tamen sensu, miracula vocari solent; nimirum 1) verbis substantia transmutatur; 2) accidentia panis manent sine sua substantia; 3) aliud specie apparet, aliud revera existit; 4) corpus humanum integrum, cum tota sua quantitate, existit sub minima quantitate panis; 5) idem corpus est in diversis locis; 6) idem corpus in terris est statu sacramentali et aliena specie velatum, dum interea remanet in cœlis statu glorioso et propria specie revelatum.

123. Q. 4° *In quo præcipue Eucharistiæ mysterium consistit?* — R. In triplici facto: 1) existentia humani corporis sub specie fragmenti panis, 2) existentia accidentium panis absque sua substantia, 3) præsentia ejusdem rei pluribus in locis simul.

124. Q. 5° *Quid potest naturali ratione de hoc mysterio ostendi?* — Respondeo: 1) demonstrari non potest, hoc mysterium, esse *impossibile*, seu repugnare. Etenim (2) Eucharistiæ mysterium, sicut pleraque Religionis nostræ mysteria, humanæ rationis captum superat; quare ratio neque detegere in illo, neque ostendere repugnantiam potest. Etenim ut ostenderent adversarii, realem Christi præsentiam in Eucharistia repugnare, deberent probe cognoscere duos terminos: i. e. intimam corporis essentiam, et statum seu modum quem dicimus sacramentalem, quo Christi corpus existit in

(1) Cf. Lugo, *De Euchar.* disput. 8, sect. 3, n. 48.—(2, Cf. Perrone, n. 105,

Eucharistia, ut ex eorum collatione repugnantiam evincere possent. Atqui etsi daremus, eos optime callere naturam corporis, nullam tamen adæquatam notionem habent status sacramentalis; ergo hos duos terminos invicem satis comparare nequeunt, ut ostendant illos inter se repugnare. Hoc solum possunt concludere, Eucharistiæ dogmate facta contineri, quæ a communibus phænomenis omnino diversa sint, quæque juxta leges ordinarias nequeant explicari.

125. — 2) Neque potest sola ratione naturali evidenter demonstrari, hoc mysterium esse *possibile;* supposita tamen aliorum mysteriorum fide, illa possibilitas intellectu percipi aliqua ratione potest; si præsertim divina omnipotentia spectetur, quæ profecto credenda est id omne efficere posse, quod non evidenter repugnare cernitur. Ut enim Tridentinum ait, sacramentalem Christi existentiam *etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus* (1).

126. Q. 6° *Quomodo, juxta D. Thomæ doctrinam, Eucharistiæ mysterium declaratur?* — R. Ita Angelicus Doctor, ejusque commentatores (2), fidei veritates cum factis naturæ ac principiis rationis conciliant, ut mysterii possibilitatem, non quidem positive demonstrent, sed valde probabilem exhibeant. Ut autem eorum doctrinam clare exponamus, I. quædam præmittemus circa corpus humanum ejusque proprietates; II. modum, quo Christi sacramentalis præsentia concipitur, explicabimus.

I.

127. 1° Substantia humani corporis duobus, juxta S. Thomam, constat principiis intrinsecis : altero determinabili et passivo, quod dicitur *materia;* altero determinante, quod dicitur *forma* substantialis, et realiter nihil est aliud quam anima rationalis. Porro utrumque principium, seorsim consideratum, vocari pstest substantia incompleta quoad naturam (3). — Omissa quæstione de forma, hic aliquid dicen-

Materia et forma sunt inseparabiles et ...

(1) Sess 13, c. 1. — (2) Cf. S. Thom. 3 p. qq. 75, 76, 77. — Suar. t. 18. disp. 45-57.— Lugo, *De Euchar.* disp. 5-10.
(3) Cf. tom. I, *De Trinit.* n. 22.

dum de iis proprietatibus corporis, quæ ejus materiam potissimum consequuntur. Et imprimis exponendum, quid sit *quantitas* et *extensio* improprie dicta, seu, ut solet appellari, *intensiva;* ut ab utraque deinceps sedulo distinguatur quantitas et extensio corporis proprie dicta, seu *dimensiva.* Itaque,

128. 2° *Quantitas improprie dicta*, quæ posset appellari *intensiva*, vel *entitativa*, *substantialis*, nihil est aliud, quam *totalitas materialis substantiæ in aliquo corpore;* seu, complexus partium integralium materialis cujuspiam substantiæ, adeoque *substantiali unione* inter se junctarum. Ut patet, quantitas intensiva determinatæ materiæ ab eadem integre accepta realiter non distinguitur. Sic materia corporis tui et ejus quantitas substantialis, non sunt duæ res, sed una eademque sub duplici respectu considerata; nec proinde altera ab altera separari, nisi cogitatione, potest.

129. 3° *Extensio improprie dicta*, seu *intensiva*, vel *entitativa*, *substantialis*, est nomen, quod aliquando usurpatur ad significandam ipsissimam quantitatem intensivam, de qua modo disseruimus. At speciatim vocabulo illo significatur, vel ea unio substantialis, quam modo diximus materialium partium inter sese, ex qua præcise exsurgit substantia materialis integra; vel accuratius: *illa dispositio seu ille ordo, quem materiales partes concipiuntur inter sese habere eo præcise, quod substantiali unione in integram materiam coalescant.*

130. Porro hic diligenter animadvertendum est quantitatem et extensionem *intensivam*, juxta definitiones traditas, pertinere ad substantiam materialem *in seipsa constituendam* seu disponendam; non autem *per se* pertinere ad illam constituendam seu disponendam in spatio. Contra vero, ad materialem substantiam, vel actu vel saltem aptitudine, *disponendam in spatio,* pertinet atque ordinatur *quantitas et extensio dimensiva,* quæ proinde realiter differunt a quantitate atque extensione intensiva; et hic exponendæ jam veniunt.

131. 4° *Quantitas* proprie dicta, seu *dimensiva*, est *physica materiæ proprietas*, *radix extensionis dimensivæ.* Dicitur 1) *physica* proprietas; i. e. accidens physicum, quod proinde

realiter distinguitur a materiali substantia (1) cui inhæret, seu quam afficit. Nam quantitas dimensiva corporis, juxta Scholasticos, non est materia, contra id quod dixit recentius Cartesius. 2) *Proprietas*, seu *accidens necessarium;* quia quantitas dimensiva, licet realiter non sit ipsa materialis substantia corporis, ab ea tamen nata est procedere in eaque sustentari, atque revera procedit, nisi supernaturaliter impediatur. 3) *Radix extensionis dimensivæ* ; quia cum non possimus quantitatem in seipsa intueri, necesse est, ut eam in ordine ad ejus effectus formales definiamus. Porro quantitatis effectus quasi formalis, et primus qui a nobis cognosci possit, est extensio dimensiva. Itaque corpori quantitate affecto extensio dimensiva essentialiter competit, non quidem actualis (hæc enim impediri potest), sed aptitudinalis.—Verum hæc explicatione indigent, ut sequitur.

132. 5° *Extensio* materiæ *proprie dicta* seu *dimensiva*, potest considerari in duplici, ut ita dicam, statu: vel prout existit in actu, vel prout existit in aptitudine et exigentia naturali. Extensio prout existit in actu, seu *actualis*, est illa quæ sub sensibus cadit, et satis nota est, quamvis ejus intimam naturam assequi difficile sit; describi autem potest : *Positio actualis partium materialium extra partes in spatio*, seu *occupando spatium*, ita ut una pars occupantis respondeat, seu præsens sit, uni tantum parti spatii, altera alteri, et ita porro. — Extensio vero *aptitudinalis*, vel exigitiva, est *proxima aptitudo, et exigentia naturalis ad actualem extensionem habendam.* Brevius: *actu extensum* est, quod *dimensiones habet: aptitudine extensum* est, quod *habet aptitudinem proximam ad dimensiones* habendas. Ex quo patet in utraque extensione implicare relationem ad spatium: in actuali *proximam*, in aptitudinali *remotam* (2).

133. Jam vero quantitas dimensiva essentialiter tribuit materiæ extensionem aptitudinalem; ideoque posita quantitate, ne divinitus quidem impediri potest quominus aptitudinalis extensio sequatur.—At eadem quantitas dimensiva non essentialiter tribuit extensionem actualem; ista *naturaliter* conse-

(1) Cf. infra, *quær.* 9ᵉ, n. 189.
(2) Suar. t. 18, disp. 43, sect. 1, paulo post medium.

quitur aptitudinalem, ideoque, posita quantitate, impediri nequit per vires naturæ; potest tamen impediri per divinam potentiam, cui subest natura.

134. *Nota.* 1) Ex dictis patet (quod jam adnotatum est generatim supra, sub fin. num. 131), extensionem dimensivam, etiam mere aptitudinalem, esse distinctam atque diversam ab extensione intensiva; licet cæteroquin verissimum sit, intensivam naturaliter postulare et in se progignere extensivam. Etenim materia corporalis, hoc ipso quod intensive extensa sit, *naturaliter* postulat atque in se producit quantitatem dimensivam, per quam apta evadit ad extensionem dimensivam, actualem exerendam, eamque *naturaliter* exigit exerere. Atque in hoc discrepat substantia spiritualis a materiali, quod illa, cum intensiva extensione careat, non solum non postulat esse dimensive extensa vel sola aptitudine, sed ne potest quidem hanc aptitudinem recipere.

135 *Nota.* 2) Extensio dimensiva aptitudinalis, seu radicalis, solet quoque appellari *intrinseca, in ordine ad se*, extensio *in se;* per oppositionem ad extensionem dimensivam *actualem* seu *formalem*, quæ vice versa vocatur *extrinseca in ordine ad locum* seu *spatium*, extensio *in loco*, *localis*,*situalis*.

136. *Nota.* 3) Extensio intensiva, seu improprie dicta, aliquando vocatur et ipsa *intrinseca*, extensio materiæ *in ordine ad se*, *in se*; ut significetur ipsam *nullo modo* replere spatium: id est, neque actu et formaliter (qua in re non differt ab extensione dimensiva aptitudinali); nec radicaliter et exigitive (qua in re ab aptitudinali dimensiva differt quam maxime).

137. 6° Quod diximus de extensione dimensiva, pariter dicendum est de *impenetrabilitate*, sive materialium partium ejusdem corporis inter sese, vi cujus una non compatitur aliam in eodem spatio; sive unius corporis respectu alterius, ita ut unum non compatiatur in eodem spatio alterum corpus simili impenetrabilitate præditum. — Sicut extensio, impenetrabilitas potest esse *actualis,* vel *aptitudinalis* tantum. Utraque est effectus quantitatis dimensivæ; sed hæc, non illa, est effectus essentialis; ideoque ne divinitus quidem

fieri potest, ut corpus quantitate dimensiva affectum, non sit proxime aptum ad impenetrabilitatem exerendam, tum inter partes suas invicem comparatas, tum respectu aliorum corporum. At potest divinitus impediri ne impenetrabilitatem reapse exerat, quemadmodum factum esse novimus ex. gr. cum Christus natus est, inviolato virginali claustro, cum resurrexit lapide non revoluto, cum januis clausis ad discipulos congregatos ingressus est, etc. — Simile quid dicendum de *divisibilitate* dimensiva, quæ et ipsa vel *actualis*, vel mere *aptitudinalis* esse potest.

138. 7° De *figura* corporis eadem ratione ac de extensione disserere debemus. Figura enim sequitur naturam extensionis, cujus modus est. Igitur distinguenda figura duplex: altera improprie dicta, quæ vocari potest *substantialis*, *entitativa*, et est *dispositio extensionis intensivæ;* altera proprie dicta, quæ vocari potest *dimensiva*, *accidentalis*, et est *extensionis dimensivæ dispositio*, et quidem vel *actualis*, vel *aptitudinalis*, prout extensio dimensiva vel existit actu, vel tantum aptitudine (1).

139. Porro figura substantialis cujuspiam corporis non est effectus quantitatis dimensivæ; sed illam præcedit prioritate naturæ, pertinetque ad substantiam materialem corporis illius constituendam: ideo ne divinitus quidem auferri potest ab illo corpore, quamdiu substantia corporis ejusdem perseverat. — Figura vero dimensiva corporis est effectus quantitatis dimensivæ: ideo, sublata quantitate, tollitur hujusmodi figura, tam actualis quam radicalis: manente vero quantitate, figura radicalis tolli nequit; sed potest divinitus impediri, quominus evadat actualis, quemadmodum de extensione dimensiva dictum est.

140. 8° De *organizatione*, seu organismo corporis viventis, fere sicut de figura loquendum. Organizatio *substantialis*, id est *dispositio extensionis intensivæ corporis sufficiens ad vitam*, non est effectus quantitatis dimensivæ, neque pertinet ad extensionem dimensivam exerendam, neque potest tolli,

(1) Aptitudinalis dispositio extensionis dimensivæ, requisita ad vitam in corporibus animatis, solet appellari *figura organica* (infra 8°, n. 140). Cf. Suarez, t. 18, disp. 48, sect. 1, circa fin.

manente corpore organico. — Organizatio *accidentalis*, id est, *specialis dispositio extensionis dimensivæ corporis, requisita ad vitam,* seu *ad opera vitæ exercenda,* est effectus quantitatis dimensivæ propriæ corporis viventis; et, sicut ipsa extensio dimensiva, quantitate manente, essentialiter manet *quoad aptitudinem,* sed ne *in actum* prodeat, potest divinitus impediri.

141. 9° Quod de figura diximus, idem dicendum quoque de *colore*, de *proportione* dimensionum, ac proinde de *pulchritudine* sensibili, cæterisque corporis qualitatibus, quæ in dimensiva ejus extensione et figura fundantur. Hujusmodi qualitates non manent actu, si extensio actualis impediatur; sed ea manente quoad aptitudinem, et ipsæ in radice manent (1).

142. 10° *Præsentia corporis in spatio* seu *loco*, quid et quotuplex esse possit satis constabit, ubi tria, quam brevissime fieri poterit, explicaverimus : nimirum — *A*) quid sit spatium ; — *B*) quid sit generatim præsentia ; — *C*) quid et quotuplex speciatim præsentia in spatio. Itaque.

143. *A*) Spatium describi solet : *Expansio*, seu extensio dimensiva actualis *in longum, latum et profundum.* Spatium in se spectatum, distingui potest in *reale* et *imaginarium.* — *Reale* est quod vel existit actuatum, seu est in rerum natura, ut ex. gr. nunc trina dimensio corporis tui, et dicitur *physicum :* vel mere actuabile est, ut ex. gr. eadem trina dimensio antequam corpus tuum existeret; et dicitur *possibile, metaphysicum.* — *Imaginarium* est spatium possibile, quatenus phantastice delineatum perinde ac si existeret. — Porro spatium reale, spectatum respectu corporis cujuspiam est *intrinsecum* vel *extrinsecum. Intrinsecum* est ipsissima trina dimensio corporis illius : *extrinsecum* est trina dimensio qua spatium intrinsecum circumscribitur.

144. *B*) *Præsentia* entis, universalissime considerata, ut est a parte rei, esse videtur *quædam realitas enti intrinseca, qua ens constituitur, quantum est ex se, in certa relatione cum altero ente, quam* RELATIONEM PRÆSENTIÆ *nominamus, et per conceptum indistantiæ in rebus sensibilibus, utpote nobis prius*

(1) In sequentibus, vox *extensio, extensum,* sine addito usurpata, supponet pro *extensione dimensiva actuali.*

Non potest explicare præsentiam Angelorum.

occurrentem et magis obvium, aliqua ratione explicamus. — Dicitur 1) *Quædam realitas enti intrinseca* : non autem additur : *cum ipso ente identificata;* quia nempe, licet in Deo præsentia realiter non distinguatur ab ipso, tamen in ente creato, juxta opinionem Suarezii aliorumque valde probabilem, præsentia est quidam modus seu forma modalis ; quæ proinde aliqua reali distinctione secernitur ab ente quod afficit, et potest ab eo tolli, mutari in aliam, etc. 2) *Quantum est ex se;* quia nempe illa realitas, quamdiu enti inest, præstat, ut ipsum cum certo altero ente habeat relationem actualem indistantiæ, statim ac istud alterum ens existit, et quamdiu perseverat. 3) *Per conceptum indistantiæ, etc... explicamus :* quia nempe primo, concipimus distantiam, qualis invenitur in extenso ; hinc secundo, concipimus indistantiam seu carentiam distantiæ, iterum qualis invenitur in extenso ; tertio, per quamdam analogiam concipimus distantiam et consequenter indistantiam, qualis extra extensum invenitur seu inveniri potest : et sic per ideam indistantiæ ideam præsentiæ universalissimam efformamus.

145. *C*) Præsentia entis in spatio, est ejus indistantia a spatio, adeoque a quopiam determinato extenso (1). Porro 1) *ratione modi quo exercetur*, præsentia in spatio est, vel *circumscriptiva*, vel *non circumscriptiva*. Circumscriptiva alia est formaliter talis, alia elementariter. *Formaliter circumscriptiva* est præsentia entis, *qua totum ens toti cuipiam spatio præsens est per hoc, quod una pars ejus adest uni tantum parti spatii, altera alteri, et sic porro singulæ singulis, se invicem ab eadem spatii parte excludentes;* brevius : est *præsentia entis commensurata spatio.* — Ut patet, est præsentia propria extensi qua talis. Unde ens inextensum nequit esse circumscriptive præsens. — *Elementariter circumscriptiva* potest appellari ea præsentia, qua indivisibilia, ut aiunt, seu puncta inextensa (si tamen vera dentur, ut multi putant), existunt in extenso seu in continuo.

(1) Hæc præsentia appellatur *ubicatio* vel *ubi* intrinsecum. Quamvis hæc denominatio etiam tribui soleat præsentiæ entis relate ad aliquid quod spatium non est : e. g. præsentiæ angeli ad angelum ; tamen origo vocis a relatione ad spatium, saltem possibile, repetenda videtur.

146. *Nota*. Nomine *circumscriptivæ* venire solet ea præsentia, quæ est talis formaliter; atque hoc sensu nos deinceps loquemur (1).

147. Præsentia *non circumscriptiva* est *ea, qua ens adest totum toti spatio, et totum singulis partibus spatii.* — Ut patet, hæc præsentia præstantior est circumscriptiva.

148. 2) *Ratione limitum, intra quos exercetur*, præsentia non circumscriptiva dicitur *definitiva* : si *ad spatium determinatum ita referatur ut ad illud limitetur, ac proinde* vi illius præsentiæ, *ens nulli alteri spatio sit præsens.* Hujusmodi est naturalis præsentia animæ humanæ in corpore quod informat. — Dici vero potest *redundans,* si *ad spatium determinatum ita referatur, ut nihilominus ad aliquod alterum spatium se protendat, ac proinde* vi illius præsentiæ, *ens alteri quoque spatio sit præsens.* — *Nota.* Præsentia divinæ substantiæ in creaturis, non tam redundans, quam supereminens et infinita est dicenda.

149. 11° *Multilocatio* entis est præsentia entis in multis locis, seu determinatis spatiis, et potest concipi successiva vel simultanea.— Adnotanda sunt sequentia.

150. 1) Præsentia corporis in spatio *naturaliter* est circumscriptiva : quia corpus naturaliter est in spatio cum sua quantitate, adeoque cum sua extensione, et consequenter per præsentiam extensi propriam. Nihilominus non repugnat ut *supernaturaliter* sit in spatio determinato, seu loco, per præsentiam, non circumscriptivam sed definitivam, etiam cum sua quantitate : nimirum sublata, in ordine ad illum locum, extensione corporis actuali.

151. 2) Præsentia corporis uno eodemque temporis puncto *naturaliter* est *unilocatio:* id est, ad unum tantum locum uno eodemque tempore sese protendens. Naturaliter quoque potest multilocationem successivam suscipere : non autem simultaneam. At absolute non repugnat cujusvis entis creati, vel corporei, *simultaneo multilocatio :* siquidem hæc postulat quidem ut eodem tempore multiplicentur præsentiæ, adeoque modi relationesque exteriores in ente; non autem ut multiplicetur ipsa entis substantia vel entitas, quæ per hos multiplices modos simul variis in locis sistitur præsens. Ergo

(1) Circumscriptiva appellatur etiam *dimensiva*, proprie *localis*, *situalis*, etc.

intrinsece multilocatio simultanea repugnare non ostenditur, sed neque *extrinsece* eam repugnare probatur.

152. 3) Omnium consensu certum est, simultaneam multilocationem corporis *supernaturaliter* posse fieri per multiplicem præsentiam non circumscriptivam : ita ut corpus in uno loco adsit præsentia sua circumscriptiva naturali, per præsentias vero non circumscriptivas in cæteris locis.

153. 4) Disputatur, an corporis multilocationem per plures circumscriptivas præsentias fieri repugnet intrinsece, seu metaphysice, necne. Thomistæ, cum S. Thoma, ut ipsis videtur, affirmant; plures alii, ut Bellarm., Suarezius, Lugo, probabiliter negant. Quidquid de veritate sit, ad difficultates contra sacramentalem præsentiam Christi diluendas, possibilitatem simultaneæ multilocationis circumscriptivæ præsupponere non cogimur, ut ex dicendis patebit.

154. 5) Cum Deus ponit corpus idem simul in duplici loco, si operetur conformiter ad naturas rerum, et non velit miraculum addere miraculo, debet etiam ponere utrobique omnia quæ corpori in uno aut in altero loco conjuncta sunt : i. e. non solum proprietates naturales omnes, sed alia etiam accidentia communia, ut calorem, albedinem, etc.; exceptis iis quæ ab ipso loco dependent (1).

II.

155. His præmissis, ita possunt summatim proponi quæ Theologi scholastici de Eucharistia communius tradunt.

156. 1° Per verba consecrationis fit transsubstantiatio, ut Fides docet : i. e. mutatur tota substantia panis in totam substantiam Corporis Christi, manentibus duntaxat speciebus. Quod autem dicitur de pane et Corpore; idem omnino, hic et in sequentibus, dicendum de vino et Sanguine.

157. 2° Vi verborum in Eucharistia existit tota sed nuda substantia Corporis Christi; quemadmodum desinit tota et mera substantia panis : mutatur enim substantia in substantiam.

158. 3° At vi connexionis, seu per concomitantiam, simul adsunt non tantum Christi anima et divinitas, sed omnes

(1) Lugo, *De Euchar.* disp. 5, sect. 1, 2.— Suar. t. 18, disp. 48.

quoque animæ corporisque proprietates, etiam accidentales, quæ adsunt in cœlo ; exceptis iis quæ a loco, seu a præsentia circumscriptiva in loco, dependent.

159. 4° Habet ergo Christi Anima omnes facultates et qualitates naturales et supernaturales, lumen gloriæ, visionem beatificam, charitatem, et cætera dona quibus est ornata.

160. 5° Habet Christi Corpus sanguinem, ossa, nervos, omnia organa, ac membra cum quinque vulneribus; habet qualitates supernaturales, ut sunt claritas, impassibilitas, subtilitas, agilitas, ac proinde.

161. 6° Habet totam *substantialem* seu *intensivam* quantitatem et extensionem suam : *substantialem* quoque organizationem atque figuram.

162. 7° Habet etiam totam *dimensivam* seu accidentalem quantitatem, et inde consequentem *aptitudinalem* extensionem, impenetrabilitatem, divisibilitatem, figuram organicam, etc.

163. 8° Non tamen retinet in hoc Sacramento *actualem* dimensivam extensionem, nec proinde actualem impenetrabilitatem et divisibilitatem : partes enim Corporis Domini, licet quantitate dimensiva affectæ, penetrantur, præternaturali modo, tum inter se (1), tum cum quantitate specierum.

164. 9° Hinc sequitur, Christi humanitatem in Eucharistia exercere non posse actus alicujus sensus externi vel interni, ad quos objectorum externorum concursus requiritur ; quia ad actiones hujusmodi certa dimensiva atque actuali extensione et impenetrabilitate nervorum fibrarumque in organo opus est, qua corpus Christi caret, ut diximus (2). Ergo Christus sacramentalis nullos exercet actus vitæ sensitivæ, respectu cujus sese habet modo quodam mortuo ; quo pertinet illud Apoc. V, 6 : *Vidi... Agnum stantem tanquam occisum.* — Actiones vero immanentes, quæ ab organis rebusque externis non dependent, elicere potest Christi Anima : cujusmodi sunt : visio beatifica, cognitiones scientiæ

(1) Quæ penetratio nihilominus, cum respiciat duntaxat partium positionem relationemque mutuam in spatio, non autem ipsam unionem substantialem, unde substantialis integritas corporis exsurgit ; minime destruit substantialem organizationem figuramque corporis, imo nec dimensivam radicalem, quam remanere diximus. Cfr superiora, n. 137.— (2) 8°, n. 163.

infusæ, et ab his dependentes voluntatis actus. Porro hisce actibus animæ, Dominus eucharisticus cum adoratoribus suis, non minus, imo melius quam via sensuum communicat.

165. Corpus Christi, ob easdem rationes, pati nihil potest ab agentibus corporeis: non videri, non tangi, non frangi, non comprimi, dilatari, lædi, etc.

166. 10° Præsentia sacramentalis Christi non est circumscriptiva, sed aliquomodo definitiva vocari potest: est enim in hostiæ limitibus definita, fere sicut anima in corpore; at animæ præsentia non pertinet nisi ad unum corpus, Christi anima præsens est tantum in uno corpore: Christus vero in omnibus hostiis consecratis.

167. 11° Christi præsentia, licet pertineat ad locum determinatum per species, non tamen proprie *localis* est (1), i. e. per modum loci cui commensuretur et a quo circumscribatur.

168. 12° Christi Corpus est aliquo modo speciebus unitum et alligatum: est enim essentialiter sub speciebus, quas in omni motu sequitur.

169. 13° Est immobile per se, mobile tamen per species. Quod si in una ecclesia movetur, in alia quiescit, hæc diversa accidentia a loco diverso dependent, neque ullam repugnantiam includunt: cum agatur de motu et quiete secundum diversas præsentias; nec proinde detur *affirmatio et negatio ejusdem de eodem ac sub eodem respectu;* quod tamen ad contradictionem requiritur.

170. 14° De Corpore Christi sacramentali prædicari possunt, non solum ea, quæ de vero Christi Corpore essentialiter prædicantur; sed etiam quædam alia, ratione sacramentalis status et loci. Prædicata sacramentalia alia tribuuntur Christo secundum se, et proprie: ut quando dicitur ferri, elevari, manducari; alia vero, ut cum dicitur tangi, videri, calefieri, frangi fractis speciebus, dicuntur improprie et secundum species: quare in prosa SS. Eucharistiæ canitur:

Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status nec statura
Signati minuitur.

(1) Cf. supra, prænot. de præsentia in spatio, *C*, n. 145.

171. 15° Ipsæ porro species existunt (1) modo absoluto, i. e. sicut accidentia physica sine subjecto: probabilius virtute Corporis Domini supplente, sed seclusis imperfectionibus, causam materialem accidentium, quæ erat substantia panis et vini. — Dicitur *seclusis imperfectionibus:* proinde secluditur *inhæsio* accidentium illorum in Corpore et Sanguine Christi. Si enim inhærerent, eo ipso fierent formæ accidentales Corporis et Sanguinis Dominici (2), adeoque illud modificarent, et quidem modo tam vilibus accidentibus proprio ; quod magnam corpori humano, maxime glorioso, imperfectionem inferret. Non itaque in Corpore et Sanguine Domini *inhærent* sed ab eo *sustentantur*.

172. 16° Species agere et pati possunt generaliter ea omnia, quæ substantia panis et vini, si adhuc adesset : sumptæ itaque nutriunt, alterantur et corrumpuntur.

173. 17° Speciebus corruptis, desinit præsentia Domini et sub nova forma producitur materia, *probabiliter* pristina, quæ in consecratione esse desierat. Porro species corruptæ censentur, quando jam non ita sunt integræ, ut sub illis remaneret substantia panis et vini, si facta non fuisset consecratio.

174. QUÆR. 7° *Quænam difficultates ex ratione objici solent, et quomodo solvuntur ?* — R. Objectiones hujusmodi nituntur in repugnantia, quam adversarii se deprehendere existimant, inter sacramentalem Christi existentiam, et facta aliunde per experientiam et rationem certo cognita. Repugnantia autem illa ex triplici repetitur capite : 1° ex impossibilitate, 2° ex contrario testimonio sensuum, 3° ex indecentia : quia tribuenda forent Corpori Christi, quæ dignitati ejus convenire non possunt.

175. *Objic.* 1° Sacramentalis existentia Christi est impossibilis ; ergo a ratione admitti non potest. — R. *Dist. antec.* Est impossibilis naturaliter, *conc. ;* supernaturaliter et per omnipotentiam Dei, *neg.*

176. *Inst.* 1° Atqui neque per Dei omnipotentiam illa existentia possibilis est, cum intrinsece repugnet. Etenim

(1) Cfr. infra quæst. 9, n 188 seqq.
(2) Cf. t. I, *De Trinit.* n. 17, *forma accidentalis.*

imprimis, repugnat corpus humanum existere in minima hostia; ergo. — R. *Nego instantiam; probationem distinguo:* non potest corpus humanum ibi existere per modum communem, *conc.;* per modum substantiæ, *neg.* Est enim substantiæ existendi modus qui præscindit ab extensione, saltem actuali, in spatio : ita ut esse possit indivisibiliter in uno puncto ; vel etiam *definitive* in loco, i. e. tota in toto loco et tota in singulis loci partibus, sicut anima est in corpore, et sicut natura panis est tota in toto panis frusto et tota in singulis frusti partibus.

177. *Inst.* 2° Non potest corpus humanum, utpote materiale et organicum, habere se per modum substantiæ inextensæ. Nam, *ut materiale*, habet essentialiter partes extra partes; *ut organicum* autem, habet partes inter se certo ordine dispositas; quæ omnia extensionem requirunt. Ergo. — R. *Neg. min. subsumptam.* Ad probationem, *dist. utrumque membrum.* 1) *Ut materiale* habet necessario partes extra partes positas *aptitudinaliter*, *conc.; actualiter*, *neg.* 2) Ut *organicum* habet necessario partes ordine dispositas inter sese, *unione substantiali,* unde exsurgit substantialis integritas atque organizatio, *conc.;* dispositas quoad spatium *subd.;* aptitudine, *C.;* actu, iterum *subd.* : habet *naturaliter*, *conc.; essentialiter*, ita ut iste effectus naturalis nequeat divinitus impediri, *nego* (1).

178. *Inst.* 3° Corpus Christi eucharisticum, juxta ipsos Catholicos, existit cum sua quantitate dimensiva; atqui non potest esse quantitas dimensiva sine dimensiva extensione, divisibilitate, impenetrabilitate ; ergo. — R. *Dist. min.* Non potest esse quantitas dimensiva sine dimensiva extensione, etc. *aptitudinali*, *C. actuali*, *subd.* : non potest esse naturaliter, *C.;* supernaturaliter, *N.* Responsio patet ex præcedentibus (2).

179. *Obj.* 2° Non potest Corpus Christi esse totum in tota hostia et totum in singulis partibus. Ergo. — R. *Neg. ant.* juxta dicta supra ad instantias, et juxta exposita de variis præsentiis.

(1) Cf. sup. prænotanda, præsertim de organizatione, 8°, n. 140.
(2) Cf. prænot. 134.

180. *Inst.* Idem corpus simul esse in pluribus locis repugnat; ergo totus Christus in qualibet speciei parte, sive ante sive post separationem, esse non potest. *Prob. ant.* 1) Sicut locus divisus est ab alio loco, ita corpus deberet esse divisum a se ipso; at si divisum sit a se ipso, jam non est unum et idem; *unum* enim *est indivisum in se.* 2) Posset idem corpus moveri motibus contrariis, quod etiam repugnat. Ergo. — R. *Neg. antec.* Ad prob. 1^{am}, pariter *nego.* Corpus non esset a se divisum, sed tantum divisæ essent distantiæ præsentiarum ejus. Idem scilicet corpus haberet distinctas præsentias, seu distinctas *ubicationes*, distincta *ubi* intrinseca; sed ejus entitas distincta non esset (1). — Ad prob. 2^{am}, *dist.* Posset motibus contrariis moveri idem corpus *non replicatum*, i. e. *non multilocatum*, neg.; idem corpus *replicatum* ac proin multiplex habens *esse locale*, conc.; sed nego hic dari repugnantiam : cum non prædicentur contradictoria de eodem secundum idem, sed secundum diversum, scilicet locum (2).

181. *Obj.* 3° Non possunt accidentia panis existere sine substantia panis, cui inhærere debent. — R. *Dist.* Secundum communes naturæ leges, *conc.*; ex Dei speciali dispensatione, *neg.* In pane accidentia sustinentur a substantia panis, quæ est causa secunda; in Eucharistia eadem sustinentur immediate a Deo, qui est causa prima, vel mediate, scilicet virtute Corporis et Sanguinis Christi, ut supra dictum est (3).

182. *Obj.* 4° Præsentia realis repugnat quia opponitur testimonio sensuum; ergo. *Prob. antec.* Ignarus mysterii ex testimonio sensuum judicare deberet, adesse ibi substantiam panis et vini. — R. *Neg. antec.* Ad prob. *dist.* Judicare deberet adesse ibi aliquid *ad modum substantiæ*, *C.*; in quo nullus error: quia quantitas dimensiva panis est ibi revera ad modum substantiæ; — deberet judicare, esse ibi substantiam *proprie dictam*, quæ nata est subesse illis speciebus, *subd.*: deberet judicare, *sub hypothesi* saltem tacita, quod non fuerit derogatum legibus naturæ physicæ, *C.*; deberet judicare omnino *absolute*, *N.* Quod si tamen ita judicaret, erraret *per accidens*, non *per se*. Ut enim optime S. Thomas ait,

(1) Cf. Wirceb. *De Euchar.* n. 286.
(2) Supra prænot. et exposit. 11° n. 149.— (3) 5° n. 171.

sensus a deceptione redduntur immunes, qui de accidentibus judicant sibi notis. Off. Corp. Dom. lect. 5.

183. *Obj.* 5° Tribuenda forent Christo et Corpori ejus quæ ei non conveniunt; ergo.—R. *Neg. assertum.* Quæ indigna videntur, ut corruptio et putrefactio, tantum fiunt in accidentibus. Reliqua vero, ut humilitas, paupertas, quibus in Sacramento suo circumdatur Christus, effectus sunt immensæ charitatis ejus. *Da amantem*, diceret S. Augustinus, *et sentit quod dico... si frigido loquor, nescit quod loquor.*

184. Hæc satis superque dicta sunt, ut ratio docilis acquiescat. Quod si quis penitius hoc mysterium fidei introspicere vellet, ei proponendum foret hoc S. Augustini verbum : *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus, tota ratio facti est potentia facientis.*

185. Quæ de modo præsentiæ realis subtiliora exposuimus, ut Theologo ad dogmatum defensionem sunt utilissima, ita simplicibus fidelibus sunt ad credendum supervacanea, imo plerumque incommoda. Quare populo hæc passim explicanda non sunt; sed potius tota mysterii ratio reponenda est in Dei omnipotentia, dicendo cum S. Joanne Damasceno : *Quomodo mihi accidet istud, aiebat Virgo sancta, quoniam virum non cognosco? Cui Gabriel archangelus : Spiritus sanctus superveniet in te... Tu quoque nunc quæris, quomodo panis fiat Corpus Christi... sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum sanctum... nec amplius quidquam nobis perspectum est et exploratum, quam quod Dei sermo verax efficaxque est, atque omnia potest : modus vero investigari prorsus nequit.*

186. QUÆR. 8° *Qualis est, et quo nomine vocanda operatio, qua transsubstantiatio peragitur?* — R. Hæc operatio duplex est pro duplici mutationis termino, circa quem versatur, pane nimirum et Christi Corpore. Quomodo autem utraque vocanda sit, disputatur. Actio qua substantia panis desinit, juxta mentem S. Thomæ (1) et Suarezii (2), recte *conversio* dicitur non vero *annihilatio*. Licet enim substantia panis ita destruatur, ut non amplius in natura rerum existat, non tamen proprie

(1) P. 3, q. 75, art. 3. — (2) Tom. 18, disp. 50, sect. 7.

annihilatur. Annihilatio enim est simplex subtractio divini concursus, quo cessante ens in nihilum suum recidit. At in consecratione, non simplex cessatio divini concursus, sed actus positivus divinæ potentiæ intercedit, quo substantia panis *desinat in aliam*, scilicet in Corpus Christi : id autem non *annihilatio* sed *conversio* est.

187. Actio qua Christi Corpus existere incipit, licet quædam creatio sit, non tamen *proprie creatio* videtur dicenda ; quia Christi Corpus non producitur simpliciter ex nihilo, sed ex pane.—Neque recte a Scoto vocata est *adductio*, quasi Christi Corpus per motum localem adducatur et loco panis substituatur.—Neque etiam est *unio* Corporis Christi *cum speciebus* sacramentalibus, ut censuit Soto. Rectius vero videtur *productio* vel *reproductio* a multis appellari (1) ; quia per eam Corpus Christi, quod jam existit in cœlo et ibidem manet, sub speciebus sacramentalibus per transsubstantiationem existere incipit, adeoque reproducitur.

188. Q. 9° *Quid credendum aut sentiendum de specierum natura?* — R. 1) *De fide* est, ex Trid. can. 2, manere post consecrationem species panis et vini. — Propositio Wicleffi 2ª : *Accidentia panis non manent sine subjecto in Sacramento*, a Concil. Constant. damnata est.

189. 2) *Non est de fide* definitum, utrum species sint accidentia, ut aiunt, absoluta an relativa ; seu melius : utrum species sint physica accidentia, an tantum apparentia. — Ut autem hujus quæstionis sensus percipiatur, notandum est, triplicem posse de panis et vini aliorumve corporum accidentibus sententiam teneri. Prima docet, accidentia sensibilia corporis esse entitates *realiter distinctas* et absolute *separabiles* a substantia corporea cui insunt, ita ut non absolute repugnet, ea extra substantiam existere. — Secunda docet, accidentia esse entitates realiter quidem distinctas aliqua ratione a substantia, sed distinctione quæ appellatur *realis minor*, et propria est *modi* respectu rei modificatæ (2), nec sufficit ad existentiam modi vel divinitus servandam extra rem modificatam. — Tertia docet, accidentia sensibilia

(1) Cf. Suar. t. 18, disp. 50, sect. 4 ; S. Thom. p. 3, q. 75, art. 8.
(2) Cfr t. I, tract. V, *De Deo*, cap. 2, prop. 4, n. 98.

corporis a parte rei, quatenus a repræsentationibus sensibilibus distinguuntur, nihil aliud esse quam ipsam substantiam corpoream, prout repræsentationes illas potis est excitare.

190. Igitur, juxta primam sententiam, accidentia sensibilia corporis sunt *physica*, *et plus quam modalia* respectu substantiæ cui inhærent. Juxta secundam, sunt *physica*, *sed mere modalia*. Juxta tertiam, *non physica* sunt, *sed tantum apparentia;* physice enim non *accidunt* seu inhærent substantiæ : quippe *sunt* ipsa substantia ; *apparent* tamen seu videntur inhærere. His positis, jam quod attinet ad naturam specierum Eucharisticarum definiendum.

191. — 3) *Antiqui* fere unanimiter docuerunt, species eucharisticas esse illa accidentia physica, quæ *naturaliter* quidem *apta* sunt et *exigunt* inhærere tantum substantiæ panis et vini, eique ante consecrationem actu inhærebant ; sed nunc *præternaturaliter* actu existunt, sine pane et vino quibus inhæreant.

192. Ut patet, existimabant, juxta primam sententiam, accidentia sensibilia corporum esse physica, et absolute separabilia a substantia. Cæterum cum S. Thoma communius admittebant, solam dimensivam quantitatem (1) panis et vini esse accidens, ut aiunt, absolutum (2), i. e. existens sine ulla actuali inhæsione; cæteras vero qualitates, ut est sapor, odor, color, in quantitate illa, quod naturale eis est, inhærere. Itaque juxta antiquos, sola *quantitas* panis et vini in Eucharistia existit *ad modum substantiæ*, licet non sit substantia (3), sed pergat esse accidens.

(1) Cfr supra prænotanda de humani corporis propriet. nn. 130, 131.

(2) Proprie loquendo, omne accidens *essentialiter relativum* est ad substantiam, vel *proxime* vel saltem *remote*, seu : vel *actualiter* vel saltem *aptitudinaliter* atque exigitive. Tamen usu factum est, ut accidens, si non repugnet existere, et præsertim si reapse existat nulli subjecto actualiter inhærendo, appelletur *absolutum ;* quia est *actualiter* absolutum a sustentante : si vero omnino repugnet existere quin actu inhæreat, *relativum* dicatur ; quia est *actualiter* relativum ad subjectum sustentans.

(3) Substantia est *ens naturaliter aptum ad standum* in se : accidens autem est *ens naturaliter aptum atque exigens in alio subsistere*, ineptum vero ad subsistentiam sive in seipso habendam, sive alteri per inhæsionem sui in eo, procurandum. — Jam vero dimensiva quantitas in Sacramento

193.—4) *Recentiores* vero nonnulli species eucharisticas putant esse accidentia mere relativa, ut satis improprie loquuntur; seu accidentia non physica, sed tantum apparentia : ita ut, juxta ipsos, in Eucharistia, præter Corpus et Sanguinem Domini, nulla physica entitas adsit, quæ videatur, tangatur, moveatur, frangatur, manducetur; sed tantum produci putant in nobis virtute divina vel Corporis Christi, illas easdem sensationes visus, tactus, etc., quæ, si adesset ibi substantia panis et vini, naturaliter producerentur.

194. Satis patet oportere, ut illi qui circa naturam sensibilium accidentium corporis tenent tertiam, vel etiam secundam ex enumeratis sententiis, in neotericam hanc opinionem de natura specierum eucharisticarum pertrahantur. In neutra enim sententia, post sublatam substantiam panis et vini, aliquid physicum remanet, quod prius ad panem et vinum pertinuerit. Differunt tamen patroni tertiæ sententiæ a fautoribus secundæ in hoc, quod illi originem sensationum, quæ producuntur ante consecrationem, explicant, ex parte panis et vini, unice per utriusque substantiam; isti vero explicant etiam, et immediate, per modos seu modificationes substantiæ et vini inhærentes.

195. Hanc porro recentiorum de speciebus eucharisticis opinionem discutere, ad institutum nostrum non pertinet; præsertim, quod illa discussio ad quæstiones philosophicas nonnullas penitius investigandas nos abduceret. Unum adnotare sufficiat, videri nobis sententiam illam et philosophice et theologice prorsus rejiciendam : *philosophice*, quia, ut solet explicari, supponit doctrinas philosophicas, quas omnino falsas esse putamus : e. g. *objecta sensibilia concurrere quidem* per modum causæ *ad sensibilium cognitionum productionem, non tamen earumdem esse proprie terminum objectivum; — accidentia sensibilia corporis ab ejus substantia nulla reali distinctione secerni*, etc. — *Theologice;* quia sententia illa, ut cætera omittam, doctrinæ apud antiquos Theologos communissimæ, quæque valde probabiliter putatur

pergit *naturaliter* apta esse, atque exigere, ut subsistat in substantia panis et vini; *naturaliter* inepta esse ad subsistentiam, etc.; ergo pergit esse accidens.

fuisse doctrina SS. Patrum, adversatur. — Addo etiam, parum utilem eam sententiam videri, ad impiorum contra tantum mysterium objectiones diluendas.

196. Q. 10° *Quare sub hujusmodi speciebus Christus humanitatem suam abscondere voluit?* — R. Plurimæ percipi possunt rationes, cur Christi sapientia atque amor, non in propria specie, sed sub communis alimentis speciebus semetipsum nobis dederit. — 1) Ad exemplum humilitatis; — 2) ad efficiendum ritum sacramentalem, innumeris documentis mirabiliter refertum (1); — 3) ad instituendum simul idoneum N. L. Sacrificium; — 4) ad meritum fidei; — 5) ad cibi hujusmodi divini convenientem usum: *Quia non est consuetum hominibus*, ait S. Thomas, *sed horribile, carnem hominis comedere et sanguinem bibere, ideo proponuntur nobis Caro et Sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum, quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis et vini* (2).

197. Q. 11° *An una cum Corpore Domini sacramentales species adorantur?* — R. Docet Concil. Tridentinum *Christum* esse in sancto Eucharistiæ Sacramento adorandum (3); et alibi, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo *Sacramento* exhibendum (4). — Unde ex Theologis alii censuerunt, solum Christum in Sacramento adorari, non simul species: atque dici posse hac ratione Sacramentum vere adorari, cum Christus principalius illud constituat. — Alii e contra, dicunt una cum Christo etiam adorari species, utpote cum ipso, licet unione accidentali, conjunctas; sicut purpura regis una cum rege honoratur (5). Quæ sententia videtur verior, magisque propriam referre *Sacramenti* adorationem. Etenim Sacramentum adorare idem est ac id colere quod essentialiter Sacramentum constituit: videlicet non tantum Corpus Christi, sed mirabile illud ex Christi Corpore et speciebus compositum (6).

(1) Vide infra cap. 2, quær. 5°, n. 217.—(2) P. 3, q. 75, art. 5.—(3) Sess. 13, can. 6. — (4) Ibid. cap. 5.
(5) Cf. tom. I, tract. *De Incarn.* n. 348.—(6) Infra, cap. 2, quær. 1°, n. 213.

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA EUCHARISTIÆ SEU DE MATERIA ET FORMA.

198. Materia Sacramenti simul est materia Sacrificii Eucharistici; agitur enim de Eucharistia conficienda, quæ cum Sacrificio, ut infra patebit, identificatur.

199. Ex Scriptura et tota Traditione luculenter patet, nec, si obscuriores quosdam, ut Encratitas et Hydroparastas, qui aquam vino substituebant, excipias, ab ullo unquam hæretico negatum est, panem triticeum et vinum de vite esse veram, imo solam Eucharistiæ materiam, sicut diserte in decreto pro Armenis declaratur. — De pane azymo existit controversia cum Græcis schismaticis, qui, a tempore Michaelis Cerularii (1058), eumdem valere negant. Hinc protestans Bingham ansam arripuit Ecclesiam Romanam accusandi, quod usum panis azymi induxerit post Photium, quoniam Photius sæc. IX idem crimen contra Latinos non protulit. Quod ad quæstionem historicam attinet, probata est opinio Cardinalis Bona, qui docet: 1° Græcos usum panis fermentati constanter retinuisse; 2° apud Latinos primis sæculis promiscuum fuisse azymi et fermentati usum, neque ante sæculi X initium fuisse azymum lege generali receptum.— Nobis autem hic de validitate panis azymi agendum est; quam validitatem, cum reliqua Ecclesiæ doctrina circa Eucharistiæ naturam, breviter probabimus.

Propositio I, *de pane azymo.*
Propositio II, *de aqua vino admiscenda.*
Propositio III, *de forma.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Ad Sacramenti substantiam nihil refert, utrum in pane fermentato an in azymo consecratio fiat; convenientior tamen videtur azymi usus, quem Ecclesia latina sancivit.

200. *De fide* quoad primam partem, ut patet ex Decreto unionis Græcorum, in bulla Eugenii IV *Lætentur cœli* (1).

201. PROB. PRIMA PARS: *Æque valet panis fermentatus et azymus.* De fermentato nemo dubitat. — Azymus vero est materia legitima, 1° si Christus ipse azymo usus est, 2° si traditio apostolica eumdem usum comprobavit; atqui ita se res habet.

202. Nam 1° Christus celebravit sacram Cœnam in primis vesperis Paschatis, qui erat primus dies azymorum: *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris... Dies prima erit sancta atque solemnis.* Exod. XII, 15, seq. — Cf. Matth. XXVI, 17. — Dein, Christus Pascha celebravit cum per legem liceret; atqui tantum licebat in Paschate, quod a vigilia seu vespera incipiebat (2). — Quod si Græci negant, putantque Christum pascha celebrasse uno die ante Judæos, hæc eorum opinio nititur duntaxat in falsa interpretatione textus Joan. XVIII, 28, ubi non de agno, sed de reliquis oblationibus paschalibus sermo est.

203. 2° De usu antiquo testimonia sunt eorum, qui ante Photium, i. e. ante sæculum IX, scripserunt, ut Alcuinus et Rabbanus Maurus. Alcuinus, epist. 79, dicit: *Panis absque fermento debet esse mundissimus.* — Contra Cerularium, sæc. XI, invocant antiquum usum Leo IX (3) et Humbertus cardinalis (4).

204. SECUNDA PARS: *Azymus est convenientior.* Rationes sunt sequentes: 1° Christi exemplum; 2° azymus melius significat Corpus Christi, quod sine corruptione conceptum est; 3° melius quoque significat integritatem et mentis munditiem, quam fideles ad hoc Sacramentum afferre debent, juxta

(1) Apud Hardouin. *Acta Concil.* tom. 9, col. 986.
(2) Cf. Suar. t. 17, disp. 40, sect. 3. — Perrone, *De Euchar.*, n. 334.
(3) *Epist. ad Mich. Cerul.*, apud Labb. t. 9, col. 979.
(4) *Respons. ad Cerul.*, Biblioth. PP., t. 4, p. 2ª, p. 203 et seqq.

illud Apostoli : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi...* I Cor. V, 7 et 8.

PROPOSITIO II.

Ex præcepto, ab Ecclesia convenientissime statuto, necessarium est, ut vino Eucharistico paululum aquæ misceatur.

205. Propositio *certa* est quoad omnes partes, ut patet ex Decreto pro Armenis, et ex rationibus quæ sequuntur.

206. Partes autem habet quatuor : 1° necessarium esse aquam admiscere ; 2° non quidem necessitate Sacramenti ; 3° neque ex præcepto divino, sed ecclesiastico ; 4° et hoc quidem convenientissimo.

207. PROB. PRIMA PARS. *Necessarium et obligatorium esse*, patet ex praxi universali, in Patribus, Liturgiis et Conciliis memorata, *quam*, ut ait Renaudot (1), *omnes ecclesiasticæ Orientalium leges præscribunt.*—S. Cyprianus : *Quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.* Epist. 63.

208. SECUNDA PARS. *Non de necessitate Sacramenti.* Etenim 1° hoc omnes Theologi concedunt. 2° Non sufficiens fundamentum reperitur hanc necessitatem asserendi. 3° Eam non adesse supponunt rubricæ missalis, quæ statuunt, si ex oblivione non fuerit aqua apposita, non debere post consecrationem apponi. 4° Armenis aquam vino non admiscentibus Eugenius IV, non rei necessitatem, sed universæ Ecclesiæ observantiam, a qua discrepabant, proposuit.

209. TERTIA PARS. *De præcepto tantum ecclesiastico.* Est hæc sententia communis, quia præceptum divinum ostendi nequit; et ipsum Conc. Trid. simpliciter dicit, illud *præceptum esse ab Ecclesia.* Sess. 22, cap. 7.

210. QUARTA PARS. *Convenientissime.* Nam 1° aquæ admixtio non vitiat materiam ; deinde admixtionis hujus adhibendæ rationes positivæ non desunt, quas præclare enumerat Eugenius IV in *Instr. pro Armenis*, et Trid. Sess. 22, cap. 7.

(1) *Liturg. orient. Collect.* t. 1, in Comment. ad Liturg. Copt. S. Basilii, p. 194.

Hic est corpus meum ... est valida: vel fit corpus m...
corpus meum non est valida. vel hoc corpus meum est invalida
non est valida.

vel dicitur hoc est caro meum non est valida
Hoc est corpus Christi est etiam invalida

PROPOSITIO III.

Hæc verba, vel æquivalentia: HOC EST CORPUS MEUM, — HIC EST SANGUIS MEUS, *vel:* HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, *sunt forma consecrationis essentialis et necessaria.*

211. Propositio est *fide certa*, ut patet ex Decreto pro Armenis, et Trid. Sess. 13, cap. 3.

212. PROB. Etenim hæc verba Scripturæ tradunt et Patres, Liturgiæ et praxis perpetua Ecclesiæ. — Hæc verba de cætero actum sacramentalem plenissime exprimunt. — Reliqua autem: *Novi et æterni Testamenti*, etc. in nulla ex antiquis Orientalium Liturgiis exstant.

QUÆSTIONES.

1° *In quo consistit ratio Sacramenti Eucharistiæ ?* — 2° *Quænam est materia et forma Eucharistiæ, ut subsistentis in re permanenti ?* — 3° *Estne Eucharistia Sacramentum unum, an multiplex ?* — 4° *An panis et vinum sunt conveniens huic Sacramento materia ?* — 5° *Quæ significationes et symbola Sacramento eucharistico exhibentur ?* — 6° *An conveniens fuit institutionis tempus et modus ?* — 7° *Quid significant pronomina* HIC *et* HOC *in forma consecrationis ?* — 8° *An preces adjunctæ consecrationi ad formam pertinent ?*

213. QUÆR. 1° *In quo consistit ratio Sacramenti Eucharistiæ?* — R. Ratio Sacramenti Eucharistiæ non consistit in solo Christi Corpore, nec in solis speciebus; sed in complexu specierum visibilium, et Corporis Sanguinisque Domini invisibilium. Notamus autem cum Bellarmino, etsi tam species panis et vini, quam Corpus et Sanguis Domini, ad essentiam Sacramenti pertinent; rationem tamen Sacramenti magis convenire speciebus, ut continent Corpus Christi, quam Corpori Christi, ut sub speciebus contento. Atque hoc discrimine differt Sacramentum Eucharistiæ a Sacrificio, in cujus ratione contrarium invenitur (1).

214. Q. 2° *Quænam est materia et quæ forma Eucharistiæ, ut subsistentis in re permanenti?* — R. Eucharistiæ materiam esse panem ac vinum, formam autem verba consecrationis, diserte

(1) Bellarm. *De Euchar.* l. 4, c. 6.

2 et species quae remanet in tabernaculo ut spiritualis et complexum et forma spiritualis refectione.

Concil. Flor. asserit: intelligit autem evidenter materiam *extrinsecam* et *circa quam* Eucharistia *in fieri* versatur (1). — De materia vero et forma Eucharistiæ *in esse*, idem Concilium non agit ; quare inter auctores controvertitur. Probabile videtur, aggregatum ex speciebus et Corpore Christi habere se per modum materiæ, respectu cujus significatio sacramentalis, i. e. refectio animæ per augmentum gratiæ, habet se per modum formæ. Verba vero consecrationis, in quibus hæc significatio fundatur, licet fuerint forma Sacramenti in fieri, non tamen sunt ejus forma in facto èsse, cum jam desierint (2).

215. Q. 3° *Estne Eucharistia Sacramentum unum, an multiplex?* — R. *Specifice* unum est formaliter, licet sit materialiter duplex. Materialiter et physice diversæ sunt species et plura signa ; formaliter autem et moraliter, nòn est nisi materia una et signum unum, ratione gratiæ unius et significationis unius *perfectæ*. Plura enim illa ordinantur ad unum idemque convivium spirituale (3). *Numerice* autem Sacramentnm est multiplex, et quidem pro numero specierum, saltem si morali distantia separentur, multiplicabile.

216. Q. 4° *An panis et vinum sunt materia conveniens?* — R. Sunt materia maxime conveniens tum pro Sacramenti ratione, tum pro ejusdem effectibus significandis (4). — 1) Conveniunt rationi Sacramenti, quod spiritualis refectio est. Sicut enim aqua assumitur in Baptismo, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua ; ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, convenienter in Eucharistia ad usum spiritualis manducationis assumuntur. — 2) Conveniunt effectibus. Principales enim effectus Eucharistiæ sunt : nutritio spiritualis in sumentibns singulis, et unio spiritualis in corpore Ecclesiæ. Nutritio animarum significatur pane et vino, quæ corporalem vitam sustentant, augent, reparant et delectant : ut intelligamus similes effectus, ad vitam spiritualem quod attinet, Sacramento produci. — Unio autem Ecclesiæ quam efficit Eucharistia, fideles cum Christo et inter

(1) Cf. supra, *De sacram. in genere*, n. 61.
(2) Cf. Platel, *De Euchar.* n. 284 seqq. ; item *De sacram. in genere*, n. 7.
(3) Cf. S. Thom. 3 p. q 73, a. 2.— (4) Cf. ibid. q. 74, a. 1 in e.

se in unum corpus mysticum conjungendo, apte significatur pane, qui conficitur ex pluribus granis, et vino, quod ex pluribus uvis exprimitur. Quo spectat illud Apostoli: *Unus panus, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. I Cor. X, 17.

217. Q. 5° *Quæ significationes et symbola Sacramento Eucharistico exhibentur?*—R. Si Eucharistia consideretur adæquate, significationem exhibet locupletissimam. Adæquate sumptum hoc Sacramentum complectitur tria: 1° panem et vinum, quasi terminum *a quo;* 2° conversionem in substantiam Christi, manentibus speciebus, et ejusdem sub illis præsentiam; 3° communionem seu convivium, qui est ultimus terminus, ad quem Sacramentum institutum est.

218. Hæc autem omnia ad perfectionem sacramentalis signi concurrunt, et significant rem præteritam, rem futuram et rem præsentem.

219. *Res præterita* est Passio et mors cruenta Domini, cujus Corpus et Sanguis quasi separata exhibentur speciebus separatis, et distinctis consecrationis formulis.

220. *Res futura* est gloria cœlestis, cujus symbolum est convivium: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Luc. XXII, 29.—*Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ps. XVI. — *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Luc. XIV, 16.

221. *Res præsens* est Corpus et Sanguis Christi, est ipse Christus, auctor et fons gratiæ, ipsaque gratia substantialis. Res præsens est etiam gratia, quatenus nobis communicatur per hoc Sacramentum; gratia, quæ est cibus spiritualis animarum, spiritualem ac veram vitam conferens. Hæc autem vita per charitatem præcipue operatur et consummatur; ideoque charitas, ut præcipuus hujus Sacramenti effectus, perfectissime adumbratur, idque duplici respectu: 1° quatenus charitas per Eucharistiam diffunditur in cordibus fidelium, qui sunt mystica *membra* Christi; 2° quatenus eadem charitas diffunditur in Ecclesia, quæ mysticum *corpus* Christi est.

222. Charitas considerata in Ecclesia, est 1) vinculum unionis, et 2) principium actionis Ecclesiæ.—1) Est *vinculum*

unionis : unit enim inter se Ecclesiæ membra, eademque intime conjungit cum Christo. Quæ unio significatur panis et vini substantia, ex pluribus granis et uvis coalescente. Significatur et ipso convivio, in quo filii Dei, *sicut novellæ olivarum, congregantur in circuitu mensæ Domini.* Ps. 127.— Significatur et ipsa manducatione, qua intime cibus cum manducante conjungitur. 2) *Principium actionis* Ecclesiæ, et robur ejus, est iterum charitas, qua omnia suffert, omnia sustinet; cujus symbolum est *panis cor hominis confirmans.* Ps. 103.

223. Charitas, ut viget in cordibus fidelium, considerari potest, 1) in natura sua et proprietatibus; 2) in causa sua, seu mediis, quibus ex parte nostra acquiritur et augetur; 3) in suo termino ubi consummatur.

224.—1) In natura sua, charitas est *benefica :* quod significatur cibo, qui totus consumitur in bonum comedentis. Est simul etiam *conformativa* hominis cum Christo, hominem scilicet transformans et mutans in Christum; ita ut, manente licet mortali et externa natura, intrinsecus Christus supernaturalibus donis in homine vivat: quod significatur transsubstantiatione, qua panis terrestris, specie ejus externa manente, in Corpus Christi mutatur.

225.—2) In sua causa considerata, charitas acquiri cernitur per humilitatem et mortificationem. *Humilitas* significatur statu Christi in Sacramento, ubi inglorius prorsus est oculis hominum. —*Mortificatio* significatur pane et vino, quæ præparantur frumento et uvis; sed utrumque elementum conteri debet et quasi mortificari, ut conficiatur panis et vinum, quæ in Christi Corpus et Sanguinem mutari possint.

226.—3) In suo termino, charitas est *unitiva* hominis cum Deo, Deique æternum *fruitiva :* quæ omnia significantur Communione. In hac enim vere Deo pascuntur fideles, et divinus cibus manducatione non consumitur, sed manet in perpetuum.

227. Quæ dicta sunt de charitate in cordibus fidelium considerata, applicari possunt charitati ipsius Christi; quæ sicut plenissime in hoc Sacramento exercetur, ita etiam perfectissime significatur.

228. Q. 6° *An conveniens fuit institutionis tempus, locus et modus?* — R. Fuerunt hæc omnia convenientissima (1). Tempus elegit Dominus 1) pridie mortis suæ: quia Sacramentum futurum erat mortis ac Passionis suæ memoriale; 2) *in qua nocte tradebatur:* ut magis ostenderet ineffabilem charitatem, qua *in finem dilexit suos;* 3) in festo Paschatis, et post esum Agni : quia Eucharistia erat adimpletio figuræ veteris Paschatis; 4) cum esset discessurus in propria specie : tunc enim conveniebat ut sub sacramentali specie seipsum relinqueret; 5) cum esset abiturus ab Apostolis; quia amicis ab invicem discedentibus maxima solent exhiberi dilectionis signa, quæ etiam magis memoriæ commendantur.

229. *Locus* erat *cœnaculum* digne paratum dignissimo mysterio; erat *mensa*, quia Eucharistia est convivium spirituale, et Sacrificium in mensa altaris offerendum.

230. *Modus* fuit ut, post consecratum panem ac distributum discipulis, sumeret calicem vino plenum, dicens : *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*, I Cor. XI, 25; seu: Hic calix continet sanguinem meum effundendum, et nunc jam libatum in novi Testamenti obsignationem et consecrationem. Cum enim Dominus Testamentum seu fœdus novum conderet, conveniens erat, ut quemadmodum Moyses olim Testamentum vetus (2), ita Ipse novum libatione et Sacrificio novæ Legis obsignaret. — At hic præterea plures congruentiæ continentur, quæ ex Israelitarum usibus sunt intelligendæ.

231. Solebant enim Israelitæ post solemne convivium vino implere calicem et circumferre in orbem, ut biberent ex eo omnes, gratias agentes Deo et hospiti, salutem in spiritu fraternitatis invicem bene precantes. Ideo calix ille vocabatur calix *benedictionis*, calix *eucharistiæ* seu gratiarum actionis, calix satietatis seu *inebrians*, calix salutis seu *salutaris*. Cumque divitibus esset gemmis ornatus, hinc quoque symbolum opulentiæ et felicitatis erat. Quare Psalmista, ut sortem suam felicissimam esse significet, exclamat : *Et calix meus inebrians quam præclarus est!* Ps. XXII. — In conviviis,

(1) Cfr. S. Thom. p. 3, q. 73, a. 5.— (2) Exod. XXIV, 3.

quæ post pactum fœdus, vel in offerendis sacrificiis fiebant, solebat semper calix benedictionis et gratiarum actionis in orbem dari, unde tunc *calix fœderis* et amicitiæ vocabatur.

232. His itaque omnibus, Eucharistiam instituendo, alludere dignatus est Dominus; ut scilicet significaret nobis, Sacramentum hoc ad gratiarum actionem erga Deum, ad confirmationem fœderis cum Christo ac participationem Sacrificii ipsius; ad fraternitatem hominum inter sese, atque ad salutem animarum, esse institutum.

233. Q. 7° *Quid significant pronomina* HIC *et* HOC *in consecrationis forma?* — R. Juxta communiorem explicationem a Doctoribus traditam, *hic* et *hoc* significant confuse rem seu substantiam accidentibus panis et vini contentam; ita ut sensus formæ sit: *Substantia, sub his accidentibus in fine enuntiationis meæ contenta, est Corpus meum, et Sanguis meus.* Dictum est: *in fine enuntiationis meæ:* quia propositio practica, cum efficiat, non autem præsupponat objectum suum, id solum demonstrat, quod præsens est in fine enuntiationis (1).

234. Q. 8° *An preces adjunctæ consecrationi ad formam hujus Sacramenti pertinent?* —R. De precibus hic quæritur, quas in Liturgia græca sacerdos, post prolata verba Christi, pronuntiat invocans Spiritum sanctum, ut *panem istum faciat Corpus Christi; et quod est in calice, pretiosum Sanguinem.* — At hæc verba non pertinent ad consecrationem, quæ jam absoluta est. Precatur enim sacerdos, non ut fiat Corpus Christi absolute, sed ut fiat in salutem sumentibus, et non in judicium. Quod patet ex S. Basilii liturgia, quacum aliæ concordant: *Et panem hunc quidem faciat Corpus sanctum ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu, in remissionem peccatorum, et vitam æternam ei, qui illud percipit.* Et hunc revera esse sensum illarum precum testati sunt Græci in Flor. Sess. ult.

(1) Cfr superiora, *de præsentia reali, object.* 2, n. 86.

CAPUT TERTIUM.

DE EUCHARISTIÆ ADMINISTRATIONE.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

235. Minister duplex distinguitur, alius conficiendæ, alius dispensandæ Eucharistiæ. Minister Eucharistiæ *conficiendæ* idem est ac minister Sacrificii, de quo infra agetur. — Minister Eucharistiæ *dispensandæ* ordinarius jure divino est solus sacerdos : extraordinarius vero diaconus. Clerici inferiores, in cœtu publico, id est in Ecclesia, Eucharistiam dispensare non possunt. Privatim tamen ipsis id posse permitti pro casu necessitatis, docet praxis primævæ Ecclesiæ; sic enim S. Tharsicium martyrem, acolythum, cum Corporis Dominici Sacramenta ferret, interemptum fuisse a paganis, referunt martyrologia *Bedæ*, *Adonis*, *Usuardi*. Quin et laicos aliquando fuisse adhibitos, ut in necessitate Eucharistiam ministrarent, refert Eusebius (1), narrans presbyterum ad ægrotantem Serapionem, per famulum, Eucharistiam misisse. Sed et laicos olim sacras particulas quandoque ex Ecclesia domum detulisse, ut per hebdomadam eas sibimet ministrarent, testantur Patres (2). Verum usus ille a pluribus sæculis, cessantibus ejus causis, cessavit in Ecclesia; ideoque Tridentinum, Sess. 13, cap. 8, docet retinendum morem, quem ait ab Apostolis descendere, ut laici a sacerdotibus Communionem accipiant. A qua tamen disciplina dispensatum fuit, sæculo XVI, cum Maria, Scotorum regina, quæ in carcere detenta, mortique

(1) *Hist. Eccl.* l. 6, cap. 44. — (2) Cfr Cyrill. Hieros. *Catech.* 5, n. 21.

vicina, Eucharistiam, quam apud se habebat, sibi ministrasse dicitur.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO ET EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ.

236. Circa subjectum quæri potest, 1° quodnam sit subjectum recipiendæ Eucharistiæ capax; — 2° quænam sit ejusdem recipiendæ necessitas; — 3° quænam dispositiones in recipientibus requirantur. Ad dogmaticam aliquatenus pertinet quæstio tertia; item secunda, quæ, ratione subjecti et ratione modi receptionis, ita subdividitur: 1) an quicumque capaces sunt, etiam obligantur? Quæstio hæc movetur tum de adultis tum de parvulis. 2) An omnes tenentur communicare sub utraque specie, ut volunt, passim Protestantes et Hussitæ? Unde:

Propositio I, *de necessitate communionis.*
Propositio II, *de communione sub una specie.*
Propositio III, *de dispositionibus requisitis et effectibus.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Nemini actualis perceptio Eucharistiæ est necessaria necessitate medii, sed solis adultis necessitate præcepti.

237. *De fide*, ex Trid. Sess. 21, can. 4, et Sess. 13, can. 9.

238. PROB. Etenim sola necessitas præcepti ex Scriptura colligitur, et cum Traditione atque Ecclesiæ praxi congruit. Joan. VI, 54, Christus adultos alloquitur cum dicit: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*—Ecclesia semper credidit salvos pueros cum solo Baptismo decedentes. — Præceptum divinum a Christo editum Joan. VI, præceptis Ecclesiasticis fuit deinceps determinatum, præcipue in Conc. Lat. IV, cap. *Omnis utriusque sexus.*

PROPOSITIO II.

Rectissime ab Ecclesia præceptum est, laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub una tantum specie communicare.

239. ~~Ad fidem pertinet~~, ex Trid. Sess. 21, can. 1 et 2, atque cap. 2. Ecclesia in Concil. Constantiensi et Tridentino usum

calicis prohibuit; seu potius, lata lege confirmavit inolitam jamdiu consuetudinem communicandi sub altera tantum specie. Hanc porro legem rectissime latam asserimus.

240. PROB. Hæc lex rectissima est, si legitima potestate fuit lata et justis de causis; atqui utrumque verum est.

241. 1° Ecclesia habuit potestatem subtrahendi calicem non sacrificantibus, quoniam in Sacramentis dispensandis disponere potest ea, quæ non sunt de necessitate Sacramenti, neque de præcepto Christi. Jam vero usus calicis non est de necessitate Sacramenti, cum tota ratio Sacramenti utraque specie seorsim sumpta contineatur, licet signum sit partiale et inadæquatum. — Neque est de præcepto Christi : nam præceptum ut actu obliget debet esse clarum et certo constare; lex enim dubia actu non obligat; atqui præceptum de utraque specie Eucharistiæ sumendum clarum et certum non existit. Etenim 1) illud non tulit Christus in Cœna; 2) neque Joan. VI, ubi, si dixit : *Nisi manducaveritis*... ET BIBERITIS... *non habebitis vitam*; at simul etiam dixit: *Qui* MANDUCAT *me... qui* MANDUCAT *hunc panem, vivet*. Et Apostolus I Cor. XI, 27 : *Quicumque manducaverit panem hunc*, VEL *biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis* ET *Sanguinis Domini;* 3) nec colligitur ex usu Ecclesiæ, qui ostendit contrarium : nam parvulis olim, cum præ tenella ætate Panem suscipere non possent, solus Sanguis digito sacerdotis dabatur sugendus. Qui mos adhuc in Ecclesiis orientalibus retinetur (1). Similiter ægrotis olim dabatur unica Panis species, quæ pro ipsis in Ecclesiis asservabatur, ut constat ex citata historia senis Serapionis, ad quem ægrotans sacerdos, ex Episcopi Alexandrini præscripto, sacrum Edulium sub unica panis specie misit (2). Ergo communionis sub utraque specie sumendæ non tulit Christus præceptum, sed tantum jus permissivum Ecclesiæ dedit. Ergo neque præceptum divinum neque natura Sacramenti obstat, quominus Ecclesia usum calicis prohibere possit.

242. 2° Ecclesia hunc usum abolevit justis de causis; quod tum negative tum positive ostendi potest. — *Negative :* 1) quia præsumptio stat pro auctoritate, nec Ecclesia suæ legis

(1) Opp. cit. Arcudii, Allatii atque Goarii. — (2) Euseb. l. cit.

rationem reddere tenetur. 3) Quia huic legi sese orbis christianus subjecit, excepta factione seditiosa. — *Positive :* 1) quia difficilis erat Sanguinis administratio, ac periculum suberat illum effundendi ; 2) quia multi naturaliter a vino abhorrent ; 3) non levis ratio erat, ut retunderetur rebellium superbia, præsertim ex principio erroneo utramque speciem exigentium.

PROPOSITIO III.

Peccatorum remissio neque est præcipuus, neque unicus Eucharistiæ effectus ; nec sola fides est sufficiens præparatio ad S. Communionem.

243. *De fide*, ex Trid. Sess. 13, can. 5 et 11.

244. PROBATUR *simul utraque pars.* Dispositio requisita est, ut non simus conscii peccati mortalis ; ergo 1° dispositio non est tantum fides ; 2° effectus non est sola remissio peccatorum, quæ jam præsupponitur.

245. *Prob. antec.* — *Probet autem seipsum homo... Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* I Cor. XI, 28 seqq. ; ubi Apostolus non tantum fidem requirit, sed cor probatum, sed judicium ; quod refertur ad culpam ejusque pœnam voluntarie suscipiendam ; ne quis indigne suscipiendo judicium sibi manducet et bibat. — Conscientiæ puritas requisita, juxta Patrum ac Ecclesiæ mentem, figuratur tum lotione pedum, Joan. XIII ; tum veste nuptiali, Matth. XXII ; tum candido indumento, quo sponsa Agni cooperitur, Apocal. XIX, 7, 8.

246. 2° Primis Ecclesiæ sæculis, pœnitentes nondum reconciliati, una cum catechumenis, vel ab ipso Eucharistiæ conspectu arcebantur (1). S. Justinus : *Nemini alii licet esse participem, nisi...qui ita vivat ut Christus tradidit.* Apolog. I. —S. Chrysostomus : *Nullus ergo Judas adsit, nullus avarus. Si quis discipulus non est, recedat ; non recipit hæc mensa eos, qui tales non sunt Cum discipulis, inquit, meis facio pascha.* Homil. 37 in Matth. n. 5. Et iterum : *Quanta ergo puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio ? Quanto radiis solaribus*

(1) Cfr Edit. Maur. in not. ad orat. funeb. S. Ambrosii in morte S. Satyri.

puriorem oporteret esse manum illam, quæ hanc carnem secat; os, quod spirituali repletur igne; linguam, tremendo sanguine tinctam? Ibid.

247. 3° Ratio ipsa, sub qua institutum est Sacramentum, satis per se clamat, vivum esse oportere eum qui illo vescitur; non enim cibus mortuos alit aut vivificat.

QUÆSTIONES.

1° *Quid de frequenti usu communionis censendum?* — 2° *Quinam effectus Eucharistiæ recensentur?*

248. QUÆR 1° *Quid de frequenti usu communionis censendum?* — R. De S. communione dicit Trid. Sess. 22, cap. 6: *Optaret sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis, fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* — S. Thomas, 3 p. q. 80, a. 10, ita loquitur: *Respondeo dicendum, quod circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari: unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, et ideo utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat... Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc Sacramentum accedat... Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; sed quotiescumque se ad illud homo inveniret præparatum* (1).

249. Q. 2° *Quinam Eucharistiæ fructus recensentur?* — R. Effectus Eucharistiæ sunt uberrimi: nam si cætera Sacramenta totidem rivuli sunt gratiarum, in Ecclesia jugiter manantes, Eucharistia fons omnium gratiarum merito dicitur. Recensentur autem effectus sequentes: 1) gratia sanctificans, *per se* (2) secunda, seu gratiæ sanctificantis augmentum, cum incremento virtutum præcipue charitatis, qua anima singulariter cum Christo conjungitur.

(1) Cfr. Lacroix, *De Euchar.* n. 253; Theol. Mechlin. *De Euchar.* n. 54.
(2) *Per se;* per accidens enim causare potest etiam gratiam primam. Cfr quæ supra *De sacram. in genere*, n. 172.

250. 2) Gratia actualis, ut vita spiritualis virtutum profectu et meritorum augmento perficiatur.

251. 3) Delectatio spiritualis, aliique effectus analogi effectibus, quos producit cibus corporalis. — Singularem tamen differentiam, inter hunc cibum spiritualem et corporalem, assignat S. Augustinus, lib. 7 *Confess.* cap. 10, loquens in persona Christi : *Cibus sum grandium : cresce, et manducabis me : nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* — Quod si Panis hic de cœlo omne delectamentum in se habeat, sæpe tamen delectatio non sensibilis est ; impediri quoque potest per negligentiam, teporem, distractiones, vel nimium affectum ad terrena ; imo aliquando animabus sanctis denegatur a Deo probationis causa.

252. 4) Remissio peccatorum venialium, quam causat dupliciter Sacramentum : *a*) immediate et ex opere operato, sicut cibus corporalis reparat quotidianos et minores defectus corporis ; *b*) mediate, quatenus per hoc Sacramentum excitatur fervor charitatis, qui peccatis venialibus directe opponitur. Unde Trid. Sess. 12, cap. 2, Eucharistiam vocat antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis ; illis nempe, quorum non retinetur affectus et de quibus aliquis dolor seu contritio habetur. — Quod spectat ad pœnas peccato debitas, non eas remittit immediate et directe, quatenus est Sacramentum : cum non ad satisfaciendum sed ad spiritualiter nutriendum sit institutum ; potest tamen eas remittere indirecte, ut alia scilicet bona opera id possunt.

253. 5) Præservatio a peccatis futuris, non solum venialibus, quorum a Tridentino vocatur antidotum, sed etiam a mortalibus. Hinc frequenter et devote communicantes videmus labi rarius, imo sæpe ab omni mortali lapsu præservari.

254. 6) Adeptio gloriæ, una cum resurrectione et immortalitate corporis : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Joan. VI, 55 seqq.

255. Causat autem adeptionem gloriæ, non tantum quia est causa gratiæ, quæ semen est gloriæ ; sed speciali ratione præ aliis Sacramentis : quatenus Christus, qui gloriæ largi-

tor est, in hoc Sacramento continetur, tanquam cibus animam nutriens, atque in spirituali vita corroborans, ut possit perseverare, donec vita spiritualis fiat etiam gloriosa. Unde a Tridentino dicitur *Pignus futuræ gloriæ*. Sess. 13, cap 2.

256. Eucharistiæ tribuitur corporis nostri resurrectio gloriosa : non quasi corpora sanctorum, qui non communicarunt, non sint resurrectura cum gloria ; sed quia corpora fidelium justorum, ratione realis conjunctionis eorumdem cum Christo in Sacramento, resurgent speciali titulo ; quare et hac ratione specialem habebunt immortalitatem (1).

(1) Cfr. S. Thom. 3 p. q. 79.

Sacerdos non potest celebrare missa cum
panne fermentatū, si debet deprivare am
fideles a missa est unum casum tan
Consecratio facta vini una specie v.
panis sine vino potest etiam c
renare utid missa si minister h
intentionem faciendi quod facit e
minister recipit potestatem sac
care - St. Thomas dicit quod aqua mutat
in vinum et postea in sanguine Do
-mini Nostri,

March 22. on this we changed professor on account of the death of Mr. Renty; We have Mr. Tremolle.

PARS POSTERIOR,

DE EUCHARISTIA UT EST SACRIFICIUM.

---

257. Hactenus Eucharistiam spectavimus ut est Sacramentum, seu ut ordinatur ad hominis sanctificationem; jam eamdem quatenus est Sacrificium, seu quatenus ad cultum Dei refertur (1), considerare debemus. Quæ autem in hac disputatione inquirenda veniunt, ad tria capita revocari possunt.

Caput I, *de veritate Sacrificii Eucharistici.*
Caput II, *de ejusdem natura et qualitate.*
Caput III, *de ejusdem celebratione et efficacia.*

CAPUT PRIMUM.

DE SACRIFICII EUCHARISTICI VERITATE.

Quæstiones præviæ, *de notione Sacrificii generatim.*
Propositio *de Missa Eucharistica, vero N.L. Sacrificio.*
Objectiones.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1° *Quid est Sacrificium ?* — 2° *Quomodo Sacrificium definitur ?* — 3° *Quæ sunt conditiones ad Sacrificium constituendum et perficiendum requisitæ ?* — 4° *Quomodo Sacrificium secundum species dividitur ?*

258. QUÆR. 1° *Quid est Sacrificium?* — R. Sacrificium, græce θυσία vel ἱερουργία, secundum vocis etymologiam quasi *sacrum factum*, *sacra actio* est, et actionem sacram per excellentiam denotat.

259. Accipitur autem Sacrificii nomen non tantum proprie, sed etiam improprie et metaphorice. *Improprie*, 1° pro

(1) Cfr *Catech. Rom.* part. 2, *De Euchar.* Quæst. 78.

quavis actione quæ in Dei gloriam refertur, ut divinæ laudis celebratio: *Sacrificium laudis honorificabit me*, Ps. XLIX; ut etiam eleemosynæ largitio: *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hebr. ult. — 2° Pro quovis opere bono, quod aliquam difficultatem vel privationem includit: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, Ps. L; — *Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Rom. XII, 1. — *Proprie* sumitur pro illo actu religionis præstantissimo, qui ab omnibus aliis bonis operibus contradistinguitur; ut in hoc Osee VI, 6: *Misericordiam volo et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.* — Hujusmodi Sacrificii proprie dicti finem et rationem Card. Lugo explicat, dicens, illud « esse protestationem, qua homo « profitetur se habere totum suum *esse* a Deo; et ideo di- « gnum esse Deum, in cujus honorem et cultum idem *esse* « et eadem vita consumatur et destruatur. Quod quia regu- « lariter non licet, offertur pro vita propria, vita seu entitas « alterius rei, protestando, eodem modo nostram vitam « oblaturos, si liceret et oporteret... Unde sequitur, in omni « sacrificio debere intervenire destructionem aliquam rei « oblatæ. » De Euchar. Disp. 19, sect. 1.

260. Q. 2° *Quomodo Sacrificium definitur?* — R. Juxta Vasquezium (1) definiri potest: *Res oblata Deo, qua significamus ac profitemur Deum auctorem vitæ et mortis:* sive per realem rei destructionem, qualis in sacrificio absoluto requiritur; sive per mysticam, qualis in sacrificio repræsentativo sufficit. — Communior et explicatior definitio traditur hoc modo: *Sacrificium est oblatio rei sensibilis, a ministro legitimo facta Deo, per destructionem aut aliam rei immutationem, ad testandum supremum Dei in nos dominium nostrique subjectionem* (2). — Dicitur 1) *oblatio rei sensibilis*, quia pertinet ad cultum Dei externum. *Oblatio*, scilicet externa simul et interna, qua res Deo dicatur et consecratur, i. e. ex profana sacra efficitur. Oblatio, licet ratione ab immutatione distinguatur, reipsa cum ea quandoque confunditur; quum una actione res possit offerri et immutari. *Rei*, scilicet substan-

(1) In 3 part., disp. 222, c. 8. — (2) Cfr. S. Thom. 2. 2, q. 85, art. 3 ad 3. — Suar. *De Sacram.* tom. 18, disput. 73, sect. 7.

tiæ permanentis, sive animatæ, sive inanimatæ: quo differt proprie dictum sacrificium a precibus, cantibus, actibus internis, piis operibus in Dei laudem oblatis. Res porro debet esse aliquo modo, sive propria sive aliena specie, *sensibilis.* — 2) *Facta a legitimo ministro;* hoc est, homine ad id specialiter et legitime deputato. Non enim cujuslibet est offerre sacrificium. In Lege naturæ ad hoc deputabantur vel instinctu Dei, ut Abel, Abraham; vel ab hominibus, ut patres familias, primogeniti, qui tunc saltem non erant ad id ex ordinatione quadam divina inhabiles: in Lege scripta vero ex ordinatione Dei tantum filii Aaron Sacrificium offerre poterant; excepto agni paschalis Sacrificio, juxta Num. III, 10. — 3) *Facta Deo*, scilicet soli; sacrificium enim actus latriæ est, qui soli Deo exhiberi debet. — 4) *Per destructionem aut aliam rei immutationem.* Porro destructio aut immutatio realis (hanc enim intelligimus, non *mere repræsentativam*), potest esse hujusmodi vel *physice*, si fiat modo physico: ut quum ferro occiditur aut vulneratur agnus; vel *moraliter*, si fiat modo non physico, sed qui physico juxta prudentem æstimationem æquivaleat: quod contingit cum res in eo statu constituitur, ubi ad naturales suos usus vel minus vel nullatenus apta permaneat: ut cum effundebatur olim vinum in libamine. — 5) *Ad testandum supremum Dei in nos dominium, et nostram subjectionem;* ad hæc enim duo precise significanda assumitur: ita ut, si animo alio fiat, signum evadat falsum, et desinat esse Sacrificium, cum significatio illa Sacrificio essentialis sit. — Ex dictis patet, quare a ratione Sacrificii excludatur thurificatio, candelarum accensio, martyrium, etc.

261. Q. 3° *Quæ sunt conditiones ad Sacrificium constituendum et perficiendum requisitæ?* — R. Conditiones essentiales Sacrificii distinguuntur quinque: 1) *materia apta*, res scilicet sensibilis et permanens, quæ si fuerit vivens, vocatur *hostia* vel *victima*. Non est autem talis, i. e. victima formaliter, nisi quando in statu sacrifico existit, sicut ovis sacro cultro percussa; vel sicut Christus in cruce pendens, aut sub panis et vini speciebus quasi mortuus latens. 2) *Actio sacrifica*, qua res offertur, consecratur, perimitur, aut aliter immu-

tatur. Hæc est essentialiter protestativa supremi Dei dominii hominisque erga illum subjectionis; quod utrumque aliquo modo significari debet. Immutatio viventis victimæ *immolatio* vocatur. 3) *Finis proprius Sacrificii*, cultus solius Dei, 4) *Minister legitimus*, qui dicitur *sacerdos*: est homo a Deo constitutus aut approbatus, ut sacrificium aliquod *determinatum* offerat. Unde sequitur ultima conditio, scilicet 5) *institutio legitima* a Deo auctore facta, aut acceptata in hunc finem, ut sit sacrificium.

262. Hinc ad Sacrificium perficiendum dicuntur requiri quatuor: sacerdos, altare et vasa sacra, victima, immolatio.

263. Q. 4° *Quomodo sacrificium secundum species dividitur?* — R. Dividitur varie, 1) ratione *diversi status mundi*, in Sacrificium *Legis naturæ*, *Legis mosaicæ* et *Legis evangelicæ*. Primi generis sacrificia videntur quoad rem et formam ab hominibus fuisse determinata, licet nonnulla ab ipso Deo præscribi potuerint; sacrificia mosaica a Deo fuerunt immediate instituta, a Moyse autem promulgata; Legis novæ sacrificium unicum tantum est, a Christo institutum, ut mox demonstrabimus, cujus figuræ fuerunt varia sacrificia V. L. quæ dividuntur sequentibus modis.

264. —2) Ratione *materiæ*, in victimas, immolationes et libamina. *Victimæ* vel *hostiæ* erant sacrificia, quibus animalia, non quælibet, sed in lege præscripta, offerebantur, oves, boves, capræ, hædi, vituli, columbæ, passeres, turtures. *Immolationes* speciali nomine illa vocabantur sacrificia, quæ fiebant ex rebus inanimatis sed solidis, ex fructibus terræ, pane, simila, sale, thure. *Libamina* in rerum liquidarum oblatione consistebant, vini, aquæ. — Animalia mactatione, et aliquando concrematione offerebantur; liquida, effusione; solida inanimata, varia immutatione: nam panis dissecabatur in frusta, simila coquebatur clibano, vel sartagine, vel urebatur; thus incendebatur, spicarum manipulus torrebatur, triticum conterebatur.

265.—3) Ratione *formæ*, sive actionis qua res immutabatur, Sacrificium distinguitur in *holocaustum*, quo res oblata tota comburebatur, ita ut nihil inde cederet in usus humanos,

eratque Sacrificium perfectissimum ; in *hostiam pro peccato*, quæ partim concremabatur, partim cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ea vescebantur; et *hostiam pacificam*, quæ offerebatur, vel in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, vel ad nova impetranda. Hæc hostia dividebatur in tres partes, quarum una in honorem Dei cremabatur, altera cedebat in usum sacerdotum, et tertia in usum offerentium.

266. —4) Ratione *finis*, dividitur Sacrificium in *Latreuticum*, *Propitiatorium* sive expiatorium, *Eucharisticum* et *Impetratorium*. Latreuticum dicitur, quod ad cultum Dei dirigebatur, et ad profitendum ejus principatum et nostram subjectionem; quod potissimum fiebat *holocausto*.—Propitiatorium pro peccatis, et peccatorum pœnis ac flagellis avertendis offerebatur; et idem erat quod *hostia pro peccato*. — Eucharisticum fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, sicut impetratorium offerebatur pro beneficiis accipiendis. Utrumque in vetere Lege dicebatur *hostia pacifica*.

267.—5) Ratione *temporis*, distinguuntur *juge* Sacrificium, quod quotidie; Sacrificium agni paschalis, quod in Paschate; et Sacrificia quæ in aliis solemnitatibus offerebantur.

268. — 6) Ratione *modi*, demum Sacrificium dividitur in cruentum et incruentum (1).

269. In Lege nova, ut dictum est, Sacrificium est unicum: unicum, inquam, quoad substantiam, Sacrificium scilicet Christi, sive in Calvario sive in altari immolati. Quod si spectetur modus et ritus offerendi, aut etiam effectus, Sacrificium duplex est : *cruentum* et *incruentum* ; vel, *redemptionis* et *applicationis* seu etiam *religionis*. Hinc Trid. Sess. 22, cap. 2, de Sacrificio Missæ docet: *Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.*

(1) Cfr Becani, *Analog.* cap. 14.

PROPOSITIO.

Eucharistia est verum ac proprie dictum N. L. Sacrificium.

270. *De fide*, ex Trid. Sess. 22, can. 1,

271. PROBATUR I. *ex vetere Testamento*, II. *ex novo Testamento*, III. *ex Traditione*, IV. *præscriptione*, V. *rationibus theologicis*.

272. I. Ex V. T., ubi exstant Sacrificii Eucharistici figuræ et prophetiæ.

273. 1° *Figuræ*. Sacrificium Eucharisticum figuratum fuit sacrificiis Aaronicis, agno paschali, et præcipue sacrificio Melchisedech; atqui hæ figuræ fuere vera sacrificia; ergo a fortiori, Eucharistia figurata verum ac reale sacrificium est. — Probatur *major* de sacrificio Melchisedech. In Ps. CIX dicitur de Christo : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech:* hoc est, tu es sacerdos ad offerendum sacrificium perpetuum secundum ritum sacrificii Melchisedech, in pane scilicet et vino. Quæ interpretatio a SS. PP. tradi solet. Augustinus lib. 4. De doctrina christ. cap. 21: *Quis magis sacerdos Dei summi fuit, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem?*— Cfr. S. Cyprianum *Epist. ad Cæcil., lib.* 2, *epist.* 3.

274. 2° *Prophetiæ*. Isaias : *In die illa erit altare Domino in medio terræ Ægypti*. XIX, 19. — Et cap. LXVI, 21 et præcedenti: *Assumam ex iis* (omnibus gentibus) *sacerdotes et levitas, dicit Dominus*.

275. Malachias, cap. I, 7, seqq : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum; et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Unde argumentor : atqui nomine illius oblationis novæ vel sacrificii novi, quod hic prædicit Deus successurum repudiatis Judæorum sacrificiis, nullum aliud intelligi potest quam Eucharistiæ seu Missæ Sacrificium; ergo. — *Prob. min.* Nullum enim aliud assignari potest : 1) non aliud novum sacrificium Ju-

daicum; Judaica enim simpliciter omnia reprobanda dicuntur a Deo: *Non suscipiam munus de manu vestra.* 2) Non sacrificium aliquod gentilium; hoc enim oblatum idolis, quomodo respectu Dei *oblatio munda* dici potest? 3) Non cruentum Sacrificium Christi in cruce; hoc enim non nisi semel, et uno in loco, Hierosolymis; nec inter gentes sed Judæos, oblatum fuit. 4) Non demum Sacrificium spirituale precum, etc.; hoc enim sacrificium novum non est, quippe quod ab initio mundi exstitit; nec preces, eleemosynas, similiaque opera pia abrogavit Deus. — Neque refert quod dicatur in præsenti *offertur;* nam familiare est Prophetis, res futuras proponere in præsenti et præterito, ut Ps. XXI: *Diviserunt sibi vestimenta mea*, etc. Et vero hic tempus futurum intelligi debere, ipsa res clamat: quænam enim *oblatio munda,* Malachiæ tempore, in toto orbe inter gentes idololatras, vero Deo offerebatur?

276. II. Ex N. T. ubi Eucharistiam esse sacrificium demonstrat, tum ipsius institutio, tum praxis Apostolorum. 1° *Institutio*, in qua sacrificium oblatum fuisse non obscure apparet: condit enim Dominus novum Testamentum, quod erat adimpletio veteris Testamenti, de quo Exod. XXIV et Hebr. IX, sermo est. Sed antiquum illud fuit confirmatum sanguine victimæ, ergo etiam novum sanguine victimæ confirmari et consecrari, id est, per modum sacrificii fieri debuit. Moyses, Exod. XXIV, 8, sumptum sanguinem (sacrificii) *respersit in populum et ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum*. Christus similiter sumptum calicem dedit discipulis dicens: *Hic est sanguis meus novi Testamenti;* vel ut Lucas et Paulus habent: *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* seu *effunditur*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Luc. XXII, 20.

277. 2° *Praxis apostolorum : Non potestis* MENSÆ DOMINI *participes esse et mensæ dæmoniorum.* I Cor. X, 21.—*Habemus* ALTARE, θυσιαστηριον, *de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt* Hebr. XIII, 10.

278. III. Ex Traditione, quam exhibent tum Patrum singulorum testimonia, tum Conciliorum statuta, tum liturgiæ et praxis Ecclesiarum.

279. 1° Patrum testimonia ad quasdam classes reduci possunt. 1) Dicunt Melchisedech, cum offerret panem et vinum, fuisse figuram Christi sacrificantis in Cœna. 2) Interpretantur cap. I Malachiæ de Sacrificio Eucharistico. 3) Adhibent voces, quæ verum Sacrificium in Eucharistia situm exprimunt. 4) Requirunt pro Eucharistia altaria. 5) Ministros Eucharistiæ vocant nomine sacerdotum. 6) Eucharistiam pro vivis atque defunctis, ac pro quibusque necessitatibus, celebrari testantur; quæ omnia nisi sacrificio convenire non possunt. Speciminis causa quædam testimonia citemus (1).

280. S. Justinus, in Dialogo cum Tryphone Judæo: *De nostris gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ, et poculo similiter Eucharistiæ, jam tum locutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare* (2).

281. S. Irenæus: *Eum, qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum; et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta præstat... De quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit: Non est mihi voluntas in vobis,* etc. Adv. hær. I. 4. c. 32.

282. S. Augustinus, de matre sua loquens, ait: *Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dispensari Victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis.* Confess. lib. 9, c. 13.

283. 2° Concilia testantur. Nicænum, can. 18, vetat ne diaconi audeant Christi corpus presbyteris celebrantibus dispensare; *quia nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant.* — Similia testimonia exstant in Conc. Ephes. et Chalced.

(1) Cfr Bellarm. *De Missa,* lib. I. — Wirceb. Theol. *De Sacrif. Euch.* a. 1. — Petav. *De Incarn.* l. 12, c. 12, 13, 14.

(2) Opp. p. 260, B.

... quod esse verum sacrificium.

284. 3° Praxis perpetua Ecclesiæ testatur, et antiquæ Liturgiæ (1), tum Orientales, tum Occidentales, quæ ritum Sacrificii Eucharistici, secundum quem in variis Ecclesiis offerebatur, exhibent. — Fatetur ipse Mosheim (2), jam inde a sæculo II, Eucharistiam pro sacrificio habitam fuisse.

285. IV. Præscriptione. Cum ortæ sunt Protestantium novitates, Ecclesia universa Sacrificium Missæ possidebat; ergo hæc possessio pro legitima est habenda, nec ulli errori subjacere potest.

286. V. Rationibus theol. 1° Nulla unquam exstitit religio sine sacrificio sibi proprio, ut patet inductione facta ex religione Legis naturæ et scriptæ, imo gentilium. Nam, teste Plutarcho (3), *si terram obeas, invenire possis urbes, muris, litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes; urbem vero templis diisque destitutam, quæ precibus, jurejurando, oraculis non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit.* Cur ergo sola religio nostra sacrificio careat? — Nec dicant adversarii: hoc in religione christiana ideo concipi, quia Christus in cruce abunde satisfecit pro peccatis nostris; nam 1) etiam pro hominibus, olim sub Lege naturæ et scripta constitutis, satisfecit. 2) Satisfecit quidem quoad sufficientiam soluti pretii; sed quoad efficaciam, debet illa satisfactio per Sacrificium Missæ, sicut per Sacramenta, nobis applicari. 3) Sacrificium principaliter ordinatur ad cultum Dei, supremumque ejus testandum dominium.

287. 2° In Missa conditiones omnes proprie dicti sacrificii reperiuntur; ergo et veri sacrificii rationem habet. Etenim reperitur — 1) institutio legitima; — 2) finis proprius sacrificii, cultus Dei; — 3) sacerdos, qui est ipse Christus, principalis offerens presbyterorum ministerio; — 4) victima, idem ipse Christus, verissimo, licet incruento modo immolatus, tum mystice tum realiter. *Mystice* quidem, i. e. in signo, dum sejunctis panis et vini speciebus, atque vi verborum, corpus Christi a sanguine separatum repræsentatur; *realiter* vero, i. e. in re, dum revera Christi humanitas *quoad exter-*

(1) Cfr infra cap. 3, art. I, n. 334. — (2) *Hist. Eccl.* Sæc. 2, part. 2, c. 4, n. 4. — (3) *Contra Collot. Epicur.*

nam vitam mortua (1) sub speciebus existit : imo, respectu hominum, non tantum mortua est, sed velut in nihilum redacta, mutata nempe in cibum ad consumptionem ordinatum (2). — 5) Demum adest actio sacrifica, quæ consecratio est : hac enim fit immutatio, seu divinæ Victimæ immolatio, protestativa subjectionis hominis erga Deum.

288. OBJIC. 1° Melchisedech panem et vinum protulit, non ut illa in sacrificium offerret Deo, sed eo tantum fine, ut milites Abrahæ defessos reficeret. Ergo. — R. *Neg. antec.* Etenim Melchisedech exhibetur ut sacerdos Ps. CIX, et Hebr. VII; imo in ipso cap. XIV, Gen., postquam dictum est Melchisedech *obtulisse panem et vinum*, additur : *Erat enim sacerdos Dei altissimi.* Et merito Vulgata ponit particulam *enim* causalem : nam licet particula hebræa VE sit conjunctiva, sæpe tamen pro causali adhibetur, ut cum dicitur Isai. LXIV, 5 : *Tu iratus es, et peccavimus*, apertum est particulam *et* poni pro causali *quia* vel *enim.* — Porro post hæc verba : *et erat sacerdos Dei altissimi*, in Hebræo invenitur accentus, qui *sophpasuc* dicitur, et indicat ibi terminari periodum ; ergo ad ea pertinent quæ præcedunt, et perperam omnino a Calvino et aliis novatoribus ad benedictionem, quæ sequitur, referuntur.

289. *Obj.* 2° Oblatio illa munda, de qua Malachias vaticinatus est, nihil est aliud quam invisibile sacrificium aut precum, aut gratiarum actionis, aut bonorum operum ; ergo. —R. *Neg. antec.* De sacrificio externo agi ostendit contextus. Nec obstat vox hebræa MINCHAH qua propheta utitur. Hæc enim, licet in genere oblationem aut sacrificium quodcumque significet, in Scripturis tamen specialius adhibetur ad desi-

(1) Cf. supra, part. I, n. 164.

(2) « Licet ipsa consecratione Corpus Christi non destruatur substantia« liter, » ait præclare Card. de Lugo, « tamen destruitur *humano modo*, « quatenus accipit statum decliviorem et talem, quo reddatur inutile ad « usus humanos corporis humani, et aptum ad alios diversos usus per mo« dum cibi. Quare humano modo idem est ac si fieret verus panis et apta« retur ac condiretur in cibum. Quæ mutatio sufficiens est ad *verum* Sacri« ficium. Fieri enim comestibile illud quod non erat comestibile, et ita fieri « comestibile, ut jam non sit utile ad alios usus nisi per modum cibi, *ma« jor* mutatio est quam aliæ (quædam), quæ ex communi hominum mente « sufficiebant ad verum Sacrificium. » De Lugo *de Euchar.* disp. 19 sect. 5, num. 67.

gnandum certum genus sacrificii ex simila, id est, farina mundissima, sine fermento confectum: quod novo indicio est, de Eucharistico Sacrificio sermonem fieri.

290. *Obj.* 3° Nullibi legitur Christum in ultima Cœna hæc verba : *offero*, *sacrifico*, aut aliquid simile usurpasse, aut aliquem sacrificandi adhibuisse ritum; ergo. — R. *Neg. conseq.* Etenim nec in ipso crucis altari Dominus legitur adhibuisse verba : *offero, sacrifico.*

291. *Obj.* 4° Fuerunt etiam catholici Doctores qui negarint, Christum in ultima Cœna seipsum in sacrificium Deo Patri obtulisse; ergo. — R. *Neg. conseq.* Hæc quidem olim quorumdam sententia fuit, Christum in Cœna sacrificium non obtulisse, eo quod existimarent, ante peractum in cruce sacrificium, non potuisse ejus memoriam celebrari per sacræ Eucharistiæ oblationem. Hujusmodi autem opinio a Patrum sententia recedit; et, postquam res dilucidata magis fuit, ac in Tridentino declarata (1), penitus e scholis exulavit. De cætero, nos non tam de oblatione sacrificii agimus, quam de ejus institutione, quam nemo Catholicorum negavit unquam.

292. *Obj.* 5° Eucharistia est sacramentum ac testamentum Christi; ergo non potest esse simul sacrificium. — R. *Neg. conseq.* Etenim in Eucharistia ratio sacramenti, testamenti et sacrificii se invicem non excludunt. Eucharistia sacramentum est, quatenus est signum efficax gratiæ; testamentum est, quatenus promissa Dei obsignat et sanguinem testamenti continet, sacrificium est, quatenus Deo offertur in protestationem illius divinæ excellentiæ, qua dignus est in cujus cultum vita nostra destruatur.

293. *Obj.* 6° Paulus in Ep. ad Heb. X, 14, 26... negat esse plura sacrificia in nova Lege; ergo. — R. *Dist. antec.* Plura sacrificia cruenta et meritoria, *conc.*; negat esse præter sacrificium crucis aliud sacrificium incruentum, et applicativum meritorum ac fructuum sacrificii crucis, *neg. antec.*

294. *Obj.* 7° In omni sacrificio requiritur rei destructio ; et in sacrificio rei viventis, requiritur, occisio seu mactatio

(1) Sess. 22, cap. 1.

victimæ; atqui Christus in Eucharistia non mactatur; ergo. — R. *Dist. maj.* Requiritur destructio aliqua, *conc. maj.*; requiritur necessario destructio *physica, neg. maj.* Sufficit enim destructio *moralis* et *humano modo* peracta. In libaminibus, in sacrificio *capri emissarii* tantum fiebat destructio moralis, seu rei deperditio. Levit. XIV, 5 et 20. — Atqui Christus non mactatur modo cruento, *C.*; non mactatur incruento sed tamen vero modo, *neg. min.* Mactatur enim per consecrationem *realiter*, humano modo (1), dum in statu sacramentali constituitur. — Mactatur etiam *mystice*, dum diversa specie et distinctis consecrandi formulis spectaculum mortis Filii Dei olim in cruce toleratæ, iterum Patris oculis exhibetur, dum eadem ipsa Calvarii Victima apparet *quasi occisa*, ostentans sanguinem et vulnera sua.

(1) Cf. supra explic. ex De Lugo, n. 287, not. (2).

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA ET QUALITATE SACRIFICII EUCHARISTICI.

Articulus I, *de Sacrificii Eucharistici natura.*
Articulus II, *de ejusdem qualitate.*

ARTICULUS I.

DE NATURA SACRIFICII EUCHARISTICI.

QUÆSTIONES.

1° *Quomodo circa naturam Sacrificii N. L. differt doctrina protestantica a catholica; in ipsa autem catholica quid controvertitur?* — 2° *Quo nomine Sacrificium Eucharisticum vocatur?* – 3° *Quæ est proprie res oblata seu victima in Sacrificio Missæ?* — 4° *In quo sita est essentia Sacrificii Missæ?* — 5° *An ad rationem Sacrificii Missæ requiritur utriusque speciei consecratio?* — 6° *An Sacrificium Missæ nullatenus differt a Sacrificio Cœnæ et a Sacrificio crucis?* — 7° *Quomodo differt Sacrificium a Sacramento Eucharistico?*

295. QUÆR. 1° *Quomodo circa naturam Sacrificii N. L. differt doctrina protestantica a catholica; in ipsa autem catholica quid controvertitur?* — R. Protestantes passim nullum in Eucharistia agnoscunt sacrificium, propterea quod, negando realem Christi præsentiam, nullam ibi victimam agnoscant. Quidam tamen, ut Melanchthon et alii, Eucharistiam esse sacrificium admittunt, sed late sumptum, quatenus repræsentat sacrificium crucis tanquam in symbolo. — Catholici e contra unanimiter docent illud esse verum, reale, proprie dictum sacrificium, idem ac sacrificium crucis, sola offerendi ratione diversa.

296. At inter eosdem Catholicos definitum non est, utrum Missa sacrificium *absolutum* dici queat, an *commemorati-*

vum tantum sit sacrificii crucis (1) et ad illud *relativum*. Controvertitur item in qua parte Missæ ratio sacrificii consistat.

297. Q. 2° *Quo nomine sacrificium Eucharisticum vocatur?* — R. A Græcis vocatur : Μυσταγωγία, initiatio, peractio mysterii; σύναξις, conventus, communio; λατρεία, cultus; εὐλογία, benedictio; ἱερουργια, sacrificium; θυσια, sacrificium, victima; λειτουργία, cultus publici officium.

298. Apud Latinos vocatur *collecta* seu conventus; *Dominicum*, i..e. opus Domini; *agenda*, id est, actio per excellentiam, unde et hodiedum canon Missæ vocatur *actio*; — *oblatio*, *Missa*, i. e. demissio, a voce quam Diaconus adhibebat, dimittens initiatos post rem sacram peractam, dicens : *Ite, Missa est*. Antiquissimum est hoc *Missæ* vocabulum jam a S. Ambrosio usurpatum, *L.* 4, *Epist.* 33 ; et a S. Augustino, *Serm.* 237. *de tempore*.

299. Q. 3° *Quæ est proprie res oblata, seu victima, in Sacrificio Missæ?* — R. Est ipse Christus, quatenus per transsubstantiationem sub alienis speciebus præsens constitutus. Panis et vinum sunt tantum materia *ex qua* sacrificium conficitur. Ipsæ porro species necessariæ sunt, non ut pars sacrificii intrinsece constitutiva, sed ut conditio sine qua non, vel ut quiddam cum sacrificio connexum. — Christus autem existit in statu victimæ immolatæ, ut supra dictum est, modo mystico; imo etiam modo reali licet incruento, quatenus sub speciebus existit statu quodam mortuo, non tanquam homo ad humanas actiones dispositus, sed tanquam cibus et potus ad consumptionem ordinatus.

300. Q. 4° *Quænam est in Missa actio sacrificativa, seu in qua parte essentia Sacrificii Missæ sita est?* — R. Distinguunt Theologi in Missa partes integrales et partes essentiales sacrificii. *Integralis* pars est ea, sine qua adhuc esset Sacrifi-

(1) Nobis longe probabilior videtur sententia magis communis, quæ statuit adversus Vasquezium, Missæ Sacrificium non solum esse *relativum* et *commemorativum;* i. e. in eo situm, ut divina Calvarii Victima, *realiter præsens* in Missa, Sacrificium crucis ad vivum exprimat ac per se ipsa repræsentet, et Deo offerat ad finem sacrificii proprium ; sed etiam esse *absolutum;* id est, in eo situm, ut divina Victima in honorem Dei, et ad eumdem illum finem, in Missa *humano modo* realiter destruatur.

cium licet imperfectum; *essentialis*, sine qua nullum esset Sacrificium. His præmissis, ad quæsitum respondeo, de essentia Missæ duplicem præsertim dari sententiam. Altera est Bellarmini (1), qui essentiam in consecratione simul et communione reponit, oblationem vero censet ad integritatem pertinere. Altera est Suarezii (2), qui rationem Sacrificii reponit in sola consecratione, oblationem vero et communionem partes tantum integrales esse reputat. Quæ sententia passim habetur ut probabilior. Etenim —1) Essentiale non est offertorium, quia Sacrificium non consistit in verbis sed in immolatione; nec communio, quia certum est, Christum in Cœna sacrificasse (3), quamvis certum non sit, ipsum etiam proprium suum Corpus sumpsisse.—2) Sola illa actio est formaliter sacrifica, quæ sola invenitur fuisse usurpata a Christo, quæque sola nomine ipsius, ut offerentis principalis, perficitur. — 3) Sola consecratio habet conditiones omnes ad verum Sacrificium requisitas, ut consideranti patebit; præsertim si quæ diximus (4) de eucharisticæ Victimæ destructione, attente perpendantur. Non potest probari quod Christus recepit communionem.

301. Q. 5° *An ad completam Sacrificii N. L. rationem requiritur utriusque speciei consecratio?* — R. Communiter affirmant Theologi, cum S. Thoma (5) dicente : *Repræsentatio dominicæ Passionis agitur in ipsa consecratione hujus Sacramenti, in qua non debet Corpus sine Sanguine consecrari* (6) : eo quod unius tantum speciei consecratione, distincta illa repræsentatio, non præbeatur.

302. Q. 6° *Quomodo Sacrificium Missæ differt a sacrificiis Mosaicis, a Sacrificio Crucis, et a Sacrificio Cœnæ?* — Si comparetur Missa sacrificiis V. L., ab iis prorsus discrepat, non tantum specie, sed omnibus etiam adjunctis (7). — Si comparetur Sacrificio Crucis, non differt specie, sed tantum numero; nam prorsus idem est quoad substantiam, ut Trid. docet : *In divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem*

(1) *De Missa*, lib. I, cap. 27. Cf. Lugo *De Euchar.* disp. 19, sect. 5. — (2) *De sacram.* t. 18. Disput. 75, sect. 5. — (3) Trid. Sess. 22, cap. 1. — (4) Probat. V, argum. 2°, n. 287. — (5) 3 p. q. 80, art. 12 ad 3. — (6) Cf. Suarez, *De Euchar.* tom. 18, disput. 75, sect. 5.

(7) Suar. ibid. Disput. 76, sect. 1, 2.

ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit... Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa (1). Differentiæ itaque omnes accidentales sunt, respicientes offerendi rationem, i. e. modum et circumstantias. Sunt autem præcipuæ sequentes : 1) Christus in cruce seipsum obtulit immediate; in Missa se offert ministerio sacerdotum. 2) Illic oblatus fuit in propria specie, mortalis, passibilis, adeoque cruente; hic vero sub speciebus panis et vini, immortalis, impassibilis, incruente offertur. 3) Sacrificium Crucis non erat significativum, nec repræsentativum alterius sacrificii; Sacrificium vero Missæ est commemorativum Sacrificii Crucis. 4) Illud erat de condigno meritorium et satisfactorium; hoc vero non est tale, cum Christus sit extra statum viæ. 5) In cruce solutum est sufficientissimum salutis nostræ pretium : in Missa illud nobis applicatur. 6) Sacrificium Crucis tantum semel oblatum est; Sacrificium Missæ, usque ad consummationem sæculi, jugiter in Ecclesia est offerendum. 7) Differunt quoque variis circumstantiis, puta loci, cæremoniarum, etc.

303. Si comparetur Sacrificium Missæ Sacrificio ultimæ Cœnæ, non differunt neque quoad substantiam aut speciem, neque quoad modum offerendi, sed solum quoad accidentalia quædam, ut sequitur : 1) In ultima Cœna Christus se ut mortalem obtulit; in Missa vero se offert quidem in statu quodam mortis, sed non jam ut moriturum. 2) Tunc se obtulit immediate; nunc vero per manus sacerdotum. 3) Sacrificium in Cœna meritorium erat et satisfactorium; Sacrificium Missæ non ita. 4) Illud mortem Christi ut futuram, hoc vero ut præteritam repræsentat. 5) Illud non fuit imago alterius sacrificii incruenti; hoc autem est vera imago et repræsentatio seu repetitio Sacrificii Cœnæ. 6) Addi potest, ambo differre aliis circumstantiis, vel physicis, ut sunt tempus, locus, etc.; vel moralibus, ut sunt ritus, apparatus, etc.

304. Q. 7° *Quomodo differt Sacrificium a Sacramento Eucharistiæ?*—R. Præcipue in sequentibus : 1) Sacramentum consistit in re permanente, Sacrificium in actione victimæ sacri-

(1) Sess. 22, cap. 2.

ficativa, et transeunte. 2) Ad rationem Sacrificii *per se* requiritur consecratio utriusque speciei. 3) Sacrificium *per se* et primario ordinatur ad cultum Dei; Sacramentum ad nostram sanctificationem est institutum. 4) Alii sunt effectus Sacramenti, alii Sacrificii. 5) Sacramentum ex opere operato prodest soli suscipienti; Sacrificium vero non solum celebranti, sed etiam aliis.

ARTICULUS II.

DE QUALITATE SACRIFICII EUCHARISTICI.

305. Qualitatem Sacrificii hic intelligimus respectu finis, et comparate ad distinctionem sacrificiorum V. L. In vetere enim Lege sacrificia, ratione finis, distinguebantur in quatuor classes: sacrificia Latreutica, Eucharistica, Propitiatoria, et Impetratoria. — Quæri itaque potest, ad quamnam ex his classibus sacrificium N. L. referri debeat? Respondetur autem, referendum hoc esse ad omnes simul; quoniam omnium antiquorum sacrificiorum qualitates Sacrificium Missæ in se uno continet.

PROPOSITIO.

Sacrificium Missæ, non tantum latreuticum est et eucharisticum, sed etiam impetratorium atque propitiatorium pro vivis et pro defunctis.

306. *De fide,* ex Trid. Sess. 22, can. 3.

307. Dicitur *impetratorium* et *propitiatorium;* scilicet impetratio refertur ad dona ac beneficia consequenda, et spectat ad viventes; propitiatio ad condonationem peccatorum refertur remissionemque pœnarum, et spectat ad vivos atque defunctos. — Melanchthon, qui S. Cœnam autumat esse sacrificium improprie dictum, illud nonnisi eucharisticum seu gratiarum actionis, et nequaquam propitiatorium esse contendit (1). At contradicit veritati catholicæ, quæ Sacrificio Missæ veram inesse propitiationem docet et impetrationem, quamvis alio modo ac in Sacrificio Crucis fuit. Nam Sacrificium Crucis *meritorium* fuit redemptionis, seu remissionis peccatorum, et gratiarum omnium quæ nobis conferuntur,

(1) In *Apolog. Confess. August.* ad quæst. *Quid sit sacrificium.*

atque in eo meritum omne Christi Domini consummatum est; Missam vero Christus voluit esse *velut instrumentum*, ut loquitur Vasquez, *quo meritum Passionis suæ nobis applicaretur*, sicut applicatur per sacramenta aliaque salutis nostræ subsidia, juxta modum tamen uniuscujusque proprium (1).

308. PROB. I Argumento generali: Missæ Sacrificium successit, juxta Patres, in locum omnium sacrificiorum V. L.; ergo eorum differentias omnes in se uno continet. *Hujus veri Sacrificii*, ait S. Augustinus (2), *multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum; cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur*. Ergo diversæ illæ quatuor species sacrificiorum V. L. singulæ sunt in uno sacrificio nostro, de quo ibi loquitur S. Doctor. — Deinde, si hanc multiformem virtutem sacrificium N. L. non contineret, sacrificiis antiquis, quæ tamen non nisi umbræ fuerunt, vinceretur.

309. II Argumentis specialibus probatur esse propitiatorium pro vivis atque defunctis. 1° De ratione veri sacrificii est, ut Deum, cui offertur, placet, reddatque propitium, ac ab eo impetret sive veniam peccatorum, sive pœnarum remissionem, sive alia bona: *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis*. Hebr. V, 1.

310. 2° Idem constat ex Traditione et praxi Ecclesiæ, cujus monumenta certissima omnes antiquæ Liturgiæ suppeditant. — Cyrillus Hieros. non solum vocat Eucharistiam *hostiam propitiationis*, sed præterea scribit: *Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis* (defunctis), *tum pro nobis demereri et propitiare satagentes*. Catech. myst. 5, n. 10. — Tertullianus: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*. De Corona, cap. 3. —Augustinus pro matre sua defuncta Sacrificium se offerre testatur. Confess. IX. 13.

(1) In 3 part. Disput. 228, cap. 2 et 2. — (2 *De Civit.* lib. 10, cap. 20.

CAPUT TERTIUM.

DE CELEBRATIONE ET EFFICACIA MISSÆ.

ARTICULUS I.

DE CELEBRATIONE MISSÆ.

311. Circa celebrationem Sacrificii Missæ tria præcipue sunt examinanda: 1° Quis sit proprie sacrificii minister? 2° An celebratio possit fieri privatim? 3° An ritus et cæremoniæ usurpatæ conveniant? — Hæc tria erroribus et calumniis fuere impetita novatorum. Missas enim privatas Lutherus, et postea, licet indirecte, Jansenistæ Pistorienses condemnarunt. Ministrum sacrificii non esse solum sacerdotem, sed simul etiam adstantes fideles, docuerunt iidem Jansenistæ. Quæ doctrina a synodo Pistoriensi, propositione inter damnatas 28ª, supponitur: non quod Jansenistæ asserant, adstantes pollere consecrandi potestate; sed eos ideo offerentes esse contendunt, quod de Eucharistia per communionem liturgicam participent. Essentia enim sacrificii, juxta ipsos, non in consecratione consistit, quæ tantum est conditio sine qua non potest offerri sacrificium; sed in sola *consummatione* seu in participatione Victimæ. — Protestantes denique passim Missæ celebrandæ ritus variasque cæremonias vituperarunt aut deriserunt.

PROPOSITIO I.

In Missæ Sacrificio Christus est sacerdos et offerens principalis: presbyter vero celebrans est proprie dictus ac solus sacerdos secundarius, ministerialis, immediate offerens.

312. Prior propositionis pars *de fide* est, ut patet ex Trid. Sess. 22, cap. 2: *Offerens Christus Jesus, sacerdotum ministerio.* Idem colligitur ex Florentino Conc. in Decreto dicente: *Sacerdos in Christi persona loquens hoc conficit sacramentum.* —Altera pars, contra Jansenistas Pistorienses statuens, solum presbyterum celebrantem, nequaquam vero populum adstantem, *proprie* offerre: *certa* est ac *fidei proxima*, ex Trid. Sess. 22, cap. 2, et Pistor. propos. damn. 28.

313. Dicitur *offerens principalis*, qui scilicet suo nomine ac potestate sacerdotali propria, licet alienis manibus, sacrificium peragit, eique totam efficaciam impertit. — *Sacerdos secundarius proprie dictus*, i. e. verus sacerdos ad hoc ordinatus, et potestatem nactus, a Christo Pontifice participatam. — *Ministerialis* i. e. ut minister Christi, ejusque personam gerens. — *Immediate offerens*, quatenus scilicet ipse sua propria actione, ac personali ministerio, totam sacrificii actionem complet. — *Solus*, ad exclusionem adstantium, qui tantum *mediati, et improprie dicti offerentes* vocari possunt.

314. PROB. I PARS. 1° Ex epist. ad Hebr. VI, 20, et Ps. CIX: *Jesus secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.*

315. 2° Ratione. Presbyter visibiliter conficiens, vere quidem peragit sacrificium, at solummodo ut minister Christi, ejus personam gerens et repræsentans, quod ex forma consecrationis patet: ergo Christus est, qui, juxta moralem æstimationem, principaliter loquitur; ergo principaliter consecrat et sacrificat, seque ut homo submittit Deo, et seipsum offert in contestationem supremi dominii Dei, quæ proprius est sacrificii finis.

316. II PARS ad hoc reducitur, ut probemus, fideles Missæ adstantes non proprie ac immediate, ut Jansenistæ asseruerunt, sacrificium offerre. Jam vero 1° adversariorum assertio

admitti non potest, utpote solido fundamento destituta. Etenim tota innititur duobus principiis, 1) quod essentia Missæ in sola consummatione consistat; 2) quod participatio ex parte populi ad sacrificii essentiam spectet, imo etiam eamdem essentiam constituat. Porro primum omnino nutat, cum ea sententia sit valde incerta; alterum est falsum, ut ex propositione sequenti patebit.

317. 2° Falsa sunt ejusdem hypotheseos consectaria. Sequeretur enim, valorem Missæ ab adstantium communione pendere, quod est contra Trid. Sess. 22, can. 8.—Sequeretur quoque, Tridentinos Patres mentionem de re essentiali, i. e. de adstantium communione omisisse, Sess. 22, can. 2 et cap. 2.—Sequeretur demum, adstantes esse veros sacerdotes, cum ex doctrina Apostoli, Hebr. V, 1, offerre sacrificia et munera sit officium proprium sacerdotis, ad quod ex hominibus assumitur, ac pro hominibus constituitur. Tribuere autem fidelibus laicis sacerdotium proprie dictum, hæreticum est (1).

PROPOSITIO II.

Missæ privatæ non sunt illicitæ.

318. Propositio, quo sensu hic intelligitur, *de fide* est, ex Trid. Sess. 22, can. 8.

319. *Misa privata* hic intelligitur ea, in qua solus sacerdos sacramentaliter communicat. Quamvis, proprie loquendo, sacrificium privatum illud dici nequeat, quod offertur in gratiarum actionem pro beneficio publico, cujusmodi est mors Christi; quodque a publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus offertur (2): usus tamen invaluit, ut aliæ Missæ *privatæ*, aliæ *publicæ* et *solemnes* vocentur. *Privata* autem dicitur, vel quia in privato loco, vel quia die non festo, vel quia non ad aram templi principem celebratur, nec *parochialis* est, ut loquuntur, seu *conventualis*. Præcipue autem eam heterodoxi privatam Missam appellant, in qua solus sacerdos, et non populus simul per modum Cœnæ, communicat; et hic est sensus ad quem *Missa privata* in Prop. restringitur.

(1) Trid. Sess. 23, cap. 4, can. 4. — (2) Cfr Trid. Sess. 22, cap. 6.

320. PROB. Illicitæ non sunt Missæ illæ, 1° in quibus finis præcipuus sacrificii obtinetur, 2° quæ non dissentiunt ab usu in tota antiquitate recepto, 3° nec ulli Christi præcepto adversantur: atqui tales sunt Missæ privatæ: ergo.

321. 1° Finis primarius sacrificii est, Deo cultum ac gratiarum actiones exhibere, fidelibus autem vivis atque defunctis remissionem peccatorum et nova beneficia impetrare; atqui hæc omnia in Missa privata, independenter a populi communione, habentur; ergo.

322. 2° Consonat antiquus usus, constans ex monumentis ecclesiasticis (1) et Patrum testimoniis. S. Chrysostomus, illos increpans qui tantum in quadragesima participabant sacra mysteria: *Frustra est*, inquit, *quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari: nemo est qui participet.* Hom. 3 in Epist. ad Eph. n. 4. — S. Ambrosius populum admonet, ut singulis diebus intersit Missæ; et mox addit, ut in quadragesima, die saltem Dominico, offerat et communicet. — S. Augustinus hortatur fideles, ut *Dominicis* saltem diebus accedant ad cœleste convivium; cum tamen idem sæpissime testetur, sacrificium *quotidie* offerri (2).

323. 3° Nullum Christi præceptum obstare inde constat, quod adversarii hactenus nullum potuerint proferre.

QUÆSTIONES.

1° *Quo sensu etiam simplices fideles appellari possunt offerentes?* — 2° *An potest sacrificium pro certis personis offerri?* — 3° *Pro quibus offerri potest?* — 4° *Quid de ritibus et cæremoniis Missæ sentiendum?* — 5° *Quid est Liturgia?* — 6° *Undenam variæ Liturgiæ, in Ecclesia usurpatæ, originem ducunt?* — 7° *Quænam exstant Liturgiæ, tum orientales tum occidentales?* — 8° *Qua lingua Sacrificium Missæ celebrandum est?*

324. QUÆR. 1° *Quo sensu etiam simplices fideles appellari possunt offerentes?* — Sensu quodam morali, quatenus mediate per sacerdotem ad sacrificium concurrunt, et quidem triplici modo. 1) *Generatim* et quasi habitualiter; quia mem-

(1) Cfr. Pellicia, *De Ecclesiæ politia*, lib. 2, cap. 10.
(2) Cfr. Bellarm. *De Euchar.* l. 6, c. 9, n. 24 seqq.

bra sunt Ecclesiæ, cujus nomine sacerdos, ut minister publicus, sacrificium offert et preces fundit: quare tota Ecclesia, adeoque fideles omnes per ipsum offerre et precari censentur. 2) *Speciatim* et actualiter, quando Missæ assistentes interiori affectu ac intentione uniuntur cum sacerdote, ad sacrificium Deo offerendum. 3) *Specialius*, quando propinquius concurrunt, sive inserviendo sacerdoti, sive stipendium aliasque eleemosynas in eum finem offerendo, ut sacrificium a sacerdote offeratur.

325. Q. 2° *An potest Sacrificium pro certis personis offerri?* — Resp. affirmative: penes arbitrium sacerdotis est, sacrificium certis personis applicare, quo fit ut specialis fructus illis proveniat. Et hæc doctrina *fidei proxima* est, ut patet ex Pistor. prop. damnata 30. Sacerdos nimirum divinitus constitutus est sacrificii minister; ergo a Deo jus accepit determinandi, cujus nomine, et in cujus utilitatem sacrificium specialiter offerat: cum hujusmodi determinatio ad sacrificii ministrum pertineat. Quare hæc praxis semper in Synagoga et in Ecclesia obtinuit. S. Cyprianus prohibuit, ne, juxta antiquos canones, sacrificium offerretur pro anima Victoris, qui clericum constituerat bonorum suorum œconomum (1). S. Augustinus testatur, pro matre sua *sacrificium pretii nostri* oblatum esse (2). Omnes liturgiographi, Renaudotius, Assemanus, Mabillonius cæterique, Missas, pro singularibus personis antiquitus applicatas, scriptis indicarunt. Hinc optime S. Thomas ex Ecclesiæ universalis praxi, ita argumentatur: *Si ergo suffragium, pro multis factum, valet singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituere, ut pro aliquo fieret singulariter Missa vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis; quod patet esse falsum* (3).

326. Q. 3° *Pro quibus Missa offerri potest?* — R. 1) Potest offerri *directe* pro omnibus fidelibus non excommunicatis, vivis vel defunctis. Dicitur: *non excommunicatis;* quia ut probabilius docetur, excommunicatos, saltem non toleratos, i. e. ut tales per sententiam judicis declaratos nominatim,

(1) Epist. 66, *ad clerum et pleb. Furnitan.* — (2) *Confess.* l. 11, c. 12. — (3) Supplem. q. 71, art. 13.

Ecclesia suis ab orationibus excludit, prohibetque ne ad altare nominentur. Possunt tamen pro his et fideles, et sacerdos celebrans, orare privatim: imo offerre sacrificium indirecte, illud v. g. applicando iis, qui hujusmodi excommunicati conversioni allaborant.

327.—2) Potest sacrificium offerri *saltem indirecte* pro non baptizatis, hæreticis, schismaticis, aliique excommunicatis viventibus. Pro iisdem vero defunctis non licet; si catechumenos, et, in certis adjunctis, excommunicatos toleratos excipias (1).

328. — 3) Non potest offerri pro damnatis (2); nec *pro* Sanctis, sed tantum *in memoriam et honorem* Sanctorum (3).

329. Q. 4° *Quid de ritibus et cæremoniis Missæ dicendum?*— Respondeo imprimis Concilii Tridentini (4) verbis: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium, per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

330. Ritus et cæremonia sacra, ut alibi (5) dictum est, affinis sunt significationis vocabula, non tamen adæquate synonyma. Etenim *cæremonia* tantum enuntiat *externum signum in exercitio cultus de more adhibitum;* — *ritus* autem vario sensu usurpatur: 1) pro cæremonia sacra particulari, 2) pro cæremoniarum serie vel ordine, 3) pro genere cæremoniarum proprio alicui Ecclesiæ, unde ritus Armenus, Syriacus, etc., dicitur. — Porro ritus in Ecclesia usurpati, sancti sunt, piissimi, et antiquitate venerabiles (6). Etenim

(1) Cfr Theolog. Mechlin. *De Missæ Sacrificio*, n. 12.

(2) Quod Adrevaldus Floriac. abbas, anno 890, perperam inducere tentavit.— (3) Trid. Sess. 22, cap. 3.— (4) Sess. 22, cap. 5.— Cfr Card. Bona, *Tract. ascet. de Sacrificio Missæ.* — (5) *De Sacram. in gen.* n. 64.

(6) Cfr Trid. Sess. 22, cap. 4, 5, 8; can. 6, 7, 9. — Ut autem cæremoniæ, sive in Missa, sive in reliquo cultu usurpatæ, fidelium mentes delectent et

ritus omnes, sive consistant in apparatu, sive in actionibus, sive in verbis, ad majestatem sacrificii commendandam conferunt, vel ad mentes fidelium sursum elevandas: quia sicut olim ritus V. L. Dei institutione adumbrabant futura, ita nunc qui in N. L. adhibentur, significant præterita, præsentia vel futura fidei mysteria.

331. Q. 5° *Quid est Liturgia?* — R. Liturgia, juxta linguam sacram, est 1) *sensu stricto*, sacrum opus Sacrificii Missæ, juxta illud Act. XIII, 2: *Ministrantibus autem illis Domino*, Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ... 2) *Sensu lato*, est totum corpus cæremoniarum et rituum cultus catholici, opus cœlesti plane sapientia repletum. 3) *Sensu communiore*, est series orationum, actionum ac omnium cæremoniarum, quibus sacrificium Missæ perficitur; est scilicet quasi textura divinæ illius actionis, quæ peragitur in Ecclesia Christi, et cujus imago magnifica jam in Apocalypsi invenitur (1).

332. Q. 6° *Undenam variæ Liturgiæ originem ducunt?* — R. Plures obtinent in Ecclesia, tum orientali tum occidentali, Liturgiæ; variæ quidem quoad multa, conformes vero quoad substantiales partes, ita ut ex communi fonte originem habere dignoscantur.

333. Origo hæc non est alia quam Apostolorum institutio. Nam post ascensionem Domini, Apostoli, cum quatuordecim annis simul remanserint Hierosolymis (2), celebrasse simul Officium divinum seu Liturgiam (3) censendi sunt, et uniformem ritum adhibuisse, qui postea in Ecclesia Hierosolymitana probabilius idem perseveravit. Videntur autem, pro temporis opportunitate, formam modo brevem, modo prolixiorem, usurpasse. Deinde, per orbem sparsi, variis in Ecclesiis a se fundatis ritus suos reliquerunt. Hinc ubique uniformitas illa quoad substantiam. In omnibus enim Litur-

sustollant, opus est, ut non tantum accurata dignitate serventur; sed etiam, ut earum symbolici sensus frequenti explicatione aperiantur. Quæ explicatio si defuerit, cæremoniæ erunt velut ænigmata vel littera mortua; sin accesserit, erunt tanquam sermo vivus, tanquam speculum, seu sensibile totius fidei spectaculum. — Hujusmodi explicationem compendiose concinnatam videsis in opere D. Hazé, *Institutiones liturgicæ*, vol. I, part. 2, cap. 4: *De sensu cæremoniarum Missæ.* — (1) Apoc. cap. I, IV, V, VI, VII, VIII. Cfr Liebermann. *De Euchar.* in fine. — (2) Euseb. *Hist. Eccles.* lib. 5, cap. 18. — (3) Act. XIII, 2.

giis inveniuntur sequentes partes: 1) lectio Scripturæ veteris et novi Testamenti, 2) subsequens instructio, 3) oblatio seu offertorium, 4) præfatio seu exhortatio, 5) trisagion seu *Sanctus*, 6) oratio pro vivis et defunctis, 7) consecratio facta per verba Jesu Christi, 8) invocatio super oblata, 9) adoratio et fractio S. Hostiæ, 10) osculum pacis, 11) oratio dominicalis, 12) communio, 13) actio gratiarum, 14) benedictio sacerdotis. Hujusmodi est ordo fere uniformis omnium Liturgiarum; atque hic in toto orbe vigebat sæculo V, cum Liturgiæ scriptæ sunt; non enim antea, teste Lebrun, scripto fuere mandatæ vel saltem evulgatæ, una excepta illa, quæ inserta est in Constitutionibus apostolicis, et ad annum saltem 390 ascendit.

334. Q. 7. *Quæ Liturgiæ tum orientales, tum occidentales exstant?* — R. (1) Orientales sunt: 1) Liturgia *S. Jacobi*, quæ tum græce tum syriace exstat; vocatur etiam *S. Cyrilli Hierosolymitani*, quia magna ex parte in Catechesi 5ª hujus Patris citatur. 2) Liturgia *S. Basilii*, et alia *S. Chrysostomi*, quæ utraque præcedentis abbreviatio est. 3) *S. Marci* seu *Cyrilli Alexandrini*, quæ et coptica lingua exstat, et apud Æthiopes seu Abyssinos magna ex parte conservatur.—Liturgia S. Chrysostomi, lingua syriaca, a Nestorianis et Jacobitis syriacis legitur. Jacobitæ quoque, ut et Armeni, syriacam eam, quæ S. Basillii et S. Cyrilli Hierosolymitani dicitur, usurpant.—Græci Liturgia Græca S. Chrysostomi et S. Basilii utuntur.

335. Occidentales sunt: 1) Liturgia quam vocant *Apostolorum*, seu *B. Petri*, in Constitutionibus apostolicis inserta ante annum 390, descripta deinde in Sacramentario tum Gelasiano tum Gregoriano. Eadem quoque *Romana* vocatur ac *Gregoriana*, et a Romana hodierna parum differt. Hic ordo Missæ est, quem S. Petrus primum Romanos docuit, quemque S. Petri successores, imprimis S. Leo (450) et Gelasius (492) variis additionibus auxerunt. Ultimam operi manum, centesimo post Gelasium anno, sanctus Gregorius Magnus admovit. Hic, teste Joanne Diacono, in ordine Gelasiano multa subtraxit, pauca convertit, nonnulla adjecit. Ita tandem prodiit illa *Liturgia Gregoriana*, quam Romana Ecclesia,

(1) Cfr Pellicia, *De christianæ Ecclesiæ politia*, t. I, l. 2, sect. 2, cap. 7.

per duodecim jam et amplius sæcula, sartam tectamque servavit.

336. Præter hanc primariam, exstat 2) Liturgia *Ambrosiana*, similis Romanæ; 3) *Gallicana*, per SS. Pothinum et Irenæum ab Oriente allata, ideoque orientalibus Liturgiis non absimilis ; 4) *Mozarabica*, similis Gallicanæ, quæ in Hispania usque ad sæculum XI in usu fuit.

337. Q. 8° *Qua lingua Sacrificium Missæ celebrandum est?*— R. Concilium Trid., Sess. 22, can. 9, anathemati subjicit eos qui dicunt, tantum lingua vulgari Missam esse celebrandam (1). Et merito. Nam constans a pristinis temporibus Ecclesiæ disciplina fuit, ut institutæ semel a Majoribus precandi formulæ, iis linguis, quibus ab initio expressæ sunt, semper deinceps efferrentur, tametsi linguæ illæ vulgares esse desierint. Quare videmus hodiedum omnes orientales Ecclesias linguis antiquis, quæ non amplius a populo intelliguntur, sua sacra peragere. Accedit exemplum veteris et hodiernæ Synagogæ, quæ post captivitatem Babylonicam, ex quo Hebræa lingua in desuetudinem abire cœpit, non Syriacam tamen, aut quamvis aliam præter solam Hebraicam, in psalmis cantandis admisit. Denique, linguæ antiquæ venerabilem ac invariabilem usum, ad dignitatem Officii Divini, ad puritatem cultus ac doctrinæ servandam, ad unionem totius communitatis catholicæ summopere conferre, imo aliqua ratione necessarium esse, quis est qui non intelligat?

ARTICULUS II

DE SACRIFICII MISSÆ EFFICACIA.

338. Licet, ut supra videmus, ex fide plane constet, Sacrificium Missæ esse *vere efficax*, impetratorium scilicet et propitiatorium pro vivis atque defunctis, etc. ; non tamen æque fide claræ sunt plurimæ quæstiones, quæ sive ad mensuram hujus efficaciæ, sive ad modum, quo effectus producuntur aut distribuuntur, pertinent. Has quæstiones colligemus, et quo majore poterimus in lumine collocabimus.

(1) Cfr Sess. 22, cap. 8.

QUÆSTIONES

1° *Quomodo distinguuntur hæc tria : valor, efficacia, fructus Sacrificii Missæ ? — 2° Quantus est valor hujus sacrificii ? — 3° Quæ ejus efficacia ? — 4° Quomodo causat effectus suos ? — 5° An causat infallibiliter ? — 6° An causat per modum orationis ? — 7° Quomodo distinguuntur fructus sacrificii ? — 8° Quantus est fructus Sacrificii Missæ ?*

339. QUÆR. 1° *Quomodo distinguuntur hæc tria : valor, efficacia, fructus Sacrificii Missæ ?* — R. *Valor* Sacrificii Missæ est ipsa dignitas et virtus qua pollet, ratione rei oblatæ et principalis offerentis. — *Efficacia* est complexus effectuum ejus in se inspectorum, et modus quo illos operatur. — *Fructus* est effectus sacrificii, quatenus nobis applicatur.

340. Q. 2° *Quantus est valor ?* — R. Valor, seu dignitas hujus sacrificii, æqualis est dignitati et valori Sacrificii Crucis, id est infinitus : cum a Sacrificio Crucis non nisi offerendi ratione differat.

341. Q. 3° *Quæ est ejus efficacia?* — R. Quatuor complectitur effectus : Deo tribuit adorationem et gratiarum actionem ; nobis autem, peccatorum pœnarumque remissionem, et donorum impetrationem. Etenim Christus, Sacerdos simul et Victima, Patri suo æterno quatuor offert pro nobis : laudes scilicet, gratiarum actiones, satisfactiones et supplicationes ; unde dicitur sacrificium esse latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Efficacia tamen Missæ differt ab efficacia Sacrificii Crucis, quod hoc fuerit meritorium, Sacrificium vero Missæ, ut alibi dictum est, tantum sit applicativum.

342. Q. 4° *Quomodo causat effectus suos ?* — R. Causat simul ex opere operantis et ex opere operato. Etenim Missa spectari potest tripliciter : 1) ut est opus personale sacerdotis, 2) ut est opus publicum Ecclesiæ, 3) ut est opus ipsius Christi, positum sacerdotis ministerio. — Sub primo et secundo respectu, causat ex opere *operantis ;* sub tertio, ex opera *operato*, sequenti modo.

343. Effectus qui spectant ad Deum, i. e. latreuticum et eucharisticum, causat ex opere operato simpliciter, seu *immediate* et *infallibiliter*. — Effectus vero respectu nostri, alios causat ex opere operato *mediate*, alios *immediate*. Missa di-

citur bonum aliquod causare *mediate*, quatenus impetrat nobis aliud, cui bonum illud adnexum est, seu ex quo bonum illud consequitur. Dicitur vero bonum aliquod causare *immediate*, quatenus bonum illud nobis impetrat, non mediante alio. — Porro mediate efficit remissionem peccatorum, etiam venialium, gratiam pœnitentiæ, cui illa remissio adnexa est, impetrando. Item mediate efficit in justis augmentum sanctificantis gratiæ, illis gratias actuales et efficaces impetrando, ad opera bona hujus augmenti meritoria. — Immediate vero causat gratiam actualem, liberationem a malis ac flagellis publicis vel privatis; et generatim, quæcumque etiam temporalia dona nobis impetrat, ea causat seu impetrat immediate. Nam si nostra oratio, vel alia bona operatio, dona Dei per Christum immediate consequi valet, quanto magis opus ac supplicatio Christi Domini immediate suum effectum obtinebit? — Remissionem quoque pœnæ temporalis peccatis nostris debitæ, seu effectum satisfactorium, *immediate* operatur.

344. Q. 5° *An causat infallibiliter?* — R. 1) Effectus satisfactorius pro justis, tam vivis quam defunctis, infallibilis est; non tamen omnis pœna uno sacrificio semper solvitur. Nam vivis conceditur remissio pro mensura bonæ dispositionis; defunctis vero, secundum mensuram divinæ justitiæ atque sapientiæ. 2) Effectus impetratorius non infallibilis est : nimirum remissio peccatorum, gratiæ augmentum, aliaque spiritualia et temporalia bona non infallibiliter impetrantur; quia fieri potest, ut in subjecto, cui impetrari deberent, obex aliquis impetrationem impediat. Excipienda tamen est gratia actualis, cujus semper aliqua mensura impetratur. — Hinc patet, magis certam esse satisfactionem pro defunctis quam impetrationem pro vivis; nihilominus magis expedit sacrificia pro seipso vivo, quam pro seipso mortuo, celebranda curare : ratio, inter alias, hæc est, quot ante omnia curandum est homini, ut ad felicem exitum perveniat.

345. Q. 6° *An causat per modum orationis?* — R. Quatenus Missa impetratoria est, effectus suos per modum orationis, vi supplicationum et meritorum Christi, producit. Non tamen in omnibus oratio et Missæ Sacrificium conveniunt.

346. 1) Disconveniunt in eo, quod oratio non sit impetratoria nisi ex opere operantis; sacrificium vero impretatorium sit etiam ex opere operato.

347. 2) In conditionibus ad *infallibilem* impetrationem requisitis, partim conveniunt et partim disconveniunt. Conditiones ut oratio, vi promissionum Christi, infallibilem impetrationem habeat, quatuor sunt: nimirum ut quis *pro se*, *pie*, *perseveranter, et ad salutem necessaria postulet.* Ex quibus conditionibus *prima* non est hujus sacrificii propria, quod ex sua institutione tam pro aliis quam pro se propitiatorium et impetratorium est. — Nec *secunda* conditio est sacrificii propria ex parte *ministri* offerentis; sed in eo continetur eminentissime ex parte *Christi*, principalis Offerentis et Hostiæ sacrificii. Ex parte tamen eorum qui de illius fructu participant, requiritur, ut impetrationi obex indignitatis nullus obstet. — *Tertia* conditio etiam hic locum habet; unde solet pro eadem re impetranda sacrificium altaris sæpius offerri. — *Quarta* conditio, ut salutaria petantur, hic similiter existit, defectu cujus postulata sæpius non impetrantur. — Ex iis quæ in hac quæstione et in 4ª diximus, concludere licet, Missam a malo sacerdote celebratam, æque valere *ex opere operato,* ac illam quæ a bono offertur; item æque valere *vi orationum*, quatenus eas nomine Ecclesiæ sacerdos offerens fundit; at nequaquam, quatenus orat ut privata persona. Etenim certum est, sacerdotis sanctitatem, ex hoc capite, in fructum impetratorium orationis non parum influere; adeoque sacerdotem bonum et sanctum multo plus prodesseEcclesiæ, et fidelibus, pro quibus celebrat, quam improbum aut minus pium (1).

348. Q. 7° *Quomodo fructus sacrificii distinguuntur?* — R. Fructus est effectus sacrificii ut nobis applicatus: *propitiatorius* pro peccatis expiandis, *satisfactorius* pro pœnis remittendis, *impetratorius* pro bonis tum spiritualibus tum temporalibus acquirendis. — Jam vero, 1) ratione sui, potest reduci ad duplicem, et solet distingui in *satisfactorium* et *impetratorium.* 2) Respectu eorum quibus prodest, solet distingui in triplicem portionem : *a*) *generalem*, quæ obvenit toti Ecclesiæ, imo toti mundo, prout insinuatur his verbis : *Pro nostra et totius mundi salute in odorem suavitatis ascendat;* ii

(1) Cfr Sporer, *De Sacramentis*, part. 2, cap. 4, sect. 2.

tamen abundantius ex eo participant, qui sacrificio assistunt, aut aliquo modo ad illud celebrandum concurrunt; *b*) *specialem* (seu *ministerialem* aut *intentionalem*), quæ competit iis, pro quibus sacerdos specialiter intendit celebrare; *c*) *specialissimam*, quæ ipsi sacerdoti celebranti propria est.

349. Q. 8° *Quantus est fructus Sacrificii Missæ?* — R. Fructum sacrificii, tam satisfactorium quam impetratorium certum et infallibilem, seu ex opere operato, nequaquam esse infinitum, sed ad certam mensuram a Christo determinatum, communissima Doctorum sententia est (1), praxi Ecclesiæ, quæ ad eumdem finem sæpe Sacra multiplicat, plane consentanea. Ex hac sententia sequitur, sacrificium oblatum pro pluribus minus prodesse singulis, quam si pro uno tantum offerretur. Non tamen pro numero adstantium minor cuique illorum fructus provenit. Adstantes enim sunt, una cum sacerdote, aliqua ratione offerentes (2): ubi autem multiplicantur offerentes, ibi censentur quoque multiplicari oblationes earumque fructus. — Fructus vero ex opere operantis indefinite, cum ipsa devotione ac sanctitate offerentium, crescere potest. Quando sententia est communissima est valde probabilissima.

350. Quapropter omnibus, sive immediate, sive mediate offerentibus curandum est, ut maximam, tam externam quam internam, decentiam ac pietatem ad altare afferant, quam aliunde tanti mysterii sanctitas requirit, secundum illud Tridentini (3) monitum: *Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris Litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie, peragatur.*

(1) Cfr Sporer, *De Sacr.* part. 2, cap. 4, sect. 3. —(2) Cf. supra *De ministro*, quær. 1, n. 324. — (3) Sess. 22, *Decret. de observ. et evit. in celebr. Missæ.*

TRACTATUS XIV.

DE PŒNITENTIA.

INTRODUCTIO.

§ I. Argumentum. — § II. Notio pœnitentiæ. — § III. Quæstiones præviæ de pœnitentiæ virtute. — § IV. Notio pœnitentiæ, ut est sacramentum. — § V. Doctrina catholica de Pœnitentia et Indulgentiis.— § VI. Errores contrarii. — § VII. Instrumenta. — § VIII. Divisio Tractatus.

§ I. Argumentum.

1. In doctrina de sacramentis quartum locum obtinet Pœnitentia, non dignitate, sed usu Scholarum, quem Concilium Tridentinum (1) sua auctoritate confirmavit. Et quidem, si rem ipsam spectes, non inopportuna est illa collocatio. Nam tria priora sacramenta ordine invicem succedunt, ut hominem ad spiritualis vitæ consummationem deducant, in eaque cum Christo intime unitum conservent; hic autem accedit sacramentorum genus, quæ vitam illam restaurant. Scilicet post sacramenta, quæ spiritualem hominem faciunt et perficiunt, sequuntur ea, quæ eumdem reparant et reficiunt, Pœnitentia nempe et Extrema Unctio.

2. Hæc reparationis sacramenta, pro nostra fragilitate ac magna Dei misericordia, fuere concessa. Etenim, ut Tridentinum loquitur (2), *si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam, in Baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur; non fuisset opus, aliud ab ipso Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et dæmonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur.*

(1) Sess. 7, can. I, et Sess. 14.— (2) Sess. 14, cap. 1.

3. De hoc *sacramento Pœnitentiæ* agendum nobis est, seu de Pœnitentia quatenus sacramentum est. Pœnitentia enim dupliciter spectari potest : ut est *virtus* et ut est *sacramentum;* quæ duo permiscere non licet. Quamvis enim sacramentum Pœnitentiæ virtutem pœnitentiæ includat, ab hac tamen omnino distinguitur, ut notionum expositione patebit.

§ II. Notio pœnitentiæ.

4. *Pœnitentiæ* vocabulum, juxta etymologiam probabiliorem, idem sonat ac *pœnæ tenentia*, seu actio, qua quis delicti pœnam luit. *Pœnitere*, ait vetus auctor (1), qui Augustini nomine citari solet, *est pœnam tenere, ut quis semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando.*

5. Si spectetur vocis significatio, *pœnitentia* non est mera *resipiscentia*, ut Protestantibus placet, quæ in simplici vitæ emendatione consistat; — neque est merus *dolor :* dolor enim de quovis malo non est pœnitentia; sed est *dolor de culpa commissa*, includens *vindictam et resipiscentiam.* Quæ pœnitentiæ notio ex ipsis profanis scriptoribus constat. Ovidius enim ait :

Pœnitet; et facto torqueor ipse meo (2).

Tullius, etsi pœnitentiæ nomen non usurpet, vim tamen hujusce actus declarat, cum scribit : *Ut Alexandrum regem videmus, qui, cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit : tanta fuit vis pœnitendi* (3).

6. Apud scriptores sacros *pœnitentia* accipitur tripliciter : 1° pro virtute, 2° pro sacramento N. L., 3° pro parte sacramenti, nempe satisfactione injuncta.

§ III. Quæstiones præviæ de pœnitentiæ virtute.

1° *Quid est pœnitentia, spectata ut virtus ? —* 2° *Quodnam est pœnitentiæ subjectum ? —* 3° *Quodnam ejus objectum materiale ? —* 4° *An peccata jam remissa ad illud pertinent ? —* 5° *An imperfectiones? —*

(1) *De vera et falsa pœnitentia*, cap. 9.— (2) *De Ponto*, l. 1, eleg. 1, v.60.
(3) *Tuscul. quæst.* l. 4, sub finem.

6° Quodnam est objectum formale virtutis pœnitentiæ ? — 7° Quinam sunt pœnitentiæ actus?—8° Quonam actuum ordine gradatim impius ad perfectam pœnitentiam adduci solet ? —9° Quinam sunt pœnitentiæ effectus ? — 10° Quæ peccata per pœnitentiam deleri possunt ? — 11° Quænam pœnitentia requiritur ad veniam ? — 12° An pœnitentia ad remissionem peccatorum mortalium est necessaria, et qualis ? — 13° An requiritur ad remissionem venialium, et qualis ? — 14° Quodnam est, inter pœnitentiam de mortalibus, et pœnitentiam de venialibus, discrimen ?

7. QUÆR. 1° *Quid est pœnitentia spectata ut virtus?* — R. (1) — 1) Pœnitentia est virtus vera, quippe cui convenit virtutis definitio, a philosophis afferri solita : *Habitus, qui bonum facit habentem.* — Est autem virtus specialis et distincta a cæteris : cum habeat peculiare objectum formale, reparationem peccati ; et peculiarem in suo objecto attingendo, laudem ac difficultatem. — Specie sua est virtus *moralis*, reductive pertinens ad *justitiam* commutativam, tanquam ejus pars potentialis. Pertinet ad justitiam, quatenus respicit reparationem injuriæ seu læsionis, sive ordini naturali, sive ejus auctori, Deo, illatæ ; non tamen est ipsa justitia : quia justitia respicit perfectam æqualitatem rei ad rem ; inter injuriam vero illatam Deo et hominis compensationem, perfecta æqualitas esse non potest. Quare pœnitentia est tantum justitiæ pars, nempe *potentialis*, quæ justitiæ subservit, et partim cum illa convenit, partim ab ejus ratione deficit. — Pœnitentia quoque affinis est virtuti *religionis* ; imo probabile est, virtutem pœnitentiæ, quatenus ejus actus est injuriæ Deo illatæ compensatio, a virtute religionis non distingui ; sed esse ipsam virtutem religionis, consideratam prout ad hoc debitum Deo solvendum inclinat (2).

8. — 2) Pœnitentiæ virtus potest sumi *generaliter*, et ut est simpliciter virtus *moralis* ; vel *specialiter*, ut est virtus *christiana*. — Ut virtus moralis, pœnitentia est virtus præcise inclinans ad dolendum de peccatis, cum emendationis proposito. — Ut virtus christiana, definiri potest : *Virtus mora-*

(1) Cf. infra, tract. XIX, *De virtutibus*. cap. 1, art. 1, n. 51 ; cap. 3, art. 2, n. 332. — Theol. Mechl. *De Pœnit.* nn. 1-15.
(2) Cf. Lessius, *in Part.* 3, q. 85, art. 3.

lis infusa, inclinans hominem ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam. Ejusque actus merito a Trid. describitur : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* (1). Dicitur *infusa*, h. e. supernaturaliter a Deo data, in ipsa scilicet justificatione : quanquam etiam ante justificationem actus pœnitentiæ eliciuntur, gratia actuali tunc habitum supplente.

9. Q. 2° *Quodnam est pœnitentiæ subjectum?* — R. Subjectum *proximum*, i. e. animæ potentia in qua pœnitentia residet, est voluntas, seu appetitus rationalis. Quamvis enim peccatum, de quo pœnitendum est, repræsentet memoria, et malitiam ejus proponat intellectus ; voluntatis tamen est, actus pœnitentiæ elicere aut imperare. — Hinc sequitur, pœnitentiam, cum resideat in facultate *rationali* ac inorganica, per se ac necessario non requirere dolorem *sensibilem;* quamvis possit, imo soleat in partem sensitivam redundare, lacrymas movere, etc. — Dico commotionem partis sensitivæ *non requiri;* quia tota ratio virtutis in voluntate detestante ac dolente peccatum, illudque compensare statuente, completur. — Dico *posse*, imo *solere* dolorem voluntatis in sensibilitatem redundare : nimirum propter arctam conjunctionem et naturalem influxum, qui inter vires animæ superiores et inferiores intercedit.

10. Quod spectat ad subjectum *remotum* pœnitentiæ, i. e. ad personas quibus pœnitentia competit, hæc virtus, secundum illum actum qui est *pœnitere*, non inest nisi in *peccatoribus*, sive illi in terris, sive in purgatorio degant ; non tamen in damnatis. Ratio est, quia pœnitere proprie idem est ac *de suis peccatis* dolere propter Deum, et ea vindicare, in ordine ad *reconciliationem* vel consequendam vel conservandam. — Hinc sequitur, pœnitentiam hoc modo non fuisse in Adamo innocenti, nec in Christo, nec in B. Virgine, nec esse in angelis, aut Beatis, iis saltem qui nunquam peccaverunt. Nihilominus alio modo, videlicet secundum alios actus, virtus pœnitentiæ illis quoque competere potuit, et competit; quatenus nempe peccatum, a quocumque commissum sit, de-

(1) Trid. Sess. 14, cap. 4.

testantur, illud vindicari exoptant et debita satisfactione compensari.

11. R. 3° *Quodnam est objectum materiale pœnitentiæ?* — R. Est malum *culpæ* sive *peccatum*, tum mortale tum veniale, ut destruendum vel vitandum.

12. Peccatum aliud est *actuale*, ipse actus peccaminosus; aliud *habituale*, seu id quod, post actum peccaminosum in homine remanens, illum reum et peccatorem permanenter constituit.

13. Peccatum actuale est *voluntaria divinæ legis transgressio,* habetque rationem injuriæ Deo illatæ, cujus effectus in peccatore sunt tres præcipui: *macula*, *culpa* seu *reatus culpæ*, et *reatus pœnæ*. — *Macula* importat, ait S. Thomas, quemdam defectum *nitoris* in anima, propter recessum a lumine rationis vel divinæ legis (1).— *Reatus culpæ* est debitum sustinendi odium vel displicentiam Dei, quamdiu ipse injuriam, sibi per peccatum illatam, non condonaverit. —*Reatus pœnæ* est debitum subeundæ pœnæ pro peccato. — Porro triplicem hunc effectum, non solum mortale, sed etiam, licet minore gravitate, peccatum veniale inducit. Differentiam inter utrumque explicat S. Thomas (2), comparando maculam peccati mortalis, membrorum vitio, coloris defectui in substantia corporis : mortale enim peccatum gratiam, quæ est animæ decor, exstinguit. Maculam vero peccati venialis comparat pulveri aut luto, animæ supervenienti et decorem obscuranti : hoc enim peccatum, instar luti, animam inquinat dum rebus creatis plus satis intenta est.

14. Dicitur *pœnitentiæ* objectum esse peccatum, *ut destruendum vel vitandum;* etenim, si adæquate sumatur secundum totam suam rationem, pœnitentia tanquam objectum respicit, non solum peccatum quod commissum est, sed etiam illud quod vitandum est. Loquitur autem de peccato *proprio:* nam dolere de peccatis *aliorum*, non est proprie actus pœnitentiæ, sed charitatis, quæ peccatum ut Deo injuriosum et proximo malum considerat. — Si tamen latissime sumatur, pœnitentia sub objecto suo comprehendit, non tantum peccatum proprium sed etiam alienum; nec tantum personale,

(1) 1, 2, q. 86, art. 2 in corp.— (2) P. 3, q. 87, art. 2.

sed etiam originale: omnem scilicet injustitiam seu *iniquitatem* erga Deum; nec tantum malum culpæ ut abolendum, sed etiam malum pœnæ ut amplectendum, ad satisfactionem pro peccato solvendam.

15. Q. 4° *An peccata jam remissa objectum sunt pœnitentiæ?* — Resp. affirmative: 1) per actum dolorosæ destestationis et retractationis; sic, post vulneris vel morbi curationem, dolere possum, quod vulneri vel morbo contrahendo causam dederim. 2) Per actum abundantioris satisfactionis et vindicationis, secundum illud Ps. L: *Amplius lava me ab iniquitate mea... Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Sic quoque B. Petrus usque ad mortem *flevit amare* (1).

16. Q. 5° *An imperfectiones sunt objectum pœnitentiæ?* — R. Quæstio est de imperfectionibus, prout distinguuntur a culpa et peccato: quando quis v. g. omittit actum perfectiorem vel consilii, ad quem non obligatur. Hujusmodi simplices imperfectiones non sunt objectum materiale directum pœnitentiæ, quæ tantum circa culpas et offensas Dei directe versatur. Possunt tamen dici materia indirecta; cum enim imperfectiones, uberiora Dei auxilia impediendo, ad culpam aliquo modo disponant, potest homo, ex odio culpæ, et eam vitandi studio, imperfectiones suas detestari ac retractare, earumque veniam a Deo, Deique pristinam benevolentiam sibi efflagitare.

17. Q. 6° *Quodnam est objectum formale, seu motivum virtutis pœnitentiæ?* — R. Est *reparatio* offensæ Dei; seu, ut alii id enuntiant: est *æqualitas moralis* cum Deo; vel etiam: *debitum reparandæ injuriæ Deo illatæ, ejusdemque vitandæ in posterum.* Hoc enim quasi proprio charactere pœnitentiæ virtus distinguitur, quod *tendit ad destructionem peccati in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis* (2). Ideo Ecclesia his verbis precatur: *Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris.*

18. Q. 7° *Quinam sunt pœnitentiæ actus*? — R. Alii sunt *interni*, alii *externi;* et rursus, alii *eliciti*, alii *imperati.*

(1) Cf. Lugo, *De Pœnit.* disp. 3, sect. 1. — (2) S.Thom. p. 3, q. 85, art. 2.

19. Actus pœnitentiæ *internus* est actus a voluntate elicitus, supponens actum intellectus sibi proportionatum, et ordinarie habens sibi conjunctum actum appetitus sensitivi, tanquam consequentem. — Actus *intellectus* suppositus, est cognitio et judicium, quo homo agnoscit peccatum esse malum, et illud se male commisisse. — Actus voluntatis sunt varii : *contritio*, *displicentia*, *odium*, *detestatio*, *dolor*, *satisfactio*, quæ respiciunt præteritum; *propositum*, quod respicit futurum.—*Contritio* præcipuus pœnitentiæ actus vocatur, et alios omnes in se una complectitur. *Displicentia*, et reliqui actus qui respiciunt præteritum, sunt ita cum dolore conjuncti in homine viatore, ut per modum unius reputentur. *Dolor* tamen physice distinguitur a præcedentibus, sicut effectus a causa; similiter *satisfactio*, seu satisfaciendi voluntas, aliorum sequela est (1).

20. *Externi* actus sunt : confessio peccatorum, petitio veniæ, satisfactio pro pœna debita, ac proinde quævis opera satisfactoria, quibus illa satisfactio impleatur : ut sunt jejunia, eleëmosynæ, etc.

21. *Eliciti* actus pœnitentiæ vocantur illi, qui ab hac virtute immediate producuntur. Hujusmodi autem sunt plerique actus ex modo citatis, præsertim interni. — *Imperati* vocantur, qui immediate ab alia virtute gignuntur ex pœnitentiæ imperio. Hujusmodi sunt omnes actus pœnitentiæ externi : ex. gr. jejunia, vigiliæ, infirmorum cura, aliaque opera laboriosa, quæ ex pœnitentiæ spiritu ad expianda peccata suscipiuntur. Item sacrificium, oratio, eleëmosynæ, etc. quatenus ad similem scopum diriguntur, seu ex illo spiritu usurpantur.

22. Q. 8° *Quonam actuum ordine gradatim impius ad perfectam pœnitentiam adduci solet?*—R. Hæc est completa actuum series : 1) primum pœnitentiæ principium est excitatio divina, seu gratia præveniens efficax, gratis animæ immissa, quæ est operatio Dei convertentis cor, juxta illud Thren. ult. : *Converte nos*, *Domine*, *ad te*, *et convertemur* (2);—2) Deinde sequitur motus fidei;—3) motus timoris servilis, i. e. timor pœ-

(1) Cf. Lugo, disp. 4, sect. 1, n. 3. — Suar. tom. 19, *De Pœnit.*, disp. 3, sect. 4.— (2) Cf. supra tract. *De grat.* n. 94 seqq.

narum;—4) spes veniæ per Christum consequendæ;—5) motus charitatis, quo peccatum secundum seipsum displicet, et non jam propter pœnas ; — 6) motus timoris filialis, quo quis ex amore veretur separari a Deo tanquam a patre: quibus tandem motibus impellitur animus ad actum pœnitentiæ voluntarium eliciendum, ut peccatum emendet. Atque ita fit, ut actus pœnitentiæ a timore quidem servili oriatur, tanquam a principio primo inter ea, quæ ex parte affectus ad pœnitentiam conducunt ; a filiali autem, tanquam a principio proximo (1).

23. *Notandum* circa præfatos actus, qui sunt quasi pœnitentiæ inchoationes, 1) eos non ita esse necessarios, ut omnes et singuli, saltem formaliter et explicite, pœnitentiæ actui completo præmitti debeant. Etenim, excepto prævenientis gratiæ motu, qui semper est formaliter necessarius, reliqui motus vel actus possunt virtualiter comprehendi in actu completo pœnitentiæ, per gratiam Dei elicito: *Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem.* Eccli. XI, 23. Imo non semper timor servilis, ne virtualis quidem, necessarius est; quia fieri interdum potest, ut quis, sine metu ullo damnationis, ex consideratione et amore divinæ bonitatis convertatur : ut Paulo et Magdalenæ videtur contigisse.

24. *Not.* 2) Pœnitentiæ actum, seu dolorem de peccatis, vel ex solo timore pœnarum, vel ex solo timore filiali, vel ex utroque simul posse elici.

25. *Not.* 3) Varios pœnitentiæ actus ac motus excitari atque foveri posse variis considerationibus, quibus pœnitendi motiva coram oculis animæ proponuntur; quorum alia salutarem incutere timorem, alia fovere fiduciam, alia amorem Dei, alia demum directe peccati detestationem producere nata sunt.

26. Q. 9° *Quinam sunt pœnitentiæ effectus ?* — R. Generalis pœnitentiæ effectus, peccati nempe abolitio, tres effectus partiales complectitur, qui sunt: 1) remissio culpæ, 2) remissio pœnæ, 3) restitutio meritorum.

(1) Cf. S. Thom. p. 3, q. 85, art. 5 et 6.

27. Q. 10. *Quænam peccata per pœnitentiam deleri possunt?* — R. Omnia : non tantum venialia, sed etiam mortalia quantumvis enormia. Etenim ex una parte, Deus dat omnibus gratiam sufficientem ad pœnitendum; et ex altera, pœnitentibus veniam promittit : *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ezech. XVIII, 30. — *Si impius egerit pœnitentiam... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Ibid. 21. — Matth. XI, 28 : *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* — Quare merito S. Thomas ait : *Dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est* (1). Imo non desunt Theologi qui id asserant esse *de fide*, cum e Scriptura et Patrum doctrina clarissime pateat. — Non tamen potest per pœnitentiam unum peccatum mortale remitti, alio non condonato; cum nequeat vel de uno mortali vera pœnitentia concipi, quin de omnibus ob idem motivum concipiatur.

28. Q. 11° *Quænam pœnitentia requiritur ad veniam?* — R. 1) Generatim requiritur pœnitentia vera, et aliquomodo proportionata, tum gravitati, tum numero peccatorum. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu; et scindite corda vestra et non vestimenta vestra.* Joel. II, 12.— *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Matth. III, 8.

29. — 2) Speciatim alia requiritur pœnitentia de peccatis venialibus, alia de mortalibus; et rursus, alia in sacramento, alia extra sacramentum (2).

30. Q. 12° *An pœnitentia ad remissionem mortalium est necessaria, et qualis?* — R. 1° Sicut pœnitentia ad remissionem omnium peccatorum mortalium valet, ita etiam est necessaria. Necessitas autem ista considerari potest dupliciter : 1) *absolute*, cum quæritur, an Deus de potentia absoluta *possit* peccatum homini condonare, nullam homine pœnitentiam agente sive formalem sive virtualem, et per hoc solum quod *velit* illud peccatori remittere. Cui quæstioni videtur respondendum affirmative : quia in hac condona-

(1) P. 3, q. 86, art. 1. — (2) Infra, cap. 2, art. 2, nn. 150, 151.

tione nulla apparet implicantia. Quod si S. Thomas (1) id fieri non posse dicit, censeri non absurde potest de lege ordinaria locutus. 2) *Relative;* cum quæritur utrum de ordinaria Dei lege, quæ in præsenti providentia obtinet, possit peccatum actuale remitti absque pœnitentia; et respondetur negative : *pœnitentia adultis omnibus necessaria est de necessitate medii ad salutem.* Quod *fide certum* est, ut patet ex Trid. Sess. 14, cap. 1 : *Fuit pœnitentia universis hominibus qui se peccato aliquo mortali inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria.* Quæ doctrina probatur ex Scriptura, PP. et ratione. *a*) Eccl. II, 22 : *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* — Luc. XIII, 3 : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* — *b*) S. Ambrosius : *Peccatum non tollitur, nisi lacrymis et pœnitentia.* Epist. 28. — *c*) Idem omnium sæculorum persuasio confirmat. Quis enim unquam docuit peccatorem Deo reconciliari, absque odio et detestatione delicti? Hinc optime S. Augustinus ait : *Posse quidem aliquem dicere, se non peccare; at nullam esse barbariem, quæ dicere audeat non esse pœnitendum, si peccaverit.* De duab. anim. — Pœnitentiæ necessitatem hoc modo declarat S. Thomas : *Offensa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile : unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendandi* (2).

31. 2° Quod spectat ad qualitatem actus pœnitentiæ requisiti, respondendum : 1) seclusa actuali sacramenti susceptione, requiritur ille pœnitentiæ actus, qui vocatur *contritio perfecta* (3). — 2) Hujusmodi actus debet esse per se *formalis;* per accidens vero, sufficere potest *virtualis*, i. e. qui continetur in virtute charitatis perfectæ, vi cujus homo pœnitentiæ actum seu contritionem formalem eliceret, si tunc peccata memoriæ occurrerent.

32. Q. 13° *An pœnitentia requiritur ad remissionem venialium, et qualis?* — R. 1) Ad remissionem peccati vel levissimi, omnino pœnitentia requiritur. Scriptura enim generaliter

(1) P. 3, q. 86, art. 2. — (2) Q. 86, a. 2. — (3) Infra, cap. 2, art. 2, n. 129.

pœnitentiam, ad quodvis peccatum abolendum, postulat; et aliunde rationi consentaneum videtur, ut nulla voluntaria Dei offensa, sine voluntaria ejus retractatione, quæ actus pœnitentiæ est, remittatur; neque vere dignus est venia, quem culpæ suæ, utut levis, minime pœniteat. Hinc S. Augustinus ait : *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque seu magno seu parvo peccato ad correctionem, sine pœnitentia posse transire.* Epist. 93.

33. — 2) Ad qualitatem pœnitentiæ quod attinet, quæ ad remissionem venialium requiritur, *a*) præsupponendum est, veniale peccatori non remitti, nisi mortale simul remittatur. *Sine habitu gratiæ*, ait S. Thomas (1), *nullum peccatum mortale vel veniale remittitur.* Congruum enim est, Deum ne levem quidem injuriam inimicò suo condonare, quamdiu inimicus esse non desinit. Potest e contra mortale remitti, quin veniale remittatur (2).

34. *b*) Pœnitentia de venialibus ad remissionem requisita, non est contritio perfecta; sed, juxta Suarez (3) et plures, attritio, vel aliqua displicentia sufficit; modo tamen hæc, si de remissione extra sacramentum obtinenda sermo sit, in solo metu purgatorii, aut sola turpitudine cujusque venialis propria, non fundetur; sed in motivis nobilioribus : v. gr. quod venialia obedientiam et reverentiam Deo etiam in minimis debitam lædant, quod possessionem Dei retardent, ejus cultum imminuant, etc. Sic Platel ex mente aliorum Doctorum sententiam Suarezii limitandam esse existimat.

35. *c*) Nec requiritur ut illa attritio sit formalis; sufficit virtualis, quæ sive in actu charitatis, sive in alio pio motu, repugnantiam cum venialibus habente, includitur. Necessaria est, inquit S. Thomas (4), *quædam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se hoc commisisse, etiamsi*

(1) P. 3, 87, art. 4. — (2) Cf. Lugo, *De Pœnit.* disp. 9, sect. 2.
(3) Suar. t. 19, *De Pœnit.* disp. 11, sect. 3. — Lugo, ibid. disp. 9, sect. 2. — S. Thom. p 3, q. 87, art. 1. — Cf. Platel, *De Pœnit* n. 573 seq.
(4) P. 3, q. 87, art. 1 in corp.

actu de illo non cogitaret. Hæc intelligenda sunt generaliter, i. e. de remissione venialium, quæ sive absque susceptione sive *in* susceptione alicujus sacramenti, v. g. Eucharistiæ, obtineatur. Ut autem *per* sacramentum Pœnitentiæ, seu sacramentalem absolutionem, ex opere operato remittantur, attritionis actus formalis requiritur, ut explicabitur infra.

36. Q. 14° *Quodnam est inter pœnitentiam de peccatis mortalibus, et pœnitentiam de venialibus discrimen?* — R. Discrimen est multiplex : 1) Quoniam pœnitentia debet esse proportionata delicto, major esse debet de mortali quam de veniali. 2) De mortali pœnitentia *per se* debet esse formalis, de veniali *per se* sufficit virtualis. 3) Vera pœnitentia de mortali ad omnia mortalia extenditur ; de venialibus non item : potest enim quispiam de uno veniali vere, licet non perfecte, pœnitere, quin pœniteat de altero : saltem si hoc ad diversam speciem aut conditionem pertineat. 4) Unum mortale nequit remitti manentibus aliis ; veniale vero unum remitti potest, quin cætera, quæ diversæ speciei aut conditionis sunt, pariter condonentur. 5) In nova Lege, vera pœnitentia de mortalibus *aliquo modo* conjuncta esse debet cum sacramento ; pœnitentia vero de venialibus per se nullo modo a sacramento dependet.

37. *Nota.* Nunc de reliquis virtutis pœnitentiæ effectibus, remissione pœnarum, restitutione meritorum et sublatione reliquiarum peccati agendum nobis esset : nisi hæc cum sacramento Pœnitentiæ tam arcte conjungerentur, ut opportunius una cum sacramento tractanda videantur.

§ IV. Notio pœnitentiæ ut est sacramentum.

38. Pœnitentia spectata ut sacramentum, definitur : *Sacramentum N. L., quo baptizatis relapsis, contritis et confessis, a sacerdote jurisdictionem habente, absolutio peccatorum impertitur;* sive, ut alii ponunt, *quo gratia, de se remissiva peccatorum, confertur.*

39. Hoc sacramentum vocatur a Patribus : *Pœnitentia* μετάνοια, — *confessio*, ἐξομολογήσις, — *absolutio*, ut a Tertulliano cum dicit : *An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?* De Pœnit. c. 10 ; — *reconciliatio*, — *secundum Baptisma*, —

laboriosum Baptisma, — *secunda post naufragium tabula*. Ita Hieronymus, Ambrosius, Tertullianus (1). — Apud recentiores, vocatur quoque *sacrum Tribunal*, *Tribunal misericordiæ Sacramentum reconciliationis*, etc.

40. Sacramentum Pœnitentiæ in V. T. variis purificationibus et expiationibus Legis figurabatur.

41. Pœnitentia, dum tollit peccata, non semper tollit omnem pœnam peccatis debitam. Quæ pœna residua, per Indulgentias præsertim, redimi potest. Quare tractatui de Pœnitentia solet, tanquam appendix, quæstio de Indulgentiis subjungi.

§ V. Summa doctrinæ catholicæ de Pœnitentia et Indulgentiis.

42. I. Christus Dominus Ecclesiæ suæ dedit potestatem Clavium, qua sacerdotes omnia peccata remittere possint, actu judiciali, in Pœnitentia, vero N. L. sacramento ; quod quidem necessarium salutis medium est iis, qui post Baptismum mortaliter peccant.

43. Ad Pœnitentiæ sacramentum conficiendum concurrunt, cum absolutione legitima sacerdotis, tres pœnitentis actus : contritio, confessio, satisfactio.

44. *Contritio* est animi dolor et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Igitur non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum atque inchoationem, sed veteris etiam odium continet.

45. Porro etsi contritionem hanc aliquando charitate *perfectam* esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsa nihilominus reconciliatio tali contritioni, sine sacramenti voto, quod in contritione ipsa includitur, non est adscribenda.

46. Illa vera contritio *imperfecta*, quæ *attritio* dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, est donum moventis Spiritus sancti, et ad Dei gratiam sanctificantem in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Quæ disposi-

(1) Cfr Bellarm. *De Pœnit.* lib. I, c. 13.

tio, ad dolorem quod attinet, juxta communem DD. sententiam, sufficiens et proxima est; adeo ut ad sacramentum hoc valide ac fructuose recipiendum, nullus dolor attritione illa major seu nobilior, per se requiratur.

47. In sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum, necessarium jure Divino est, *confiteri* omnia et singula peccata mortalia, etiam occulta, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, nec non circumstantias quæ peccati speciem mutant. — Confessio autem peccatorum venialium utilis, et piorum usui consentanea.

48. Absolutio sacramentalis non est nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti; sed est actus judicialis. — Soli sacerdotes jurisdictionem habentes ministri sunt absolutionis : at Episcopi, per casuum reservationem, possunt impedire, quominus sacerdos vere absolvat.

49. *Satisfactio*, quæ *pœnitentia sacramentalis* vulgo appellatur, salubris et conveniens a ministris Pœnitentiæ potest et debet pœnitentibus imponi.

50. II. *De indulgentiis.* In sacramento Pœnitentiæ non tota simul pœna cum culpa semper a Deo remittitur; sed plerumque, pœna æterna per virtutem Clavium sublata, remanet pœna temporalis exsolvenda. Hæc autem solutio fieri potest ex thesauro Indulgentiarum, qui est in Ecclesia, constans ex meritis Christi et Sanctorum. Habet enim Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias; earumque usus populo christiano est maxime salutaris; ut quæ liberant hominem a reatu pœnæ, non tantum coram hominibus sed etiam coram Deo; et defunctis per modum suffragii applicari possunt.

§ VI. Errores contrarii.

51. I. *Circa Pœnitentiam.* Protestantes omnium primi, si quosdam obscuriores ex veteribus sectarios excipias, hoc sacramentum negarunt. Confessio quidem Augustana admittit Absolutionem privatam, quam et sacramentum nominat : sed confessio singulorum peccatorum nihilominus a pleris-

que Protestantibus habetur ut institutio ecclesiastica, et inutilis; quia, aiunt, impossibilis est. — Calvinus quidem confessionem utilem esse fatetur, sed negat esse necessariam. — Dicunt passim, Pœnitentiam esse recordationem Baptismi, neque ab eo distingui.

52. Veteres *Montanistæ* et *Novatiani* potestatem Clavium coarctabant. Montanistæ docebant, graviora quædam peccata scilicet idololatriam, homicidium, mœchiam, non posse remitti. Novatianus et Novatus facultatem absolvendi in persecutione lapsos, Ecclesiæ denegabant. Eorum vero asseclæ nullam potestatem remittendi peccati mortalis, post Baptismum commissi, agnoscebant.

53. *Donatistæ* asserebant, invalidam esse absolutionem datam *Traditoribus; — Luciferiani* lapsis clericis omnem absolutionem negabant.

54. *Wicleff* confessionem necessariam esse negavit, quotiescumque adest perfecta contritio.

55. *Janseniani* et *Baiani* dicunt, contritionem perfectam sine sacramento actuali non justificare. — Janseniani improbant quoque usum confitendi venialia.

56. *Petrus de Osma*, etiam post Concilii Later IV decreta, audaces quorumdam Scholasticorum (1) opiniones protulit, docens, contritionem sine ordine ad Claves, efficere remissionem peccatorum; — confessionem singulorum peccatorum institutionis divinæ non esse. Quas propositiones damnavit Sixtus IV (1479).

57. *Cathari* et *Beguardi* confessionem, ex odio hierarchicæ auctoritatis, respuerunt; quod etiam Waldenses et Wicleffitæ præstiterunt.

(1) Petrus Lombardus, *(Sent.* 4, dist. 18), et Petrus Pictaviensis (Ceilier. *Hist. des antiq. ecclés.* t. 23, p. 56,) dixerunt, peccata in sacramento remitti a Deo; a sacerdotibus vero remissa vel retenta esse declarari : quæ placita Richardus a S. Victore (*Tract. de potest. ligandi atque solvendi)*, confutavit. — Ab errore tamen Protestantium non parum distabat Magister Sent., cum sacerdotis absolutionem, non ut nudum ministerium *remissionem declarandi* haberet; sed eam talem esse diceret, per quam *vere remitteretur* pœna temporalis. — Abailardus turpius erravit, contendens potestatem clavium datam fuisse Apostolis tantum personaliter, nec ad eorum successores transmittendam. Quem errorem cum reliquis retractare coactus est.

+ obligatio facere confessionem integram.

58. II. *Circa Indulgentias.* Indulgentiis adversati sunt Montanistæ, Waldenses, Wicleffitæ, Protestantes, qui potestatem eas concedendi Ecclesiæ denegarunt. — Janseniani autem et Neoterici non pauci, germanam Indulgentiarum notionem temerarunt, eas ad solam pœnitentiæ canonicæ relaxationem coarctando, veluti Scholasticorum commentum traducendo, et valere pro defunctis negando.

§ VII. Instrumenta.

59. I. Patres, qui præcipue de hoc sacramento testimonia suppeditant, sunt: *Tertullianus*, libro *De Pœnitentia; — Cyprianus*, lib. *De Lapsis; — Chrysost.*, *De Sacerdotio.* libro III; — nec non illi, qui pugnaverunt contra Montanistas et Novatianos, præsertim: *Athanasius*, libris *adversus Novat.*, quorum fragmenta exstant apud Galland. t. 5, p. 213, seqq.; *Ambrosius*, *De Pœnitentia; — Pacianus*, *Epistolis ad Sympronianum.*

60. II. Instrumenta canonica sunt præcipue duo: Concilii Flor. *Decretum pro Armenis*, et Concilii Trid. Sessione 14 *canones* 15, ac Sess. 25 *Decretum de Indulgentiis.* — His addi possunt Baii *Propositiones damnatæ* a Pio V: 51, 32, 70, 71, 58: Quesnelli a Clem. XI: 60, 61, 62: Pistoriensium a Pio VI: 37, 39.

61. — CONCILII FLORENTINI DECRETUM.

Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis qui in tres distinguuntur partes : quarum prima est cordis contritio ; ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis ; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert cum dicit : Ego te absolvo, *etc. Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis.*

62. — CONCILII TRIDENTINI CANONES.

Can. 1. *Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum, Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint; atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt : non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis negaverit, Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cnm debita et diligenti præmeditatione habeatur,*

etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant ; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam ; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum ; aut demum, non licere confiteri peccata venialia ; anathema sit.

Can. 8. *Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam ; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ ; anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, Absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti : modo tantum credat se esse absolutum : aut sacerdos non serio, sed joco absolvat ; aut dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit ; anathema sit.*

Can. 10. *Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere ; aut non solos sacerdotes esse ministros Absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo ; et : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata ; publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit ; secreta vero per spontaneam confessionem ; anathema sit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat ; anathema sit.*

Can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse ; anathema sit.*

Can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam ; anathema sit.*

Can. 14. *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, do-*

ctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes ; anathema sit.

Can. 15 *Si quis dixerit, Claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum ; et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clavium et contra institutionem Christi ; et fictionem esse, quod, virtute Clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat ; anathema sit.*

63. — DECRETUM DE INDULGENTIIS. TRID. SESS. 25.

Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit ; atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis temporibus illa usa fuerit : sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum anctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit ; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

§ VIII. Divisio.

64. Tota quæstio de sacramento Pœnitentiæ commodo revocari potest ad tria capita, nimirum :

Caput I, *de veritate sacramenti Pœnitentiæ.*
Caput II, *de ejus causis internis, seu materia et forma.*
Caput III, *de ejus causis externis et efficacia, seu de administratione et effectibus ; cum* Appendice *de Indulgentiis.*

CAPUT PRIMUM.

DE VERITATE SACRAMENTI POENITENTIÆ.

---

65. Ad veritatem hujus sacramenti demonstrandam sufficit stabilire: 1° Christum dedisse sacerdotibus Ecclesiæ potestatem Clavium; 2° exercitio hujus potestatis verum N. L. sacramentum contineri. Hæc autem duobus articulis ostendemus.

Articulus I, *de potestate Clavium.*
Articulus II, *de exercitio sacramentali hujus potestatis.*

ARTICULUS I.

DE POTESTATE CLAVIUM.

66. *Potestas Clavium*, prout hoc loco accipitur, est *potestas remittendi peccata, tum quoad culpam, tum quoad pœnam.*

67. Hæc est acceptio hujus termini restricta. Duplici enim sensu *potestas Clavium* accipitur: generico et specifico. Sensu *generico*, pro potestate omni, quam Christus Petro ejusque successoribus, ac per eum Ecclesiæ suæ contulit, in utroque foro, tum externo tum interno exercendam (1), — sensu *specifico*, pro potestate remittendi peccata in foro conscientiæ tum quoad culpam et pœnam in sacramento, per absolutionem; tum etiam tantum quoad pœnam extra sacramentum, per Indulgentias.

68. Aptissime potestas remittendi peccata *potestas Clavium* nuncupatur. Etenim 1° sicut clavis actus est aperire et claudere, ita potestatis illius actus est cœlum peccato clausum aperire, infernum claudere, vel etiam cœlum indignis occlusum retinere. 2° Metaphora *Clavium* usu Scripturæ commendatur: eam Dominus ipse usurpavit Matth. XVI et XVIII; item S. Joannes in Apoc. I, 18 et III, 7: *Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit: claudit et nemo aperit... Fui mortuus, et ecce sum vivens in sæ-*

(1) Matth. XVIII, 17 et Joan. XX, 23.

cula sæculorum; et habeo claves mortis et inferni. — 3° Hæc metaphora recepta est usu Ecclesiæ: Trid. Sess. 14, cap. 5: *Sacerdotes.., pro potestate Clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.* — Tertullianus: *Si adhuc clausum tibi cœlum putas, memento, Claves hic Dominum Petro et per Petrum Ecclesiæ reliquisse.* In Scorpiac. c. 10.

69. Jam vero demonstremus, Christum Ecclesiæ suæ potestatem Clavium dedisse, ad peccata omnia sacerdotum ministerio, per actum judicialem remittenda.

Propositio I, *de existentia potestatis Clavium.*
Propositio II, *de ejusdem extensione.*
Propositio III, *de ejusdem subjecto.*
Propositio IV, *de ejusdem natura.*

PROPOSITIO I.

Christus dedit Ecclesiæ potestatem Clavium.

70. *De fide*, ex Trid. Sess. 13, can. 3.

71. PROB. 1° Scriptura. — Christus hanc potestatem *promisit*, Matth. XVI, 19, dicens Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* — item, Matth. XVIII, 18, dicens omnibus Apostolis: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.*— Promissam vero potestatem contulit, Joan. XX, 22, 23, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* « Quo tam insigni « facto, inquiunt Tridentini Patres (1), et verbis tam perspi- « cuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad recon- « ciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum « legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum « Patrum consensus semper intellexit. »

72. Præscriptione. — Jam olim sæculo secundo (198), contra Montanistas præscriptione usus est S. Zephyrinus Papa, teste ipso Tertulliano, qui, lib. *De pudicitia*, adversus hunc Pontificem ita invehitur: *Audio edictum esse propositum, et*

(1) Sess. 14, cap. 1.

quidem peremptorium : Pontifex scilicet Maximus, quod est, Episcopus Episcoporum edicit : Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. — Præscripsit Novatianis S. Cornelius Papa (251), eosque remittendi potestatem negantes tanquam hæreticos condemnavit (1). Præscripsit Luthero et Calvino Concilium Trid. sæculo XVI, et merito : cum tunc ubique terrarum apud Christianos omnes, etiam non catholicos, hæc potestas exerceretur. Quod patet præcipue, ex responso a Jeremia, Constantinop. Patriarcha, dato Lutheranis (1575), et ex Synodis adversus Cyrillum Lucarin celebratis. In epistola synodica concilii Hierosolymitani, sub Dositheo a Græcis schismaticis habiti (1672), hæc leguntur : *Pœnitentiæ sacramentum, in quo et secreta includitur confessio, tunc tradidit* (Christus) *cum dixit : Quorum remiseritis, etc.*

73. 3° Expressis PP. testimoniis. — *Sæc. III.* Tertullianus, lib. De Pœnit., in eos invehitur quos pudor a confessione deterret : *An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?* Cap. 10. — Et c. 12 : *Exomologesi*, ait, *extingui in corde gehennam... adversus hanc nimirum, exomologesim a Domino institutam esse.* — Origenes, Homil. 7 in Luc. : *Deleri peccata*, ait, *si confitearis non tantum Deo, sed iis qui possunt mederi vulneribus...* Atqui, homil, 2 in Levit., *illos esse*, affirmat, *sacerdotes Domini.* — Cyprianus : *Confiteantur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio, facta per sacerdotes, apud Deum grata est.* L. De Lapsis, n. 29.

74. *Sæc. IV.* S. Ambrosius docet; *Novatianos Christi mandatum rescindere, qui dixit : Quorum remiseritis, etc... Dominum enim par jus et solvendi esse voluisse et ligandi.* De Pœnit. l. I, c. 2.

75. *Sæc. V.* S. Leo docet, *Post Baptismum lapsos per Pœnitentiam restitui... Indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum non posse obtineri; hanc quippe præpositos accepisse potestatem.* Ep. 82 ad Theod. Forojul. — Et Epist. 136 : *Ex*

(1) Euseb. *Hist.* l. 6, c. 38.

apostolica regula sufficere confessionem secretam, in qua remedia offerantur pœnitentibus (1).

PROPOSITIO II.

Potestas Clavium ad omnia peccata extenditur.

76. *De fide*, ut constat ex eo, quod Ecclesia statim pro hæreticis habuerit Montanistas ac Novatianos, qui hanc illimitatam potestatem negabant.

77. PROB. 1° Verba Christi, tum apud Matth. tum apud Joan., nulla restrictione limitantur; ergo potestatem contulerunt remittendi omnia peccata.

78. 2° Ex praxi Apostolorum. Paulus absolvit incestuosum Corinthium, II Cor. II. — S. Joannes juvenem latronem Deo reconciliat, Euseb. Hist. l. 3, c. 23.

79. 3° Ex traditione et praxi Ecclesiæ. Semper enim Ecclesia ad pœnitentiam vocavit peccatores omnes; — Montanistarum et Novatianorum doctrinam rejecit; — pœnitentias quibuslibet delictis constituit: ut in Pœnitentialibus libris, qui non pauci exstant, videre est. Horum præcipui sunt: Pœnitentialis Theodori Cantuariensis, Venerabilis Bedæ, Rabani Mauri, Romanus, Græcus Joannis Jejunatoris qui a sæc. VII in usu fuit.

PROPOSITIO III.

Potestas Clavium ad solos pertinet sacerdotes.

80. *De fide*, ex Trid. Sess. 14, can. 10, ubi definit, verba Christi Joan. XX, 23: *Quorum remiseritis...*, solis sacerdotibus esse dicta, non omnibus fidelibus. — Cfr cap. 1 ejusd. Sess.

81. PROB. Ex unanimi Traditionis consensu. Sufficiat unum citare testem ex Ecclesia latina, et ex græca alterum. S. Ambrosius: *Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti; concessit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est.* De Pœnit. l. 2, c. 2. — *Jus hoc solis permissum est sacerdotibus.* Ibid. l. I, c. 2.

82. S. Chrysostomus: *Quorumcumque, ait, peccata... Quænam, obsecro, potestas hac una major esse queat? Pater omne*

(1) Cfr Bellarm. *De Pœnit.* lib. I, cap. 10 seqq.

judicium dedit Filio; et ecce video illud ipsum omne traditum esse his (sacerdotibus) *a Filio.* De sacerd., l. 3, c. 5.

PROPOSITIO IV.

Potestas Clavium exercetur actu judiciali.

83. *De fide*, ex Trid. Sess. 14, can. 9. — Idem deducitur ex Decreta Conc. Flor., quod in ministro jurisdictionem requirit.

84. Dicitur potestas Clavium exerceri *actu judiciali*, hoc est, actu *potestativo*, quo sacerdos, ut judex et arbiter, vere peccata remittit. Actus hic judicialis opponitur actui mere declaratorio, quo sacerdos, non ipse remittat peccata, sed nudo ministerio fungatur declarandi illa a Deo esse remissa.

85. PROB. 1° Verbis Christi, Matth. XVI, XVIII, et Joan. XX. Dominus enim dicit: *Quæcumque solveritis .. Quorum remiseritis peccata*, non vero: *Quæcumque soluta esse declaraveritis...* — Deinde, dat potestatem *remittendi et retinendi*; ergo alia sunt remittenda, alia retinenda. Sed hoc cum discretione fieri oportet; ergo *judicandum* est, et secundum judicium vel remissio vel retentio facienda. Quod præclare confirmatur verbis Domini præcedentibus, Joan. XX, 21: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*

86. 2° Traditione. — Pacianus: *Quod per sacerdotes facit, ipsius Christi potestas est.* Epist. I ad Sympr. — Chrysostomus: *A terra principalem auctoritatem sumit cœlum; nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum*, Hom. 5 de verbis Isai. — Cfr, testim. Chrys. in propos. præcedenti allatum.

87. OBJIC. 1° Verba Joan. XX intelligenda sunt de illa remissione peccatorum, quæ fit per Evangelii prædicationem et per Baptismum; ergo non evincunt potestatem Clavium in sensu Catholicorum. Probatur hoc assertum ex parallelismo Joan. XX cum Matth. Marc. et Luc., capite ultimo. — R. *Neg. antec. et probationem, seu suppositum parallelismum.* Etenim apud Joannem exhibetur diversum Christi consilium, diversus ritus in conferenda Apostolis potestate, diversa verba, diversum tempus, diversa adjuncta. Apud Matth. et reliquos, datur facultas *baptizandi* Apostolis *undecim;* apud Joannem,

decem Apostolis, absente Thoma, datur facultas *remittendi et retinendi peccata*. Ergo loca parallela non sunt.

88. *Obj.* 2° Potestas ligandi et solvendi data est Apostolis personaliter; ergo cum Apostolis exstincta est, nec in Ecclesia perseverat. — R. *Dist. antec.* Personaliter, ita ut esset eorum successoribus transmittenda, *conc.*; personaliter et exclusive, *neg. ant.* Christus enim dedit hanc potestatem Apostolis, quatenus mansuris (ipso Domino manente cum eis), *usque ad consummationem sæculi*, Matth ult.; i. e. quatenus Ecclesiæ personam gerentibus. Par enim atque eadem ratio erat, cur Apostolis illa potestas daretur, et cur in Ecclesia perduraret. Cfr. S. Pacian. Ep. 1, ad Sympron. — *Memento*, ait Tertullianus, *Dominum Claves Petro, et per Petrum Ecclesiæ reliquisse.*

89. *Obj.* 3° Ipsa Scriptura testatur, quædam peccata remitti non posse, ut peccatum contra Spiritum sanctum, Matth. XII, 31, 32; imo quodcumque peccatum a baptizatis commissum, Hebr. VI, 4 seq.; ergo. — R. *Neg. antec.* Hæc testimonia arguunt difficultatem remissionis, ratione habita pessimæ dispositionis in subjecto; non limitationem potestatis quoad rite dispositos. Omnia enim vel ad Deum immediate, vel ad peccatores, non vero ad Ecclesiæ potestatem pertinent. — Locum Apostoli Hebr. VI. Veteres quamplurimi, ut Ambrosius (1), Augustinus (2), etc., intelligunt de pœnitentia in Baptismo facta, quæ utique iterari non potest. Sensus ergo esse videtur: *Impossibile est eos, qui semel illuminati* per Baptismum (Baptisma enim a Veteribus illuminatio dicitur), *gustaverunt etiam donum cœleste*, per SS. Eucharistiæ participationem, *et participes facti sunt Spiritus S.*, per Confirmationis Sacramentum (hæc tria prisco tempore simul conferebantur), *rursus renovari ad Pœnitentiam* (id est, peccata iterato Baptismate expiare). Hunc sensum indicat vox *renovari*, quæ solet Baptismo applicari; unde Apostolus, Tit. III, Baptismum vocat *lavacrum regenerationis et renovationis.* — Juxta quam interpretationem *distinguo antecedens* argumenti objecti: ipsa Scriptura testatur, etc., non posse

(1) Lib. 2, *De Pœnit.* — (2) *Expos. Epist.* ad Hebr.

remitti per pœnitentiam *in Baptismo*, seu *per Baptismum pœnitentiæ*, *C.*; per pœnitentiam in sacramento Pœnitentiæ, seu *per potestatem Clavium*, *N.*

90. *Obj.* 4° Non solus sacerdos possidet potestatem Clavium teste ipso S. Thoma (1): *Minister Pœnitentiæ*, ait, *cui confessio est facienda ex officio, est sacerdos: sed in necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.* Ergo. — R. *Neg. conseq.* S. Thomas enim hujusmodi confessionem laico factam, ut sacramentalem non habet; sed ut piam atque utilem, propter humilitatis actum quo peragitur, ac desiderium sacramenti, ex quo procedit. *Ille qui laico confitetur*, inquit idem S. Doctor (2), *quamvis impleat quod ex parte sua est de sacramentali confessione, tamen sacramentalem absolutionem non consequitur.*

91. *Obj.* 5° S. Cyprianus, Ep. 12 ad presbyteros et diaconos Carthag., jubet pœnitentes exomologesin facere *diacono*, et ab eo absolutionem accipere, si presbyter non adsit, *ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum in pace.* — Ergo solvendi potestas etiam diaconis concedi potest. — R. *Dist. conseq.* Ergo diaconis concedi potest potestas solvendi, in foro externo, a pœnis et censuris Ecclesiæ, *conc.*; potestas solvendi in foro interno, seu absolvendi a peccatis, *nego*. Duplex semper in Ecclesia fuit absolutio, duplex exomologesis: una sacramentalis, quæ ad solos presbyteros pertinet, neque unquam aliis concessa est; alia, per quam pœnitentes consortio Christianorum reconciliantur, et legibus pœnitentiæ publicæ soluti, ad sacræ Communionis participationem admittuntur. Hanc quoque nullo non tempore Episcopi et presbyteri ordinario jure exercebant; attamen et aliis concedi poterat per delegationem, imprimis *diaconis*.

ARTICULUS II.

DE POTESTATIS CLAVIUM EXERCITIO SACRAMENTALI.

92. Jam ostendendum est, in potestate Clavium, seu in ejusdem exercitio, verum contineri N. L. sacramentum, quod *Pœnitentiam* appellamus.

(1) In 4, Dist. 17, q. 3, art. 3. — (2) Ibid. Dist. 20, q. unica, art. 1, solut. 2.

PROPOSITIO UNICA.

Pœnitentia, in qua potestas Clavium exercetur, est verum N. L. sacramentum a Baptismo distinctum.

93. *De fide* quoad utramque partem, ex Trid. Sess. 14, can. 1 et 2.

94. *Pœnitentia* hic vocatur ipsa actio debitis vestita circumstantiis, qua, per potestatem Clavium, peccata sua remittuntur fidelibus. Hanc actionem asserimus habere rationem *sacramenti*, et quidem *a Baptismo distincti*.—Quod postremum statuitur contra Calvinum, aliosque, docentes, Pœnitentiam nihil aliud esse quam Baptismi recordationem, seu Baptismum in memoria revocatum.

95. PROB. PRIMA PARS : *est sacramentum.* 1° Exercitium potestatis Clavium, quale ex verbis Domini, Joan. XX, eruitur, omnes conditiones sacramenti præ se fert : signum externum, institutionem Christi, adnexam gratiam. Imo ipse sacramenti minister, forma et materia, non solum remota, i. e. peccata, sed etiam proxima, i. e. actus pœnitentis : contritio, confessio et satisfactio, iisdem illis Evangelicis verbis indicantur, seu innuuntur. *Minister* enim designatur, dum solis Apostolis, et in eorum persona, solis sacerdotibus, potestas conceditur. *Forma* innuitur verbo *remiseritis,* quo docetur remissionem fieri debere per actum sacerdotis judicialem, adeoque externum et verbis expressum, ut in judiciis fieri consuevit. *Materia remota* exprimitur voce *peccata. Contritio* seu *dispositio* eo insinuatur, quod quorumdam peccata, utique vere pœnitentium, remittenda esse dicantur, aliorum vero retinenda. *Confessio* singulorum *peccatorum* eruitur ex eo, quod sacerdotes ibidem judices constituantur, cum eorum judicio committatur, ut peccata remittant vel retineant. Jam vero nemo, in causa sibi ignota, æquus judex esse potest. Ergo debent sacerdotes peccata pœnitentium, prout in eorum conscientia sunt, distincte cognoscere. Atqui sic ea cognoscere non possunt, nisi propria pœnitentium confessione : quandoquidem peccata, prout in peccatoris conscientia sunt, ipse peccator unus inter homines novit. Ergo peccatoris confessio requiritur, etc. — Demum ipsa

satisfactio insinuatur in eo, quod detur non tantum remittendi et solvendi, sed etiam retinendi ligandique potestas; hoc enim continet facultatem obligandi pœnitentes ad aliquam pœnam salutarem persolvendam.

96. 2° Patres testantur, peccata remitti per externum sacerdotis ministerium, quod tanquam sacramentum describunt. Ambrosius : *Quid interest utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum, hocjus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est.* De Pœnit. l. I, c. 8. — S. Athanasius: *Sicut homo, ab homine sacerdote baptizatus, illuminatur Spiritus sancti gratia; ita et confitens in Pœnitentia, a sacerdote accipit remissionem, gratia Christi.* Lib. adv. Novat. Fragm. in Galland. t. 5, p. 213.

97. Adde argumentum præscriptionis. Etenim cum Protestantes exorti sunt, totus christianus orbis Pœnitentiam verum N. L. sacramentum esse credebat. Porro universalis illa fides nullo unquam post Apostolos tempore inducta fuit, quod facillimum est comprobare ; ergo a Christo et ab Apostolis derivata est.

98. PROB. SECUNDA PARS : *distinctum a Baptismo.* 1° Ex praxi Apostolorum, qui peccatores non revocant ad Baptismum, sed ad Pœnitentiam : ut patet in Simone Mago, Act. VIII, et in incestuoso Corinthio, I Cor. V.

99. 2° Ex Patribus, qui distinguunt hæc duo sacramenta, tum nomine, tum re. Augustinus, libr. 2 *De adult. conjug.*, de homicidio loquens : *Si a catechumeno factum est*, ait, *Baptismo abluitur; si a baptizato, Pœnitentia et reconciliatione sanatur.* — Confer testimonia quæ citavimus in prima parte.

100. 3° Ex natura horum sacramentorum, quæ quoad omnia differunt, ut explicat Tridentinum Sess. 14, cap. 2 (1).

101. OBJIC. 1° Si verbis citatis Joan. XX Christus sacramentum instituisset, sequeretur, sacramentum confici, *etiam* quando sacerdos ligat, seu peccata retinet. Atqui hanc sequelam Catholici non admittunt. — R. *Dist. maj.* sequeretur sacramentum confici, si sacerdos, *actu positivo* et *directe* ligaret, quemadmodum absolvit, *trans.* vel *conc.;* si *negative* et *indirecte* ligat, quod veritas catholica docet, *neg.*

(1) Cf. seq. quæst. 5, n. 108.

102. *Obj.* 2° In Scriptura constanter Pœnitentia cum Baptismo conjungitur, ex. gr. Act. II, III, et alibi sæpe. Ergo unum idemque sacramentum est. — R. *Dist. antec.* Pœnitentia ut virtus, *conc.*, ut sacramentum, *neg.* — Et *nego conseq.*

103. *Obj.* 3° Juxta Patres, remissio omnium peccatorum, etiam post Baptisma commissorum, Baptismati adscribenda est; atqui non deberet adscribi, si Pœnitentia verum sacramentum esset a Baptismate distinctum. Ergo.— R. *Dist. maj.* Adscribenda est Baptismati ut causæ *remotæ*, et conditioni prærequisitæ ad aliorum sacramentorum, adeoque etiam Pœnitentiæ validitatem atque efficaciam, *C.*; ut causæ *proximæ*, et *ex opere operato* remissionem peccatorum post Baptisma commissorum producenti, *neg.*

QUÆSTIONES.

1° *Quœnam est sacramenti Pœnitentiœ materia et forma?* — 2° *Quœnam significatio?* — 3° *In quo consistit ejus essentia?* — 4° *Quando fuit institutum?* — 5° *Quomodo sacramentum hoc differt tum a sacramento Baptismi, tum a virtute Pœnitentiœ?*

104. QUÆR. 1° *Quænam est sacramenti Pœnitentiæ materia et forma?* — Materia *remota*, seu potius removenda, scilicet materia *circa quam*, sacramenti Pœnitentiæ, sunt omnia peccata post Baptismum commissa, sive mortalia, sive venialia; ita tamen, ut mortalia sint necessaria et præcipua materia, venialia vero sufficiens tantum. — Materia autem, seu quasi materia *proxima* sunt tres actus pœnitentis, contritio, confessio et satisfactio, ut patet ex Decreto Conc. Flor., et ex Trid. Sess. 14, cap. 3; quorum tamen duo priores ad essentiam sacramenti pertinent, tertius vero ad integritatem tantum. — Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis a sacerdote prolata, ut in iisdem documentis habetur.

105. Q. 2° *Quænam est hujus sacramenti significatio, vel quodnam est sacramentale signum?* — R. Pœnitentia in suo composito considerata, nempe ut constat actibus pœnitentis et absolutione sacerdotis, præ se fert formam *judicii*, seu tribunalis, in quo omnes partes judicii exercentur; sed *judicii reconciliativi*, quo judex nomine Dei beneficium reconcilia-

tionis impertit; sed *tribunalis misericordiæ :* ubi, licet misericordiæ justitia admisceatur, primas tamen habet partes misericordia. Ex institutione enim sua, Pœnitentia primario et essentialiter judicium reconciliativum est; secundario tantum et integraliter, judicium vindicativum. Scilicet in hoc sacramento exhibetur peccatori *misericordia*, sed *temperata*. Peccator, non sicut Naaman leprosus in aquis Jordanis quasi renascitur; sed tanquam Israelita, qui descendens de Jerusalem in Jericho vulneratus est, a bono Samaritano sanatur, infuso vulneribus oleo et vino. Characterem hunc misericordiæ Patres similitudine spiritualis sanationis et medicinæ rectissime exprimunt. Quare Pœnitentiæ minister simul medicus dicitur et judex.

106. Q. 3° *In quo consistit hujus sacramenti essentia?* — R. Scotus (1) et Scotistæ contendunt, pœnitentis actus, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem, non esse partes hujus sacramenti intrinsecas, sed duntaxat dispositiones ad ejus effectum consequendum prærequisitas; totam vero sacramenti essentiam, ideoque materiam simul et formam, in verbis absolutionis consistere; materiam quidem contineri verbis illis, prout sunt sonus sensibilis : formam vero iisdem constare, prout peccatorum remissionem significant. — Cæteri Theologi, nunc præsertim post Concil. Trid. (2), sentiunt, actus pœnitentis et verba absolutionis esse partes intrinsecas sacramenti, easque cooperari ad collationem gratiæ in Pœnitentia, sicut ablutionem in Baptismo; ita tamen ut contritio et confessio sint partes materiales *essentiales*, satisfactio pars materialis, sed *integralis tantum*, verba absolutionis vero forma essentialis. — Dixi satisfactionem partem materialem esse, sed integralem : etenim distinguitur pars intrinseca duplex, essentialis et integralis. Pars essentialis est ea, sine qua compositum non potest esse simpliciter, ut caput respectu hominis. Pars integralis est ea, sine qua compositum potest quidem esse, sed non potest esse integrum : talis est manus respectu hominis. Talis quoque est satisfactio respectu Pœnitentiæ : nam sine illa,

(1) In 4, d. 14, q. 4.
(2) Sess. 14, cap. 3. — Cfr Antoine, *De pœnit.* cap. 1, art. 4.

ponitur quidem sacramentum et ejus effectus primarius, nempe justificatio; cum sine illa valeat absolutio peccatori contrito et confesso impertita; sed integritate sua caret sacramentum.

107. Q. 4° *Quando hoc sacramentum fuit institutum?* — R. Institutum est a Domino, ipso die resurrectionis suæ, Joan. XX; quare dicit Trid. Sess. 14, cap. 1 : *Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens : Accipite Spiritum sanctum*, etc. — Dicitur : *tunc præcipue instituit;* quia antea Dominus, Matth. XVI et XVIII, idem sacramentum promiserat et quasi præordinaverat.

108. Q. 5° *Quomodo hoc sacramentum differt, tum a sacramento Baptismi, tum a virtute pœnitentiæ?* — R. 1° Differt a Baptismo (1) in multis : 1) Alia est utriusque sacramenti materia et forma. 2) Pœnitentiæ minister essentialis est sacerdos; Baptismi non item. 3) Minister agit hic ut judex : non sic in Baptismo. 4) Baptismus imprimit characterem ac iterari non potest : non item Pœnitentia. 5) Baptismus delet peccatum originale et omnia actualia ante Baptismum commissa; Pœnitentia solum peccata post Baptismum patrata. 6) In Baptismo efficimur nova in Christo creatura, et gratia datur per modum generationis, ita ut omnis culpa et pœna remittatur; in Pœnitentia vero datur gratia per modum medicationis, et plerumque non tollitur omnis pœna temporalis, nisi magnis nostris fletibus et laboribus; quare a Patribus *laboriosum Baptisma* nominatur. 7) Quod ex iis consequitur, in Baptismo opera satisfactoria imponenda non sunt; contra vero in sacramento Pœnitentiæ. 8) Baptismus est *necessarius* ad salutem, in re vel in voto, *omnibus* extra casum martyrii; Pœnitentia iis tantum, qui post Baptismum relapsi sunt.

109. 2° Differt Pœnitentiæ sacramentum a virtute, sequentibus : 1) Virtus pœnitentiæ est habitus animæ internus, sacramentum autem signum externum. 2) Virtus, seu actus hujus virtutis : contritio, confessio, satisfactio, est pars sa-

(1) Cfr Trid. Sess. 14, cap. 2.

cramenti, non totum Pœnitentiæ sacramentum. 3) Virtus existere potest sine sacramento, non vero sacramentum sine virtute, vel saltem sine actibus ad virtutem hanc pertinentibus. 4) Virtus, seu ejus actus, omnibus, qui mortale peccatum personaliter commiserunt, necessaria est *actu et in re*: sacramentum vero necessarium est, *vel in re*, *vel in voto*, et quidem his tantum, qui post Baptisma mortaliter peccaverunt.

Deus non exigit quam penitens habere virtus paenitentiae ante absolutionem, quia penitens non est capax habere virtutem poenitentiae in peccato mortali. Contritio pro faciamda Paenitentiae non est contritio habituali sed contritione actuale.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

110. Probavimus superiori capite, Pœnitentiam esse verum sacramentum a Christo institutum; ejusque partes indicavimus, generatim ostendendo, formam in verbis absolutionis, materiam in actibus pœnitentis consistere. Hic speciatim ambæ partes exponendæ sunt, et distinctius de forma et materia agendum quatuor articulis.

Articulus I, *de forma sacramenti Pœnitentiæ.*
Articulus II, *de materiæ parte 1ª, seu contritione.*
Articulus III, *de materiæ parte 2ª, seu confessione.*
Articulus IV, *de materiæ parte 3ª, seu satisfactione.*

ARTICULUS I.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

111. QUÆR. *Quænam est forma ad valorem sacramenti Pœnitentiæ necessaria?* — R. Concilium Flor., Decreto pro Armenis, dicit: *Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo, etc.* Pariter Trid. Sess. 14, cap. 3, docet, *sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, etc.*

112. Hæc forma vocatur *indicativa*, quia modo indicativo effertur. Altera quoque exstat, quæ *precativa* vel *deprecativa* dicitur, quia effertur per modum orationis, qua minister pœnitenti veniam a Deo precatur, his fere verbis: *Tu, Domine, condona peccata hujus N., quia tua est potentia...* — Jam vero de forma deprecativa duplex quæstio disputationi subjacet, altera facti, altera juris. *Quæstio facti* est, an hac forma antiquitus Ecclesia Græca, et, ante sæc. XII, Ecclesia Latina usæ fuerint; hodiernis vero temporibus an Ecclesia

Græca adhuc utatur? *Quæstio juris* est, an hæc forma sit valida?

113. *Ad factum* quod attinet, Joannes Morinus (1) affirmativam ex ritualibus antiquis probare nititur; eumque Theologi recentiores plerique sequuntur. Alii tamen, ut Billuart, Merlin (2), negativam ut veriorem defendunt. Dicunt enim formulis deprecativis a Morino allatis, semper fuisse absolutionem indicativam adjunctam. Quod si in ritualibus Latinorum vel euchologiis Græcorum indicativa deest, hujus, inquiunt, omissionis ratio est, quod prioribus Ecclesiæ sæculis, sacramentorum formæ, sicut alia mysteria, juxta *disciplinam arcani*, non scripto sed viva voce tradebantur; ne ethnicis aut impiis facile innotescerent, atque irridendi sacramenta occasionem darent. Eamdem nimirum ob causam, ipsum Fidei symbolum antiquitus viva tantum voce, prout Hieronymus et Augustinus testantur, tradebatur.—Quod spectat ad Græcos recentiores, et idem de Russiacis dicendum est, plures ex illis formam indicativam usurpant; nempe presbyteri hanc: *Habeo te venia donatum;* Episcopi vero istam: *Mea mediocritas habet te venia donatum;* quod, juxta eorum praxin, idem sonat ac: *Absolvo te a peccatis.* Aliæ autem formæ, quæ a Græcis usurpatæ referuntur, ab istis quoad sensum non differunt. Quod si plurimi inter Græcos formam indicativam omittunt, et meras preces pro forma adhibent, hunc abusum ex ignorantia natum esse testatur Arcudius, Græcus peritissimus (3).

114. *De quæstione juris*, utrum valida esse possit forma deprecativa, pariter disputatur. Qui circa rem historicam sequuntur Morinum, affirmant; alii vero sententiam negativam ut tutiorem et veriorem defendunt. — Est, inquiunt, *tutior* sententia, quia sola forma indicativa clare ostendit, ipsum sacerdotem actu judiciali vere remittere peccata. — Est *verior*, 1) quia conformior verbis Christi, Joan. XX; 2) conformior quoque Concilio Flor. in Decreto, ac præsertim

(1) *Comment. hist. de disciplina in administr. Pœnit.* l. 8.

(2) *Traité historique et dogm. sur les paroles ou les formes des Sacrements.* Apud Migne, *Cursus theol.* tom. 21.— (3) *De concordia utriusque Eccl.* l. 4, cap. 3.

Tridentino, Sess. 14, cap. 3, docenti, *sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse:* EGO TE ABSOLVO, *etc. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant.* 3) Quia confirmatur auctoritate S. Thomæ, qui, Opusc. 22, c. 1, contra neotericum quemdam, qui opinionem adversariorum tuebatur, disputans, sic ait: *Perlecto libello a vobis exhibito, inveni assertionem cujusdam valde temerariam, dicentis quod sacerdos absolvendo uti non debeat hac forma:* EGO TE ABSOLVO. *Quod quidem præsumptuosum judico, quia repugnat evangelicis dictis* (1). 4) Quia confirmatur quoque auctoritate Clementis VIII, qui in *Instructione super ritibus Græcorum* anno 1595 edita, sic ait: *In casu necessitatis presbyteri græci catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in generali Conc. Flor. præscripta, et postea si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujus absolutionis dicere tantum consueverunt.* — Quibus verbis Pontifex simpliciter et absolute jubet adhiberi formam Concilii Flor.; atqui illud non juberet, si formam deprecativam esse validam censeret. Nam eadem *Instructione*, dum Græcos, latino Episcopo subjectos, a græco Episcopo ordinari permittit, nequaquam interdicit eos ritu et forma græca ordinari; nempe quia græcam formam validam judicat. Ergo a pari, in sacramento Pœnitentiæ formam indicativam Græcis non præscriberet, si mere deprecativam censeret esse validam. — Ita patroni formæ indicativæ (2).

(1) Cf. Summam, p. 3, q. 84, art. 3 ad 1.
(2) Cf Merlin, ubi supra, Antoine, et Theol. Wirceb. *De Pœnitentiæ forma.*

ARTICULUS II.

DE MATERIÆ PARTE PRIMA, SEU DE CONTRITIONE.

Quæstiones præviæ, *de contritione generatim.*
Propositio I, *de contritione perfecta.*
Propositio II, *de contritione imperfecta.*
Quæstio, *de natura contritionis perfectæ et imperfectæ.*

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1° *Quid est contritio ? — 2° Quæ sunt contritionis dotes ? — 3° Quotuplex contritio distinguitur ? — 4° Quid est contritio perfecta, quid imperfecta ?*

115. QUÆR. 1° *Quid est contritio?* Resp. cum Tridentino: *Contritio, quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor est ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* (1). Qua definitione tres enumerantur actus: dolor, detestatio, propositum, quæ velut contritionis partes ad perfectam ejus rationem concurrunt. Dicitur *dolor animi*, quia subjectum contritionis atque doloris, est animus, i. e. appetitus rationalis, seu voluntas; non vero appetitus sensitivus, qui particeps quidem doloris esse potest, sed secundario tantum et per accidens. — *Detestatio*, i. e. odium, repulsio mali, quod apprehenditur ut præsens vel præteritum. Detestationis actus est *velle non peccasse:* in quo principaliter retractatio pravæ voluntatis sita est, adeoque peccati abolitio, quoad hæc ab homine dependet. Quare communius censetur, essentiam contritionis in *detestatione* consistere (2). — *Propositum* contritioni essentiale quidem est, sed, juxta multos, sufficit virtuale, illud nempe quod in peccati efficaci detestatione includitur (3).

116. Dicitur contritio *primum inter pœnitentis actus habere locum:* tum quia est actus præcipuus, imo proprie dictus virtutis pœnitentiæ; tum præsertim, quia præcipuus est inter actus ad sacramentum Pœnitentiæ requisitos: nam causa est et radix cæterorum.

117. Primus hic pœnitentis actus vocatur *contritio*, vel etiam *cordis compunctio*, *scissio* (4); quia per salutarem dolo-

(1) Sess. 14, cap. 4.—(2) Cf. Suar. *De pœnit* disp. 4, sect. 1, 2.—(3) Ibid. sect. 3.— In praxi tamen procurandum est propositum *formale.*
(4) Ps. L, 19; Act. II, 37; Joel. II, 13.

rem, anima penitus quasi perfoditur et frangitur; et sicut terra agricolæ ferro exercita, disponitur ad ferendas fruges, ita anima per contritionem disponitur ad fructificandum Deo.

118. Q. 2° *Quæ sunt contritionis dotes?* — R. Quatuor sunt contritionis dotes, seu proprietates necessariæ, ut ad remissionem mortalium valeat: debet esse vera ac interior, supernaturalis, universalis, summa.

119. 1) *Vera* ac *interior*, h. e. in corde, seu voluntate, nec tantum in sensibus vel in labiis: homo voluntate peccavit, voluntate dolere debet. Quare a Tridentino dicitur *dolor animi ac detestatio cum proposito*. Quod si non contritio vera, sed merum contritionis simulacrum esset, nihil valeret apud Deum, qui, cum intueatur cor, nulla ratione decipi potest.

120. 2) *Supernaturalis*, tum *ex parte principii*, i. e. elicita auxilio gratiæ elevantis; tum *ex parte motivi*, i. e. elicita ex motivo per fidem proposito, et ad Deum aliquatenus impellente. — Requiritur gratia, quia sine hac nullus esse potest actus supernaturalis, atque adeo salutaris; requiritur motivum supernaturale seu per fidem propositum, quia actio moralis speciem suam præcipue ex motivo desumit.

121. 3) Contritio debet esse *universalis*, i. e. ad omnia peccata mortalia commissa, saltem virtualiter se extendens. — Scilicet contritio esse potest vel *particularis*, qua homo tantum de aliquibus peccatis a se commissis dolet; vel *universalis* seu generalis, qua de omnibus et singulis. — Universalis autem potest attingere peccata, vel in mentem non revocata prævio conscientiæ examine: ut fieri solet cum recitatur *Confiteor*; vel sic revocata. Et hæc postrema contritio potest esse universalis duplici modo diverso: vel vi unius actus, qui omnia et singula peccata attingat sub ratione omnibus communi: v. g. sub ratione offensæ Dei, reatus pœnæ æternæ, etc.; vel plurium actuum: ut v. g. si quis pro unoquoque ex peccatis quæ mente recolit, actum contritionis iteraret.

122. Porro contritio, ut ad remissionem mortalium valeat, debet esse universalis; sed non est necesse ut præcedat

actualis et distincta omnium peccatorum recogitatio : *per se* enim sufficit, ut contritio in omnia confuse recogitata feratur. *Per accidens* tamen, i. e. ad confessionem sacramentalem instituendam, requiritur peccatorum recogitatio distincta, quæ contritionem vel præcedat vel subsequatur. — Neque etiam requiritur, ut universalis sit vi plurium actuum : sed universalitas illa sufficit, quæ unico actu, sicut explicatum est, continetur.

123. 4) Debet esse *summa*, saltem *appretiative;* non vero requiritur ut sit summa *intensive.* — Contritio *appretiative* summa est illa, qua peccatum ut malum quovis alio majus intellectu æstimamus, et simul voluntate detestamur. *Intensive* summa est ea, qua peccatum non solum ut summum malum detestamur, sed etiam actu detestationis intensiori seu vehementiori, quam quo detestamur cætera mala. — Porro solum contritio appretiative summa requiritur; quia Deus, ad redeundum in gratiam cum peccatore, unice postulat, ut is voluntatem a peccato sincere avertat, juxta illud Joel. II, 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Vera autem a peccatis aversio contritione appretiative summa continetur.

124. Q. 3° *Quotuplex contritio distinguitur?*—R. 1) Ratione *sui* distinguitur triplex: habitualis, actualis, virtualis. Contritio *habitualis* est ipsa virtus seu habitus pœnitentiæ. — *Actualis* vel *formalis*, est actus contritionis, formaliter et in se existens dum elicitur. — *Virtualis* est ea, quæ ex actuali præcedenti perseverat in aliquo effectu ; aut etiam ea, quæ continetur in virtute alterius actus. v. g. charitatis, et *implicita* quoque vocatur.

125. 2) Ratione *motivi* est duplex: *perfecta*, seu *contritio* stricte dicta, et *imperfecta*, *seu attritio.* Quæ distinctio ab ipso Concilio Tridentino traditur, Sess. 14, cap. 4.

126. Q. 4° *Quid est contritio* PERFECTA, *quid* IMPERFECTA? — R. *Perfecta* est ea contritio, *quæ ex perfecta charitate oritur seu procedit.* — Potest autem contritio dupliciter ex charitate oriri : videlicet, vel ex charitatis actu *formaliter* elicito, ut, v. g. si Dei bonitatem considerando, illum super omnia diligam, et hinc offensam Ejus super omnia mala detester; vel

non ex actu formaliter elicito, sed ex *motivo charitatis:* ut si ex. gr. ex consideratione divinæ bonitatis in seipsa, ad detestandum peccatum, tantæ bonitati contrarium, *immediate* adducar; quin formalem charitatis actum tunc reipsa eliciam. In primo casu contritio dicitur oriri ex formali charitate : in altero, ex charitate virtuali. Hanc vero postremam contritionem, non minus quam priorem, censendam esse *charitate perfectam*, tenet probabilior sententia (1).

127. Contritio *imperfecta* est: *Animi dolor ac detestatio de peccatis commissis, cum proposito non peccandi in posterum, procedens ex metu pœnarum et gehennæ, vel ex alio motivo supernaturali a perfecta charitate diverso.*

128. Contritio perfecta et imperfecta differunt specie, cum specie diversum habeant objectum formale, seu motivum, unde actus speciem desumunt.

PROPOSITIO I.

Contritio charitate perfecta hominem statim justificat, licet non sine sacramenti voto ; non est ergo necessaria ad Pœnitentiæ sacramentum rite suscipiendum.

129. Utraque propositionis pars *fide certa* est, ut patet ex Trid. Sess. 14. cap. 4, et Pistor. prop. damnata 36ª.

130. Dicitur: *Justificat statim*, adeoque etiam ante sacramenti susceptionem, contra Baium et Jansenium, negantes contritionem perfectam justificare extra usum sacramenti, nisi in certis casibus, puta martyrii, mortis, cum deest copia confessarii; vel nisi sit summe intensa. — *Non est necessaria ad sacramentum*, contra veteres quosdam Scholasticos, ante S. Thomam.

131. PROB. Doctrina illa fidei proxima censenda est, atque ab omni proinde catholico theologo tenenda, quæ expresse traditur ab œcumenica Synodo et Romanis Pontificibus, quæque luculentissime Scripturarum et Patrum auctoritati innititur; atqui talis est, quoad utramque partem, doctrina quæ propositione enuntiatur.

132. PARS PRIOR. 1° Traditur a Synodo œcum. Trid., Sess. 14, cap. 4, docente: *Contritionem, quam aliquando chairtate per-*

(1) Suar. t. 19, disp. 4, sect. 2.

fectam esse contingit, hominem Deo reconciliare, priusquam sacramentum actu recipiatur... Ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

133. 2° Docetur a Romanis Pontificibus. Quod patet ex propp. 31, 32, 70 et 71 Baii, damnatis a Pio V, Greg. XIII et Urb. VIII. Propositio 71 erat hujusmodi : *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.* Ergo contradictoria propositio, quam defendimus, vera et catholica est.

134. 3° Idem testatur Scriptura : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ezech. XXXIII, 12.—*Charitas operit multitudinem peccatorum.* I Petr. IV, 8.

135. 4° Testantur Patres. Chrysostomus ; *Sicut ignis in silvam ingressus omnia purgare solet, sic dilectionis fervor, quocumque inciderit, omnia tollit et exscindit... Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala*, Hom. 8 in 2 ad Tim. n. 3. — Augustinus : *Sola charitas extinguit delicta.* Tract. I, in 1 ep. Joan. n. 6.

136. 5° Accedit auctoritas S. Thomæ, scribentis : *Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis* (perfectæ) *rationem sufficiat, omnem culpam delet.* In 4, dist. 17, q. 2, art. 5.

137. II PARS. 1° Fluit ex præcedenti. Nam juxta Trid. can. 3 et 9, sacramentum Pœnitentiæ primario ordinatur ad gratiam sanctificantem *primam* ex opere operato conferendam ; ergo *per se* non requirit dispositionem illam, per quam gratia prima ante opus operatum obtinetur. Atqui ex 1ª parte propositionis, gratia prima ante opus operatum obtinetur contritione perfecta ; ergo sacramentum eam per se non requirit.

138. 2° Ex Trid. cap. 4, duplex distinguitur contritio : *perfecta*, qua *aliquando* homo *ante sacramentum* justificatur, et *imperfecta*, qua ad justificationem *in sacramento recipiendam* disponitur ; ergo supponit Trid. ac pro certo habet : 1) non esse necessariam perfectam contritionem ad sacramentum ; alioquin non *aliquando* duntaxat, sed *semper* peccator *ante*

sacramentum justificaretur; 2) peccatorem *vulgo* ad justificationem perduci *in* sacramento Pœnitentiæ, per solam contritionem imperfectam, seu attritionem.

139. 3° Accedit, quod damnata est propos. 58 Baii, quæ ita se habet: *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, pœnitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat; ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur.* Atqui hæc propositio est erronea; ergo ut falsa rejicienda est hypothesis adversariorum, qua sacramentum Pœnitentiæ *nunquam in re* produceret effectum, quem significat, produceret vero *semper in voto*, quod sane absonum est.

PROPOSITIO II.

Attritio, ex solo metu gehennæ concepta, bona est et utilis.

140. *Fidei proximum*, utpote quod immediate fluit ex Trid. Sess. 14, cap. 4 et can. 5. — Hinc damnata ab Alexandro VIII (1690) hæc propositio, quæ est 15ª inter 31: *Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* — Hinc plures quoque Quesnelli circa hanc materiam propositiones, inter 101, damnatæ sunt a Clemente XI.

141. *Attritio* seu contritio imperfecta, ut supra (1) vidimus, est ea quæ non ex charitate perfecta, sed ex alio motivo inferiore supernaturali procedit, et communiter ex metu gehennæ ac pœnarum, vel ex turpitudine peccati concipitur. Hanc asseruit Lutherus esse malam; utpote quæ, incussa per timorem, reddat hominem hypocritam, et proin magis peccatorem.

142. Quoniam adversarii principaliter invehuntur in *timorem*, animadvertendum est, timorem distingui multipliciter: est enim timor mundanus, filialis et servilis. *Timor mundanus* est timor pœnarum ab hominibus infligendarum, inducens in peccatum, ut vitentur. *Timor filialis* est timor peccati, eo quod sit offensa Dei, super omnia propter se di-

(1) Quæst. 4°, n. 127.

lecti. *Timor servilis* est timor pœnarum a Deo infligendarum. Dicitur *servilis*, quia proprium est servorum pœnam timere, et ex illo solo metu agere. — Hic timor duplex est, nempe servilis simpliciter, et serviliter servilis. Timor *servilis simpliciter* est ille, quo quis ita pœnam peccati formidat, ut propterea a peccato, vel per merum cordis affectum committendo, abstineat. — Timor *serviliter servilis* est, quo quis pœnam peccati ita timet, ut nihilominus ab eo per affectum cordis committendo non temperet; cum voluntate actuali paratus sit ad illud patrandum, si pœna abesset. Porro hic agimus de timore simpliciter servili : et in propositione asseritur attritio ex eo concepta esse honesta, atque utilis dispositio, quamvis remota, ad justificationem.

143. PROB. Illa attritio bona et utilis est, quæ concipitur ex metu bono et utili ad salutem; atqui talis est attritio ex solo metu gehennæ concepta; ergo. — Prob. minor.

144. 1° *Timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam.* Matth X. 28.

145. 2° Augustinus : *Opus est ergo ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas.* Tract. 9 in Epist. Joan.

146. 3° Ratione. Non potest esse nisi bonus ille timor, qui finem bonum habet et effectum bonum : finem, evitandi maximum malum; effectum, emendandi vitam.

147. *Nota.* Quæ de attritione, ex metu gehennæ concepta, diximus, pariter intelligenda sunt de attritione, quæ ex quovis alio motivo, vel æque nobili, vel præsertim nobiliori gignatur.

QUÆSTIONES.

148. *Quænam circa contritionem certa sunt, quæ controversa?* R. 1) *De fide* est, contritionem aliquam esse omnino necessariam ad salutem homini, qui peccatum mortale personaliter commisit, ex Trid. Sess. 14, cap. 4.

149. 2) *De fide* est, attritionem, ex turpitudine peccati vel gehennæ metu conceptam, esse donum moventis Spiritus sancti, et disponere ad gratiam Dei in sacramento impetrandam. Ibid. et can. 5.

150. 3) *Fide certum* est, *contritionem, quam aliquando charitate perfectam esse contingit, hominem Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur.* Trid. Ibid. cap. 4.

151. 4) *Fide certum* consequenter est (saltem post Trid.), ad sacramentum Pœnitentiæ rite suscipiendum, necessariam non esse *præfatam* contritionem charitate perfectam; sed sufficere attritionem : secus ac docent Jansenistæ, Prop. 36ª Synodi Pistoriensis damnata.

152. 5) *Controvertitur*, utrum charitas requisita ad contritionem perfectam statim justificantem, de qua Trid. loco cit., debeat esse non tantum *appretiative* super omnia, sed etiam *intensive* attingere *certum gradum;* an contra sufficiat quilibet vel infimus intensitatis gradus. Ut autem quæstionis sensus intelligatur, pauca subjicienda sunt.

153. Charitas, ex qua, vel formaliter, vel saltem virtualiter, ut supra (1) dictum est, procedit contritio perfecta, de qua agimus, est *amor benevolentiæ erga Deum, super omnia* (2). Dicitur amor *benevolentiæ;* qui scilicet ab amore *spei*, seu *concupiscentiæ*, essentialiter distinguitur. Amore enim concupiscentiæ Deum propter mercedem, seu propter supernaturale commodum nostrum, amamus : amore benevolentiæ e contra, Deum diligimus propter Deum ipsum; i. e. propter ejus amabilitatem et bonitatem in se spectatam; non vero propter nostrum commodum seu emolumentum. — *Super omnia*, h. e. super omnia alia bona et amabilia; ita ut Deus magis iis omnibus ametur, adeoque amor ipsius sit *summus*. Quod si amor Dei, propter se dilecti, non esset super omnia, non foret nisi *imperfecta dilectio* et *inchoata charitas.*

154. Porro amor Dei concipitur esse *super omnia*, vel *summus*, dupliciter : *intensive*, quum hujus amoris actus est vel vehementior ac ardentior omni alio amore; et *appretiative*, quum non tantum ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis, adjunctam habet talem æstimationem bonitatis Dei, ut hanc omni bonitati creatæ absolute præferat; ideoque amans sit animo paratus, potius carere omni bono creato, et quodvis malum perpeti, quam quidquam agere, quod infi-

(1) N. 126. — (2) Infra, tract. *De virtutib.* cap. 2, art. 4, nn. 234, 237.

nitæ Dei bonitati graviter opponatur seu displiceat. Hujusmodi amor, ut patet, non est simplicis *complacentiæ*, seu mere *affectivus :* sed est, ut aiunt, *obedientialis* et *effectivus*.

155. Jam vero, ut ad quæstionem propositam veniamus, quidam recentiores requirunt ad contritionem perfectam, ut charitas *sit super omnia, non tantum appretiative, sed etiam intensive*. Itaque duplicem distinguunt charitatem, qua Deus super omnia propter se diligitur : alteram *intensam*, quam solam vocant perfectam, et alteram *remissam*, quam imperfectam et inchoatam appellant. Hinc contritionem, quæ concipitur ex amore Dei super omnia propter se dilecti, duplicem distinguunt : unam perfectam, quæ ex amore intenso, alteram imperfectam, quæ ex amore remisso concipitur. Perfectam dicunt semper justificare, etiam extra sacramentum, et de hac intelligendum esse Tridentinum ; imperfectam vero, solum in sacramento, et in casu necessitatis, justificationis gratiam obtinere. — Hæc opinio emolliri posset, statuendo, ad contritionem perfectam sufficere charitatem, quæ *intensive certum gradum attingat*, quamvis non omnem alium amoris actum superet.

156. Verum communis veterum recentiorumque DD. sententia est, charitatem veram et perfectam a solo gradu *appretiationis* pendere ; ita ut sit *benevolentia erga Deum appretiative super omnia dilectum*. Hinc *omnis contritio*, *concepta ex hoc amore* Dei super omnia dilecti, *est contritio perfecta*, et hominem statim justificat, quicumque tandem sit intensionis gradus, ut S. Thomas testatur : *Quantumcumque parvus sit dolor*, *dummodo ad contritionis rationem sufficiat*, *omnem culpam delet*. Loc. cit.

157. 6) *Controvertitur*, utrum attritio mere formidolosa, sine actu amoris (saltem initialis), *realiter ab ipsa distincto*, per se sufficiat ad justificationem in sacramento obtinendam.

158. *a*) Quidam docent, requiri actum amoris benevolentiæ erga Deum super omnia, sed actum remissum sufficere; quem, uti supra dictum est, actum *charitatis imperfectæ* appellant. Et hoc sensu explicant initialem illam dilectionem Dei, quam Tridentinum videtur ad justificationem impii

omnino requirere, cum ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum... Deum tanquam omnis justitiæ fontem* DILIGERE INCIPIUNT. Quasi scilicet hic ageretur de diligendo Deo, ut in se justus est, seu ut est ipsa justitia: et non potius, ut est fons justitiæ nostræ, omniumque bonorum quæ cum ea connectuntur. — Hanc sententiam alii emolliunt statuendo, sufficere actum benevolentiæ erga Deum, *quamvis nondum super omnia* dilectum.—Sed hæc sententia paucorum est, et hodie derelicta.

159. *b*) Alii docent, requiri et sufficere actum amoris concupiscentiæ, qui essentialiter in actu spei includitur; ac proinde saltem actum spei esse eliciendum.

160. *c*) Tandem plures cum sancto Alphonso de Liguorio (1) contendunt, sufficere illum initialem Dei amorem, seu pium erga Deum animæ motum, qui essentialiter includitur in omni vera attritione, iis dotibus prædita, quas supra exposuimus, etiamsi illa ex timore simpliciter servili unice procedat; nullumque proinde actum, sive charitatis, sive spei requiri, ab hujusmodi attritione realiter distinctum. Illud tamen juvat animadvertere (ad hanc postremam sententiam contra quasdam specie tenus gravissimas objectiones tuendam), pœnitentem, qui actum attritionis mere formidolosæ in ordine ad sacramentum suscipiendum elicit, eo ipso actus fidei et spei aliquomodo etiam elicere; non quidem *reflexe*, vel *signate*, ut aiunt, sed *exercite*: quia dum attritionem exercet, procul dubio credit, per merita Christi peccata remitti; et idipsum sperat sibi obventurum.

161. 7) *Controvertitur*, inter postremæ hujus sententiæ fautores, utrum ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ sufficiat attritio, ex *solo* supernaturali metu pœnarum temporalium, præsertim hujus vitæ, concepta.

(1) *De Pœnit.* n. 442, objic. III.

ARTICULUS III.

DE MATERIÆ PARTE SECUNDA SEU DE CONFESSIONE.

Quæstio prævia, *de confessionis notione.*
Propositio I, *de jure divino confessionis sacramentalis.*
Propositio II, *de declaratione singulorum peccatorum in confessione.*
Quæstiones.

QUÆSTIO PRÆVIA.

162. *Quid nomine confessionis intelligitur?* — R. Multiplici sensu Confessio in Scriptura et Patribus occurrit. Alia est confessio *fidei*, alia confessio *laudis*, quæ et gratiarum actio vocatur; alia confessio seu accusatio *peccatorum.*

163. De confessione peccatorum nobis sermo est, quæ iterum multiplex distinguitur : *judicialis*, quæ fit coram judice, de delicto ad pœnam inquirente; — *amicalis*, quæ fit consilii petendi causa, vel ut proximo quem læsimus faciamus satis, vel denique ut dolorem in sinu amici exoneremus ; — *pœnitentialis interna*, quæ fit soli Deo a quo venia petitur, sicut a Psalmista fiebat dicente: *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino*, Ps. XXXI : — *pœnitentialis externa*, quæ fit publice in facie Ecclesiæ; — et *sacramentalis*, quæ fit coram sacerdote ministro Clavium.

164. Sola confessio *sacramentalis* est pars sacramenti Pœnitentiæ, et definitur : *Accusatio suorum peccatorum post Baptisma commissorum, a pœnitente sacerdoti facta, in ordine ad remissionem virtute Clavium obtinendam.*

165. Vox *confessio*, seu *exomologesis*, tanquam pars sacramenti Pœnitentiæ, etiam a Patribus adhibetur. Quod si apud veteres, nomine *exomologeseos*, tota publicæ et laboriosæ pœnitentiæ actio frequenter significatur, id ortum ex eo, quod illi nomen unius partis ad totum, ut fit, transferrent. Nos quoque *confessionis* vocabulum pro integra Pœnitentia significanda usurpare solemus ; et *confiteri* idem vulgo est ac *Pœnitentiæ sacramentum recipere.*

166. Protestantes et increduli confessionem esse institutionem ecclesiasticam contendunt, ab Innoc. III, in Conc. Later. IV inductam (1); atque eam, modo tanquam utilem

(1) Calvin. in *Antidot. Conc. Trid.*

laudant, modo ut animarum carnificinam, et rem quæ vires nostras superet, execrantur; semper vero, cuique liberam, nec ulla ratione obligatoriam habent.—Catholica autem fides duo hic dogmata tradit: unum, statuens divinum jus confessionis; alterum, definiens modum quo confessio fieri debet.

PROPOSITIO I.

Confessio sacramentalis est a Christo instituta, et jure divino necessaria ad sacramentum.

167. *De fide*, ex Trid. Sess. 14, can. 6.

168. Dicitur *necessaria ad sacramentum*, ita ut nemo remissionem peccatorum in sacramento Pœnitentiæ possit recipere, nisi præmissa confessione. Cumque sacramentum de necessitate medii sit, ut infra demonstrabitur, confessionem quoque hac ratione necessariam esse consequitur.

169. PROBATUR utraque propositionis pars iisdem argumentis.

170. 1° *Ex verbis Christi*. Joan. XX, 23: *Quorum remiseritis peccata*, etc., quibus Apostolos ac sacerdotes suos constituit judices, ut actu judiciario peccata remittant. Constat autem, ut Trid. ait Sess. 14, cap. 5, eos judicium hoc, incognita causa, ac proinde sine pœnitentis confessione, exercere non potuisse: quippe per solam confessionem causa hujusmodi, quæ conscientiæ est, innotescere potest hominibus; ergo voluit Dominus, ut ad remissionem confessio fieret, et sacramenti pars esset; ergo etiam voluit confessionem æque necessariam esse ac ipsum sacramentum. Quam necessitatem esse absolutam infra demonstrabimus.

171. 2° *Ex traditione*. Testantur divinam confessionis institutionem ac necessitatem, omnium sæculorum traditio et praxis. Confessionem enim semper obtinuisse comperiemus si a sæculo XIII, quo Concilium Later. IV celebratum est, retro usque ad sæculum primum, adeoque ad tempora Apostolorum et Christi, ecclesiastica monumenta respexerimus.

172. Sæculo XII testes sunt S. Bernardus (1), Petrus Cluniacensis cognomento Venerabilis (2).

(1) In *Serm. ad milites Templi*, c. 12.—Serm. 16 *in Cantic.*
(2) Lib. I *de miraculis*, cap. 3.

173. Sæc. XI, B. Petrus Damianus (1), S. Anselmus (2).

174. Sæc. X, Radulphus Flaviacensis (3), Regino Prumiensis (4).

175. Sæc. IX, Patres Conc. Cabillonensis II (5), Carolus Magnus, in Capitulari an. 801, præcipiens, *ut cuncti sacerdotes omnibus, illis confitentibus eorum crimina, dignam pœnitentiam cum summa vigilantia imponant.*

176. Sæc. VIII, Ven. Beda (6), Alcuinus, Caroli M. præceptor (7); — S. Bonifacius, qui Epist. 19. ad Ethelbaldum Merciorum regem scribens, ait, *Ceolredum regem, sine pœnitentia et confessione, de hac luce ad tormenta inferni migrasse.*

177. Sæc. VII, S. Isidorus (8), Synodus Quinisexta seu Trullana, can. 102; — S. Eligius, Noviomensis antistes, sermone 11, ait: *Quotiescumque peccatis, nolite exspectare mortifera securitate ut vulnera vestra putrescant; sed continuo per Pœnitentiæ confessionem, remedium vobis adhibere festinate... Nec enim poterit indulgentia tribui, nisi ira Dei possit confessione placari.*

178. Sæc. VI, S. Greg. Magnus (9), S. Joannes Climacus (10), Joannes Jejunator, cujus liber Pœnitentialis Ecclesiæ CP^næ^, tot Ecclesiarum matris, fidem et disciplinam exhibet (11).

179. Sæc. V, S. Leo (12); — S. Chrysostomus, qui, homil. in mulierem Samar., ita loquitur: *Qui homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult et pœnitentiam agere: in die illa, non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe traducetur.*

180. Sæc. IV, S. Ambrosius (13); — S. Basilius, qui docet *peccata iis confiteri* NECESSE ESSE, *quibus concredita est dispensatio mysteriorum Dei.* Respons. ad quæst. 288, reg. brev.

181. Sæc. III, Origenes (14): — Cyprianus, qui lib. *De lapsis*, omnes ad Confessionem compellit dicens : *Confi-*

(1) *Serm. de S. Andrea.* — (2) *Enarr. in cap.* 17 *Luc.* — (3) *In Levitic.* l. 3, cap. 7. — (4) *De eccles. disciplinis.* — (5) Anno 813, can. 32 et 33. — (6) In cap. 5, epist. Jacobi — (7) Epist. 7, alias 26. — (8) Lib. *de contemptu mundi.* — (9) *Homil.* 26 *in Evang.* — (10) In *scalæ*, gradu 4. — (11) Vid. Morin. *Disciplin. Pœnit.* ad calcem. — (12) *Epist.* 136.
(13) *De Pœnit.* l. 2, c. 4. — (14) *Homil.* 2 *in Levit.*

teantur singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio facta per sacerdotes Deo grata est.

182. Sæc II, Tertullianus (1); — S. Irenæus, qui lib. I Cont. hæres. c. 13, n. 7, loquitur *de mulieribus a Marco præstigiatore seductis, quæ postea ad Dei Ecclesiam reversæ, cum reliquo suo errore, hoc quoque confessæ sunt; dum aliæ, hoc crimen confiteri veritæ, a vita Dei desperassent.*

183. Sæc. I, S. Clemens Rom., in 2ª ad Corinth. epistola, hæc habet: *Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis quæ in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur, dum habemus tempus pœnitentiæ. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere* (2).

184. 3° Præscriptione. Quando Protestantes apparuerunt, confessionis usus et fides in universa Ecclesia catholica, imo in omnibus Ecclesiis orientalibus, sive hæreticis sive schismaticis, manifesto vigebat. Unde sic: vel illa omnium Ecclesiarum fides et usus, a Christo et Apostolis derivatus est, vel habuit aliquod initium post Apostolos, et constitutis jam per orbem Ecclesiis; atqui hoc secundum asseri non potest; ergo ab Apostolis et a Christo dimanavit. *Minor* probatur. 1) Hujusce mutationis, seu novitatis antiquitus inductæ, nullum vestigium superest. 2) Mutatio tanti momenti in Ecclesia sine gravissimis, publicis, et diuturnis dissidiis, fieri non potuisset; quorum monumenta profecto exstarent aliqua. 3) Imo mutatio hæc, utpote adeo hominibus onerosa, humana potestate fieri non potuisset, ita ut ab omnibus acceptaretur et usu constanti sanciretur, quemadmodum contigisse novimus.

185. OBJIC. 1° Patres non loquuntur nisi de confessione publica et disciplinari; ergo eorum testimonia pro confessione sacramentali asserenda non valent. — R. *Neg. antec.*

(1) *De Pœnit.* cap. 10.

(2) Hisce testimoniis, quæ in immensum augeri possent, os occluditur Protestantibus, non excepto famoso Dallæo, quem plenissime data opera confutarunt Theologi bene multi, uti Natalis Alex. *Hist. Eccl. sæc. XIII, dissert.* 14; Denys de Sainte-Marthe, *Traité de la confess.*; Boileau, *Hist. confess. auric.* — Cfr quoque Scheffmacher epistolas egregias *de Confessione.*

Ex testimoniis allatis patet, agi de confessione facta in ordine ad absolutionem per sacerdotale ministerium consequendam : quæ confessio sacramentalis est. Deinde historice constat, confessionem publicam, saltem singulorum peccatorum, nunquam fuisse in universa Ecclesia usurpatam. Jam vero, pleraque ex indicatis testimoniis agunt de confessione singulorum peccatorum, ut fieri solita in universa Ecclesia ; ergo nequeunt de confessione publica intelligi. Præterea quædam testimonio loquuntur de confessione secreta : *Ex apostolica regula*, inquit S. Leo, *sufficit confessio secreta, in qua remedia offerantur pœnitentibus*. Epist. 136.

186. *Obj*. 2° Ante Innocentii III tempora, confessio sacramentalis erat libera, et sufficere censebatur confessio soli Deo facta. Etenim concil. Cabillonense II et Magister Sent. hanc doctrinam referunt, nec tamen ut hæreticam condemnant. — R. *Neg. antec.* Ad prob. *dist.* Concil. Cabillonense, ut et Magister Sent., non inussit illi sententiæ notam hæresis, vel quod nulla adhuc prodiisset Ecclesiæ definitio, vel quod illius fautores potius ex ignorantia quam ex malitia errarent, *conc.;* non improbavit, *neg.* (1). — Fides de confessione obtinebat in Ecclesia, prout demonstravimus ; explicita autem definitione tunc solum declarata est, cum exorientium errorum pericula hujusmodi declarationis necessitatem fecerunt.

187. *Obj*. 3° Confessio abrogata est a Nectario CP., ut refert Socrates et Sozomenus ; ergo est de jure ecclesiastico. — R. *Dist. antec.* Abrogatum est a Nectario officium Pœnitentiarii publici in sua Ecclesia, et quidem ad tempus, *conc.;* abrogata est confessio sacramentalis, *neg*.

PROPOSITIO II.

In confessione omnia peccata mortalia singillatim declarari debent.

188. *De fide*, ex Trid. Sess. 14, can. 7.

189. Dicitur *declarari singillatim;* tripliciter enim potest declaratio fieri : *generaliter*, *specialiter* et *singillatim*. Singil-

(1) Cf. Cabill. II, can. 32. Labb. t. 7, col. 1278. Cf. Perrone, *De Pœnit.* n. 151 seqq.

latim, hoc est, numerice simul et specifice: seu declaratis peccatorum specie, numero, et circumstantiis quæ speciem mutant. — Declarari *debent:* intellige *per se;* quia per accidens fieri potest, ut tam accurata declaratio non requiratur. De necessitate enim sacramenti *absolute* non est confessio *materialiter integra,* sita in eo, ut pœnitens singillatim, sicut explicatum est, declaret omnia mortalia post Baptismum commissa et nondum per confessionem declarata, quorum conscientiam, post debitum examen, habet; — sed sola confessio *formaliter integra* ad essentiam sacramenti pertinet: in eo consistens, ut pœnitens declaret omnia mortalia, quæ hic et nunc, spectatis circumstantiis, moraliter potest vel tenetur confiteri.

190. PROB. 1° Christus instituit, declaranda esse peccata ut remittantur; ergo singillatim sunt declaranda. *Antecedens* in præcedenti propos. probatum est. *Consequens* ita ostenditur: 1° Si sacerdos non potest condonare, nisi quæ declarantur; ergo omnia sunt declaranda, ut omnia condonentur; ergo singula sunt declaranda, ut nullum omittatur, seu non condonatum remaneat. — 2° Sacerdos debet judicium ferre de tota causa, in qua remissionem pronuntiet; ergo tota debet declarari; atqui unumquodque mortale habet rationem causæ; ergo unumquodque debet declarari.

191. 2° Ex usu perpetuo Ecclesiæ. In libro pœnitentiali Joannis Jejunatoris legitur: *De omnibus peccatis numerus quæritur et specierum differentia.* — Deinde Concilia, et canones pœnitentiales, pœnitentias convenientes a sacerdote imponi jubent; ergo omnia peccata detegenda esse supponunt, ut possint remedia vulneribus accommodari.

192. *Nota.* Objectiones quæ ducuntur ex praxi absolvendi etiam eos, qui legitimis de causis non tam accurate confitentur, tantum probant, declarationem accuratam, quæ propositione adstruitur, *per accidens* aliquando non requiri, nec proin *absolute* essentialem esse; sed minime probant, illam *per se* et *regulariter* non requiri ex ipsa sacramenti natura, quod per modum judicii administratur; nec proinde evincunt, illam a Christo non fuisse eo ipso institutam, quod ipse sa-

cramentum Pœnitentiæ per modum judicii administrandum instituerit.

QUÆSTIONES.

1° *Quid de confessione venialium dicendum est?* — 2° *Quomodo extra sacramentum Pœnitentiæ venialia remitti possunt?* — 3° *Quomodo remittuntur in altera vita?* — 4° *Quomodo confessio sacramentalis facienda est?* — 5° *An debet esse necessario vocalis, auricularis, secreta, et sacerdoti præsenti facta?*

193. QUÆR. 1° *Quid de confessione venialium dicendum est?* — R. Ecclesia docet, venialia peccata non esse necessario in sacramento Pœnitentiæ declaranda, cum possint aliis multis expiari remediis; recte tamen et utiliter declarari: ita Trid. Sess. 14, cap. 5. Quare Pistoriensium propositio 39ª, qua frequens venialium confessio improbatur, a Pio VI damnata est. Eadem semper in Ecclesia praxis fuit et doctrina. Quare Cyprianus de fidelibus ætatis suæ scribit: *Apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondun exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt.* De lapsis. — Ut autem medela venialium recipiatur, necesse est, ut ad ea contritio se extendat.

194. Q. 2° *Quomodo extra confessionem venialia remitti possunt?* — R. Quæstio est — 1) de remissione venialium, quæ sola sine mortali existant in anima. Nam ut peccatum veniale remittatur, requiritur, ut homo jam sit in statu gratiæ, vel in eo constituatur (1). Agitur — 2) de remissione *quoad maculam et culpam* (2).

195. Jam vero remissio venialium hoc sensu determinata, variis mediis obtineri potest, quæ a S. Thoma (3) ad tria genera reducuntur, quæ *sacramenta*, *pœnitentialia* et *sacramentalia* vocari possunt. — 1) *Sacramenta* venialia remittunt, conferendo gratiam, atque fervorem charitatis augendo. Et quidem communius censent Theologi, quolibet sacramento directe, et ex opere operato, venialia remitti: quod docere videtur S. Thomas, dum dicit: *Per infusionem gratiæ tollun-*

(1) S. Thom. p. 3, q. 87, art. 4. Cfr super. n. 32. — (2) *De pœna,* agetur infra, ubi de *sanctificatione,* n. 202. — (3) P. 3, q. 87, art. 3.

tur venialia peccata. Et hoc modo... per omnia sacramenta N. L., in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur (1). Ad hoc tamen requiritur, ut aliqua peccati detestatio, explicita vel implicita, non desit; quamvis non necessaria sit ea animi dispositio, quæ per se, et absque sacramento, ad peccata delenda sufficiat. Ratio est, quod non possit peccatum etiam veniale nobis remitti, quamdiu eidem affectu voluntatis adhæremus: affectus autem, seu voluntatis inclinatio ad illud, non tollitur, nisi voluntatis retractatione, quæ detestatio vocatur.

196.—2) *Pœnitentialia*, i. e. omnes actus pœnitentiæ, eliciti vel imperati, seu quæcumque opera fiant cum aliquo motu detestationis peccati; cujusmodi sunt confessio generalis, tunsio pectoris, oratio dominica.

197.—3) *Sacramentalia*, ut aspersio aquæ benedictæ, benedictio Episcopalis, oratio in Ecclesia dedicata, etc.; quibus addenda sunt quæcumque opera motum aliquem reverentiæ in Deum, aut res divinas, continent. Valent autem hæc ad remissionem venialium, non quidem ex opere operato, sed quatenus, ob preces et reverentiam Ecclesiæ, detestationem peccati, vel gratiam pœnitendi impetrant. Atque ita, ex. gr., cum quis pie aqua benedicta utitur, gratiam pœnitendi impetrare potest vi earum orationum, quæ, Deo oblatæ ab Ecclesia, dum aquæ benedictionem impertiret, in acceptatione divina perseverant, et homini aqua illa utenti applicantur, quasi pro ipso essent recitatæ.

198. Ex dictis patet, nullum opus ad remissionem vel minimi peccati venialis directe valere, nisi contritione seu pœnitentia informetur.

199. Q. 3° *Quomodo venialia remittuntur in altera vita?* — R. Cum justus moritur peccatorum venialium reus, ea, juxta communiorem sententiam, tolluntur, sed quoad culpam tantum, per actum pœnitentiæ perfectæ, quem anima in ipso exitu a corpore elicit; et hoc quidem facillime, tot tantisque motivis supremo illo tempore urgentibus, et speciali Dei gratia opitulante (2).

(1) Ibid. — Cf. Suar. t. 19, *De Pœnit.* disp. 12, sect. 1. — (2) Cf. Lugo, *De Pœnit.* disp. 9, sect. 2. — Item Suar. ibid. disp. XI, sect. 4.

200. Q. 4° *Quomodo confessio sacramentalis facienda est?* — R. Confessio, licet ad dignitatem partis sacramentum constituentis elevata, non propterea desinit esse actus virtutis pœnitentiæ: et qua talis, debet esse *humilis*, *dolorosa*, *verecunda*, *nuda*, *non fucata*, *vera* et *integra*.

201. Q. 5. *An confessio necessario debet esse vocalis*, *auricularis*, *secreta*, *et sacerdoti præsenti facta?* — R. Ad confessionem *vocalem* quod attinet, certum est, 1) confessionem, aliquo signo sensibili expressam, requiri ad valorem sacramenti; quia confessio materia sacramenti est, et fieri debet apud sacerdotem, ab eoque intelligi; 2) vocem, seu oris locutionem esse signum accommodatissimum; 3) non tamen de essentia sacramenti esse, ut confessio voce peragatur. — Quod attinet ad confessionem *auricularem*, quæ etiam *secreta* dicitur, quia sine ullo teste fit apud sacerdotem: hæc essentialis non est, sed sufficiens, ut Trid. Sess. 14, cap. 5, declarat, post S. Leonem, qui ad Episcopos Campaniæ scripserat: *Ex apostolica regula sufficit confessio secreta.* Quæ olim vigebat confessio publica, præcepta non erat, nisi quoad certa publica peccata, et ut pars quædam satisfactionis pro peccatis solvendæ: quare confessioni publicæ secreta et sacramentalis confessio semper præmittebatur, qua sacerdos judicaret, quænam delicta publice declaranda essent. — Quod attinet ad confessionem quæ fieret sacerdoti *non præsenti*, et absolutionem *per epistolam:* hæc si per se valida forte dici possit, at certo illicita, adeoque invalida effecta est decreto Clementis VIII (1602), quo propositio, affirmans illam absolutionem licitam esse, damnatur. In epistolis Hincmari absolutionem reperimus, scripto ad Hildeboldum missam; sed hæc ad praxim humilitatis et charitatis, nequaquam vero ad sacramentum spectat, ut legenti patet.

ARTICULUS IV.

DE MATERIÆ PARTE TERTIA, SEU DE SATISFACTIONE.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1° *Quid est satisfactio, et quomodo dividitur ?* — 2° *Quid Protestantes, quid Catholici de satisfactione docent ?*

202. QUÆR. 1° *Quid est satisfactio, et quomodo dividitur ?* — R. Satisfactio, quæ generatim est cujuscumque debiti solutio, hic usurpatur pro *actione, qua Deo compensatio solvitur debita pro peccato.*

203. *Satisfactio pro peccato* distinguitur imprimis duplex : satisfactio Christi et satisfactio Christiani. Satisfactio Christi est illa, quam Salvator tam abunde pro nobis solvit in Cruce, de qua in tractatu de Incarnatione actum est (1). Satisfactio Christiani est illa, quæ a fidelibus quidem solvitur, sed vim suam totam et sufficientiam ex meritis Christi habet. Hæc definiri potest : *Pœnæ temporalis acceptatio et voluntaria perpessio, qua, per Christi merita, peccator divinæ justitiæ debitum solvit.*

204. Peccatum autem inducit reatum, seu debitum duplex : *culpæ* et *pœnæ;* unde duplex satisfactio Deo præstanda, una pro culpa, altera pro pœna. —*Satisfactio pro culpa*, seu pœnitentia, quam Deus exigit in ordine ad remissionem culpæ, est contritio et confessio, de quibus jam actum est. — *Satisfactio pro pœna* illa est, qua solvitur reatus pœnæ. Nomine *pœnæ* intelligitur malum, seu incommodum aliquod, naturæ aut voluntati contrarium, quod eo fine infligitur ut culpa vindicetur. Duplex est pœna peccati, æterna et temporalis ; unde et duplex satisfactio pro pœna, una pro pœna *æterna*, altera pro *temporali*. — *De sola satisfactione pro pœna temporali hic agitur*, quæ sola manere potest luenda, peccatis quoad culpam jam remissis. Reatus enim pœnæ æternæ, utpote

(1) Tom. I, *De Incarn.* n. 299 seqq.

inseparabiliter cum culpa mortali connexus, una cum culpa semper remittitur.

205. *Satisfactio pro pœna* temporali definiri potest: *Opus pœnale, patienter toleratum ad exsolvendum Deo reatum pœnæ.* — Alia est proprie dicta satisfactio *pro* pœna, alia satisfactio *in* pœna. Posterior, quæ *satispassio* dicitur, est illa qua *ipsa pœna*, sine ulla commutatione atque imminutione, persolvitur. usque ad novissimum quadrantem (1), ut accidit in purgatorio.

206. *Satisfactio proprie dicta* PRO *pœna* definitur: *Voluntaria sui punitio, Deo pro peccatis oblata; ut pœnam temporalem remittat.* — Varie dividitur: 1) in *sacramentalem* et *non sacramentalem;* 2) in *publicam* et *privatam;* 3) in satisfactionem *de condigno* et satisfactionem *de congruo.*

207. Q. 2° *Quid Protestantes, quid Catholici de satisfactione docent?* — R. Protestantes omnem satisfactionem rejiciunt, nec ullam imponendam esse pœnam fidelibus, aiunt: eo quod semper a Deo totam pœnam cum culpa remitti putent; proinde pœnitentias primitivæ Ecclesiæ tantum ad externam disciplinam et politiam pertinuisse, nec ad satisfaciendum pro peccatis ulla ratione apud Deum valuisse. — Catholica veritas e contra docet, non semper omnem pœnam cum culpa remitti; ac duplicem existere in Ecclesia satisfactionem: *sacramentalem* unam, *extra-sacramentalem* alteram.

208. *Sacramentalis satisfactio*, de qua in hoc articulo nobis præcipue agendum est, *pars est sacramenti* non essentialis, sed *integralis* tantum. Etenim licet sacramentum, absque satisfactione actu impleta, suum consequi effectum possit; tamen ad illam ex natura sua tendit, non secus ac arbor ad producendum fructum.

PROPOSITIO I.

Non tota simul pœna cum culpa semper remittitur a Deo; sed plerumque, pœna æterna cum culpa sublata, pœna temporalis remanet exsolvenda.

209. *De fide*, juxta Trid. Sess. 14, can. 12.

210. Agitur hic de reatu pœnæ temporalis, remanente post deletum reatum culpæ. — Remissia culpa mortali, simul

(1) Matth. V, 26.

reatus pœnæ æternæ semper remittitur. Ratio est, quia non remittitur culpa sine infusione gratiæ, quæ hominem constituit æternæ vitæ hæredem. — Remissa vero pœna æterna, remanet *per se* reatus aliquis pœnæ temporalis; seu, ut communiter DD. loquuntur, fit pœnæ æternæ in temporalem commutatio (1).

211. PROB. 1° Exemplis Scripturæ plurimis: Adami, quem, ut dicitur Sap. X, 2. *eduxit* Deus *a delicto suo*, et nihilominus multis ærumnis, per nongentos et amplius annos afflixit; — Israelitarum, qui, in vindictam peccati obmurmurationis jam remissi, in deserto perierunt, et terra promissa exclusi sunt, Num. XVI; — Moysis et Aaron, qui, ob diffidentiæ peccatum, utique condonatum, ejusdem terræ tantopera expetitæ ingressu prohibiti sunt, Num. XX; — Davidis, qui punitus est morte filii, et variis ac gravibus calamitatibus domesticis, in vindictam adulterii et homicidii, quorum veniam jam impetraverat, II Reg. XII. Ergo pœnæ, quibus Deus justificatos afficit, non sunt tantum ad eorum emendationem et profectum, ut Lutherus voluit; ergo non semper tota pœna cum culpa remittitur (2).

212. 2° Ex Patribus. Augustinus: *Cogitur homo tolerare, etiam remissis peccatis; quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna.* Tract. 124 in Joan. n. 5.

213. 3° Rationem convenientiæ explicat Trid. Sess. 14, capite 8, quod scilicet peccata, quæ a baptizatis committuntur, majoris sint malitiæ, quam quæ ante susceptum Baptisma patrantur.

214. OBJIC. Sublata causa, tollitur effectus; atqui culpa est causa, reatus pœnæ est effectus; ergo sublata culpa, tollitur et reatus pœnæ. — R. *Dist maj.* Sublata causa tollitur effectus, si hic ab ea pendet, non tantum *in fieri*, ut aiunt, sed etiam *in conservari*, *C.*; si tantum *in fieri*, *N.* Sic, mortuo artifice qui domum ædificavit, non ideo domus corruit. — *Dist. min.* Reatus pœnæ est effectus a culpa pendens *in*

(1) Cfr Suar. *De Pœnit.* t. 19, disp. 11, sect. 2, 3. Item Lessius, *De Pœnit.* Addit. D. Thom. quæst. 12. — (2) Cf. I Cor. XI, 30 et 32.

fieri, *C.; in conservari*, *subd.:* reatus pœnæ æternæ, *conc.* vel *trans.;* temporalis, *neg.* — *Dist. cons.* Reatus pœnæ æternæ tollitur, *conc.;* reatus pœnæ temporalis, *per se* et *semper* tollitur, *nego.*

PROPOSITIO II.

Possunt et debent ministri Pœnitentiæ satisfactiones pœnitentibus injungere.

215. *De fide*, ex Trid. Sess. 14, can. 15 et cap. 8.

216. PROB. 1° Ex usu perpetuo Ecclesiæ, quæ pœnitentes nunquam sine conveniente satisfactione imposita absolvit, ut constat ex Patribus, Conciliis, libris Pœnitentialibus et Ritualibus. Sic Conc. Laod. sæc. IV, canone 2; Carthag. III, sub finem ejusdem sæculi IV, can. 31, præcipiunt convenientes pœnitentias injungendas.

217. 2° Ex institutione divina. Christus dicens Apostolis: *Quæcumque alligaveritis et solveritis...: quorum remiseritis et retinueritis*, non tantum potestatem dedit retinendi peccata impœnitentium; sed etiam pœnitentes ad certa satisfactionis opera alligandi: ut, quemadmodum sacerdotes peccata remittunt quoad culpam et pœnam æternam, dum absolvunt; ita etiam retineant peccata quoad pœnam temporalem, dum pœnitenti mulctam imponunt. Hac ratione argumentatur Trid. cap. 8, et Patres antiqui, quos inter S. Leo, qui ep. 91: *Mediator Dei*, inquit, *et hominum, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem, salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

218. 3° Rationibus pluribus eorumdem Patrum, quas Trid. breviter stringit, cap. 8; et sunt hujusmodi: 1) major est ingratitudo et malitia in relapsis post Baptismum; 2) misericordia ita est utendum, ut, quoad fieri potest, etiam justitiæ satisfiat; 3) Baptismus est regeneratio, quæ citra magnum laborem nascituris accidit: e contra, Pœnitentia est medicina, quæ per ægroti ustiones, incisiones, sudores, aliasque molestas exercitationes, peragitur; 4) satisfactio est remedium contra relapsum; 5) decet ut peccator aliquid

pro suis peccatis faciat, et cum Christo pro iis compatiatur.

QUÆSTIONES.

1° *Quanta pœna temporalis post remissam culpam remanet?* — 2° *Quare Christus satisfactionem esse partem Pœnitentiæ voluit?* — 3° *An necesse est, ut satisfactio ante absolutionem impleatur?* — 4° *An satisfactio effectum habet ex opere operato?* — 5° *Ad quem finem et qualis est satisfactio imponenda?* — 6° *Quid est satisfactio extrasacramentalis?* — 7° *Quænam opera possunt esse satisfactoria, et quomodo formaliter satisfactoria fiunt?* — 8° *An fidelium suffragia oblata pro aliis ad satisfactionem valent?* — 9° *Quibus omnino mediis a pœnis temporalibus liberari possumus?*

219. QUÆR. 1° *Quanta pœna temporalis post remissam culpam remanet?* — R. (1) Quantum præcise, gratia justificationis percepta, remaneat pœnarum, soli Deo notum est, cujus arbitrio hæc res definitur. Certum tamen est, aliquid determinati esse, licet varium pro varietate, gravitate et multitudine peccatorum. Imo pœna temporalis residua, non semper pro æqualibus peccatis æqualis est; sed major vel minor, juxta proportionem *contritionis*. Ideoque talis ac tanta potest esse contritio, ut omne pœnæ debitum exhauriat. Pari modo *virtute sacramenti Pœnitentiæ* aliquid pœnæ detrahitur; cum hoc sacramentum institutum sit ad remissionem culpæ et pœnæ, non solum æternæ, sed etiam temporalis: utpote ad perfectam peccati abolitionem a Christo ordinatum.

220. Q. 2° *Quare Christus voluit satisfactionem esse sacramenti partem?* — R. Quia ordinarie neque contritio est adeo perfecta, ut totum debitum pœnæ temporalis, quod præcise ratione justificationis non aufertur, tollat; neque etiam ipsa absolutio totum, quod reliquum est, aufert; propterea Dominus hujus sacramenti quasi materiam integrantem voluit esse *satisfactionem*, quæ partim vi sua, partim virtute Clavium, deleat quod reliquum est pœnæ temporalis. Adde rationes alias Prop. præced. *probat.* 3ª allatas.

(1) Lessius, *De Pœnit.* addit. D. Thom. q. 12.

221. Q. 3° *An necesse est, ut satisfactio ante absolutionem impleatur?* — R. Satisfactionem non esse necessario absolutioni præmittendam, ut Jansenistæ autumant, certum est, ex Quesnelli prop. 87, damnata a Clemente XI, et ex Pistor. prop. 35, damnata a Pio VI. Jam antea, 1478, Sixtus IV hanc propositionem Petri de Osma damnaverat ut hæreticam : *Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia ipsis injuncta?* — Spectata scilicet natura et institutione sacramenti, perinde est, sive absolutionem præcedat, sive sequatur satisfactio. Deinde, licet antiquitus alia aliquando viguerit disciplina, sæpe tamen absolutio ante expletam pœnitentiam dabatur.

222. Q. 4° *An satisfactio effectum habet ex opere operato?* — R. Prout est in executione, post susceptum sacramentum, satisfactio, seu *pœnitentiæ impletio*, cum pars integralis sacramenti sit, effectus habet ex opere operato : 1) remittit pœnam temporalem, majorem vel minorem, tum pro gradu operis, tum pro dispositione satisfacientis ; 2) confert augmentum gratiæ sanctificantis, una cum gratia sacramentali, ut probabilius censent Theologi.

223. Q. 5° *Ad quem finem, et qualis satisfactio est imponenda?* — R. Finem triplicem indicat Trid. S. 14, cap. 8, dicens : *Satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum ; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* — Unde satisfactio imponi debet talis, quæ sit simul *salutaris et conveniens* (1), seu vindicativa, medicinalis et præservativa.

224. Q. 6° *Quid est satisfactio extra sacramentalis?* — R. Est ea satisfactio, quæ non est pars sacramenti et qua potest homo justus sua debita divinæ justitiæ in hac vita solvere ; ut definit Trid. Sess. 14, can. 13, et testantur Scriptura ac Patres, ad laboriosa pœnitentiæ opera, tanquam satisfactoria, sæpe adhortantes (2). Dixi *potest justus ;* nam constat hominem, in peccato mortali existentem, non posse satisfacere, saltem de condigno, pro pœna temporali ; ne pro illa quidem

(1) Trid. ibid. — (2) Cf. Trid. Sess. 14, cap. 9. — Item Antoine, *De Pœnit.* cap. 1, art. 3, *opus pœnale.*

quæ peccato veniali debetur. Nam, ex Trid. Sess. 14, cap. 8, satisfactio nostra est opus gratiæ per Christum datæ, nempe sanctificantis, per quam illa ad supernaturalem dignitatem evehitur. Nostra satisfactio, ait Concilium, est per Christum, *in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ : qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.*

225. Satisfactio extra-sacramentalis duplex est : *personalis*, quæ per actiones proprias ; et *adventitia*, quæ per Indulgentias præstatur.

226. Q. 7° *Quænam opera possunt esse satisfactoria, et quomodo formaliter satisfactoria fiunt?* — R. 1) Materia satisfactionis sunt opera quæcumque honesta, quatenus aliquomodo pœnalia et laboriosa (1). Dicitur *quæcumque*, i. e. interna vel externa, supererogatoria vel præcepta aut necessario tolerata. — Dicitur *quatenus pœnalia vel laboriosa :* talia autem sunt omnia opera bona passim, in præsenti statu naturæ, ad omne bonum reluctantis. — Porro opera satisfactoria omnia, ad tria quasi genera reducuntur, *orationem* nimirum, *jejunium* et *eleemosynam*. Etenim ad jejunium referri possunt labores, morbi, variæque corporis animive afflictiones; ad orationem vero, sacra communio et quilibet religionis actus ; denique ad eleemosynam, omne opus charitatis, et quidquid in proximi utilitatem expenditur. — Hanc autem tripartitam distinctionem, sicut est completa, ita convenientem esse ostendit S. Thomas (2) tribus rationibus : *a*) quia non habemus nisi tria bona, scilicet animæ, corporis et fortunæ, unde æquum est subtrahere nobis aliquid ad honorem Dei compensandum. *b*) Quia juxta I Joan. II, 16, tres dantur peccatorum radices. *c*) Quia peccata omnia committuntur, vel in Deum, vel in se ipsum, vel in proximum.

227. R. 2) Hujusmodi autem opera fiunt *formaliter* satisfactoria, vel per eorum injunctionem a confessario in Sacramento, vel, extra sacramentum, per voluntariam in spiritu pœnitentiæ acceptationem ; dummodo, pro utroque casu, perficiantur

(1) Suar. t. 19, *De Pœnit.*, disp. 37, sect. 3-8.— (2) Supplem. q. 15, a. 3.

in statu gratiæ. — Ex parte Dei requiritur quidem operum acceptatio in satisfactionem, cum alioquin omnia opera nostra ipsi omnibus titulis debeantur; sed hæc acceptatio, vi divinarum promissionum, nobis certa manet, ut Trid. testatur, Sess. 14, cap. 8, ubi ait : *Ab illo* (Christo) *offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.*

228. Q. 8° *An fidelium suffragia, oblata pro aliis ad satisfactionem valent?* — R. Prænotanda duo : *suffragium* (1) est auxilium quoddam, quod unus fidelis præbet alteri, ad obtinendum a Deo remissionem pœnæ temporalis, vel aliquid hujusmodi. 2) Suffragium unius potest alteri prodesse, vel *ex opere operato;* nempe per Missæ Sacrificium, aut etiam per Indulgentias, quæ juvant ad modum operis operati, de quibus infra; vel *ex opere operantis*, sive privata sive publica totius Ecclesiæ auctoritate : et de hoc ultimo hic solum quæritur.

229. Jam vero, — 1) certum est, et ex dogmate *communionis Sanctorum* consequitur, fideles posse se mutuo juvare ad satisfaciendum pro peccatis; ita ut opus unius alteri prosit, sive viventi sive defuncto, ad remissionem alicujus pœnæ temporalis apud Deum obtinendam. Si enim quoad alios bonos effectus sese juvant fideles : *Orate pro invicem, ut salvemini*, Jac. V; eccur, quoad hunc, non possent sibi invicem suffragium præstare? Profecto id eos posse indicat Paulus, Coloss. I, 24 : *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* — 2) Ut suffragia satisfactoria unius prosint alteri, solvantque ejus debitum, requiritur ex parte *debitoris*, *a*) ut sit in statu gratiæ, *b*) liber a culpa, cujus pœna solvitur; — ex parte vero *offerentis*, *a*) sit in statu gratiæ dum ponit opus (si tamen Missam et sacramenta mortuorum excipias); *b*) offerat opus proportionatum, quod, utpote pretium, habeat ad satisfaciendum pretii valorem; *c*) intendat illud suffragium pro altero offerre.

230. Q. 9° *Quibus omnino mediis a pœnis temporalibus liberari possumus?* — R. 1) Per Baptismum, Sacrificium Missæ

(1) Cf. infra, Appendice *De Indulg.*, n. 291. — Item Wirceb. Theol. *De Pœnit.* cap. 6, n. 248.

et pœnitentias sacramentales, ex opere operato; item per martyrium, ex privilegio. 2) Per Indulgentias, intercessionem Sanctorum in cœlo, orationes et satisfactiones justorum in terra. 3) Per propria opera bona, orationes, passiones, morbos et pœnas christiane toleratas, in statu gratiæ sanctificantis : quæ valere possunt, non tantum per modum puræ passionis vel satisfactionis, sed etiam per modum meriti et impetrationis.

CAPUT TERTIUM.

DE ADMINISTRATIONE ET EFFECTIBUS SACRAMENTI POENITENTIÆ.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

231. Minister hujus sacramenti est solus sacerdos; cum solus sacerdos receperit potestatem Clavium, ut supra demonstratum est. At sacerdos, licet vi Ordinationis suæ sit minister Pœnitentiæ, et potestatem habeat absolvendi; non tamen illam potestatem actu exercere valet, nisi accedat altera potestas, quæ jurisdictionis dicitur, de qua in hoc articulo breviter agendum.

PROPOSITIO.

In ministro Pœnitentiæ, ut valide absolvat, præter Ordinis potestatem, requiritur jurisdictio.

232. Propositio *certa* est et *fidei proxima*, ut patet ex Trid. Sess. 14, cap. 7 et can. 11; nec non, ex Pistor. prop. 37, a Pio VI damnata.

233. *Jurisdictio* generatim est potestas hominis in alium sibi subditum In casu nostro, jurisdictio est *potestas, qua sacerdos, ut judex, in alium tanquam in subditum sententiam ferre potest, in foro conscientiæ.*

234. PROB. 1° Ex perpetua Ecclesiæ persuasione, quæ asseritur a Trid., indicatur in Florentino Decreto ad Armenos, et in Lat. IV, cap. *Omnis utriusque sexus.* — Deinde notum est, ex veteri disciplina, sine Episcopi licentia, sacerdotes non potuisse, sive pœnitentiam imponere, sive absolutionem

impertiri.—Demum, inter Græcos et Latinos, semper exstitit hac in re perfecta consensio.

235. 2° Ex natura absolutionis sacramentalis. Hæc enim est actus judicialis, qui exerceri non potest nisi in subditos; subditi autem non assignantur per Ordinationem; ergo per rectores Ecclesiæ assignari debent; quæ assignatio non est aliud nisi jurisdictionis concessio.

QUÆSTIONES.

1° An ergo non vere recipit sacerdos potestatem Clavium in Ordinatione? — 2° An jurisdictio, quæ confertur, semper totalis est? — 3° Quotuplex officium est ministri Pœnitentiæ? — 4° Quæ adnotanda sunt circa antiquam Ecclesiæ de Pœnitentia disciplinam?

236. QUÆR. 1° *An ergo sacerdos non vere recipit potestatem Clavium in Ordinatione?* — R. In Ordinatione sacerdos accipit potestatem Clavium veram quidem, sed tantum radicalem, incompletam, remotam, tanquam gladium in vagina reconditum; accedente jurisdictione, habet eam completam, paratam et expeditam. Potestas jurisdictionis se habet tanquam conditio, necessaria ad exercendam Ordinis potestatem, qua sola formaliter peccatum remittitur, sicut clave formaliter aperitur quod clausum est.

237. Q. 2° *An jurisdictio semper totalis est, seu respectu omnium peccatorum?*—Resp. negative. Sunt enim casus reservati, quos summus Pontifex, vel Episcopi, inferiorum suorum potestati subtrahunt. Hoc autem jus reservandi casus omnino Episcopis competere, ex probata prop. manifestum est. Si enim Episcopis jus competit jurisdictionem dandi, eam quoque, qua judicaverint mensura, seu restrictione, dare possunt: quod merito Tridentinum declaravit Sess. 14, cap. 7, et sancivit can. 11.

238. Q. 3° *Quotuplex officium est ministri Pœnitentiæ?* — R. Quadruplex: judicis, doctoris, medici et patris; quæ ut rite adimpleat, variis dotibus pollere debet, præcipue prudentia, scientia, bonitate.

239. Q. 4° *Quænam circa antiquam Pœnitentiæ disciplinam sunt adnotanda?* — R. Christiani omnes antiquitus in tres

ordines dividebantur: *Clericorum, Laicorum et Pœnitentium.* Ad ordinem Pœnitentium ii soli pertinebant, qui *publice et ritu solemni* pœnitentiam agebant. — Circa *publicam* hanc et solemnem pœnitentiam, notanda sequentia: 1) tres distinguuntur temporis periodi, quibus disciplina illa viguit: prima nominari potest periodus *benignitatis*, alteri *severitatis temperatæ*, tertia *severitatis asperæ.* Prima periodo, quæ ab Apostolorum tempore usque ad Montani hæresim (172) producitur, pœnitentia brevior esse solebat, et minus severa. Secunda, scilicet a Montano usque ad Novatianam hæresim (251), severior fuit et prolixior. Post Novati schisma, severissima tandem instituta est pœnitentiæ disciplina. — Apud Græcos, tempore Nectarii (380), pœnitentiæ publicæ fere omissæ sunt, si privationem Eucharistiæ excipias; apud Latinos viguerunt usque ad sæc. VII; et post XI omnino sunt abrogatæ, quando invaluit usus pœnitentias canonicas eleemosynis, expeditione Terræ sacræ, etc. redimendi.

240. 2) Tempore arctioris disciplinæ, quatuor erant stationes obeundæ pœnitentibus, antequam ad reconciliationem et communionem admitterentur: *Flentium* nimirum, *Audientium, Substratorum, Subsistentium.*

241. 3) Clerici videntur a pœnitentia publica immunes fuisse.

242. 4) Si quæratur, quandonam reconciliatio concederetur: respondemus, probabilius reconciliationem duplicem exstitisse. Prima seu *parva*, quam Patres *communionem sine oblatione* vocant, dabatur *substratis*, quando ad *subsistentiam* admittebantur. Hæc erat veluti absolutio quædam ab excommunicatione majori. — Secunda seu *major*, quam Patres *perfectionem communionis*, aut *plenam communionem* nominant, hodie diceretur absolutio ab excommunicatione minore; qua pœnitentes in omnia Christianorum jura, præsertim in oblationem Missæ, et Eucharistiæ participationem restituebantur. — *Absolutio sacramentalis* in alterutra ex his reconciliationibus dabatur: Albaspinæus et Morinus censent, eam in secunda, seu majori, dari consuevisse.

243. 5) Si quæratur, quæ peccata publicæ pœnitentiæ fuerint obnoxia? Respondeo, hic multa dubia haberi. Omnes

tamen concedunt, peccata canonica, quoties publice innotuerant, publicæ pœnitentiæ subjacuisse. Porro peccata canonica ea vocabantur, quibus nominatim certæ pœnæ statutæ erant per canones. Erant autem hæc *idololatriæ*, *homicidii*, et *adulterii* crimina, eorumque species manifestæ.

244. 6) Pœnitentia publica non poterat, saltem in Ecclesia Romana, iterari.

245. 7) In articulo mortis, Absolutio et Eucharistia non denegabatur; quod si in Ecclesiis quibusdam particularibus denegatæ fuerunt, id pro abusu habendum est, quem universalis Ecclesia nunquam approbavit.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

246. Subjectum Pœnitentiæ sunt omnes baptizati relapsi, ad quorum remittenda peccata potestas Clavium Ecclesiæ data est. Hic quæri potest, utrum subjectum sit liberum, an obligatum? utrum scilicet sacramentum Pœnitentiæ sit necessariæ receptionis, an vero liberæ, ita ut relapsis alia salutis via pateat? Respondet autem Fides, hoc sacramentum esse quasi alterum Baptismum, secundam post naufragium tabulam, qua qui non utantur, necessario sunt diluvio perituri.

Propositio, *de necessitate Pœnitentiæ.*
Quæstio.

PROPOSITIO.

Sacramentum Pœnitentiæ post Baptismum lapsis necessarium est, vel in re, vel in voto.

247. *Fide certum*, ex Trid. Sess. 14, can. 6 et cap. 2, collato cum Sess. 6, cap. 4.— In Sess. 14 dicitur : *Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* In Sess. autem 6: *Translatio in statum gratiæ, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto, fieri non potest.*

248. Dicitur in prop. *necessarium*, hoc est, *necessitate medii;* præscinditur enim a necessitate præcepti, quæ etiam

datur. — *Vel in voto*, i. e. in desiderio, quod nempe conjungitur cum contritione perfecta, vel in ea includitur.

249. Ad probationem sufficit ostendere, sacramentum esse necessarium generatim; quin opus sit speciatim demonstrare, ejusdem votum ad salutem sufficere; hoc enim in prop. *de contritione perfecta* jam præstitimus.

250. PROB. 1° Ex metaphora *Clavium:* quæ frustra darentur, si absque earum ope pateret ingressus. — Ex verbis *ligare et solvere, remittere et retinere:* si enim aliud præsto esset absolutionis medium, peccata, quæ non remittuntur, non vere essent retenta; atqui tamen, ut indicat illarum vocum antithesis, dicuntur retineri (utique negative tantum), quæcumque peccata non remittuntur. — Ex eo quod sacerdotes sint *judices,* et sacramentum sit verum *tribunal* in Ecclesia; tribunal autem, in omni regno, est officii necessarii, extra quod nulla absolutio reis impertita vim habet.— Ex eo demum, quod conferat Christus potestatem Clavium his verbis : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. XX, 21, atqui Christus ita ad peccata condonanda missus est, ut nemo remissionem peccatorum, nisi per Christum, possit recipere : *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem nisi per me,* Joan. XIV, 6; ergo similiter Apostoli, eorumque in hoc ministerio successores, ita sunt ad peccata condonanda missi, ut nemo nisi per eos, vel in re, vel saltem in voto, absolvi a peccatis possit.

251. 2° Patres consentiunt ut supra vidimus, prop. *de jure divino Confessionis;* ubi audivimus inter alios S. Chrysostomum, Homil. in mulierem Samarit., ita loquentem : *Qui homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult et pœnitentiam agere* : *in die illa, non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe traducetur*

QUÆSTIONES.

252. *Quodnam datur præceptum recipiendi sacramentum Pœnitentiæ?* — R. Præceptum divinum dari ostendimus, et quidem tale, ut necessitatem medii importet. Quandonam præceptum divinum *per se* urgeat, docent Moralistæ. —

Existit quoque præceptum Ecclesiasticum, quo præceptum divinum determinatur, et confessio annua præscribitur. Lex de hac re, anno 1215, in Conc. Lateranensi IV, can. 21 : *Omnis utriusque sexus,* constituta est; et in Trid. Sess. 14, cap. 5, et can. 8, confirmata. Verum, ante Conc. Later., confessionis annuæ præceptum dudum jam vigebat. Nam S. Chrysostomus, hom. 30, in Genes., quam in Majore hebdomade habuit, monet suos, *faciendam tunc esse puram et diligentem confessionem.*—S. Chrodegangus, episcopus Metensis, in Regula, cap. 32, præcipit jam sæculo VIII, ut ter in anno populus fidelis confessionem suo sacerdoti faciat.

ARTICULUS III.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI POENITENTIÆ.

QUÆSTIONES.

1° *Quinam sunt omnino effectus sacramenti Pœnitentiæ ? — 2° An peccata remissa redeunt propter relapsum ?*

253. QUÆR. 1° *Quinam sunt omnino effectus sacramenti Pœnitentiæ?* — R. Hi numerantur : remissio peccatorum et pœnæ æternæ, imo quandoque totius pœnæ temporalis. 2° Reviviscentia virtutum et bonorum operum, sive meritorum, quæ peccato erant mortificata. 3° Gratia sanctificans. 4° Gratia proprie sacramentalis, quæ, juxta probabiliorem sententiam (1), est jus quoddam gratiæ sanctificanti adnexum, ad gratias actuales opportuno tempore recipiendas, pro operibus pœnitentiæ perficiendis, peccatis vitandis, tentationibus vincendis, animæ sanitate restituenda. 5° Ex Pœnitentiæ sacramento ferventer suscepto solet consequi conscientiæ pax et serenitas, cum vehementi spiritus consolatione.

254. Omnes hi Pœnitentiæ effectus, ut consideranti patebit, ad communem finem, luctuosos nempe effectus peccati in anima reparandos, conspirant.

255. Effectus autem peccati sunt: 1° reatus culpæ, 2° reatus pœnæ, 3° perditio meritorum, 4° peccati reliquiæ.

256. 1° Reatus culpæ per absolutionem prorsus exstinguitur.

(1) Cfr. supra, tract. *De Sacram. in gen.* n. 162.

257. 2° Reatus pœnæ æternæ omnino tollitur; non vero, ut plurimum, totus reatus pœnæ temporalis.

258. 3° Perdita merita restituuntur. Hic vero notandum, quadruplicis generis opera distingui posse, nimirum: viva, mortua, mortificata et mortifera. — Opera *mortifera* sunt peccaminosa, sive peccata. — *Mortua*, sunt opera bona, quæ fiunt ab homine gratia sanctificante destituto; v. g. eleemosynæ a peccatore, quamvis operante cum gratia actuali, erogatæ. Hæc opera mortua non reviviscunt, cum nunquam fuerint viva, seu vitæ æternæ præmio digna; utilia tamen sunt, quia sæpe temporalem retributionem recipiunt in hoc sæculo; et, si ex gratia actuali procedant, ad gratiam veræ pœnitentiæ recipiendam disponunt, eamque de congruo fallibili merentur (1). — *Viva* sunt opera facta ex gratia ab homine justo. — *Mortificata* sunt ea, quæ fuerunt viva, utpote facta ab homine justo; sed, ob peccatum mortale ab eo patratum, vim omnem amiserunt perducendi illum ad vitam æternam (2). Jam vero, opera hujusmodi mortificata *reviviscunt* per pœnitentiam; seu, ut S. Thomas loquitur, *per pœnitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam æternam.* — Hæc reviviscentia, *licet non sit de fide*, quia tamen consensu Theologorum munitur, ac divinæ bonitati et humanæ fragilitati consentanea est, citra temeritatem negari non potest. Imo non desunt Scripturæ et Patrum testimonia, quibus hæc sententia fundatur (3); adde quod eadem firmetur ratione, ut S. Thomas ostendit (4), et modo loquendi Tridentini, in Sess. 6, cap. 16 et can. 32. — Porro nomine *meritorum*, vel *operum*, quæ reviviscunt, intelligendum probabilius est, non tantum jus ad certum gradum gloriæ, sed ipse gratiæ sanctificantis gradus, quo justus antequam peccavit fruebatur; ita ut jus ad gloriam una cum thesauro gratiæ, sublato peccati mortalis obice, non partim, sed *integre semper* restituatur.

259. 4° Reliquiæ peccati vocantur pravæ quædam dispositiones, aut habitus vitiosi ex præcedentibus peccatis pro-

(1) Cf. supra, tract *De gratia*, n. 378.
(2) Cf. Ezech. XVIII. 24. — (3) Cf. Antoine, *De Pœnit.* cap. 7, art. 3.
(4) P. 3, q. 89, art. 5. Cf. Suar. t. 19, disp. 14, sect. 1.

geniti : cujusmodi sunt corruptio appetitus, phantasiæ, humorum; perverso inclinatio voluntatis; cæcitas, hebetudo mentis; torpor animi ad spiritualia, turbatio conscientiæ, horror futuri sæculi, etc. Hujusmodi reliquiæ tolli non solent cum remissione culpæ: quod figuratum videtur in cæco illo Marc. VIII, cui lumen clarum oculorum, non illico, sed pedetentim restitutum est. Aliquando tamen per Dei gratiam subito tolluntur, prout, juxta S. Thomam (1), contigit Magdalenæ, Luc. VII. — Præfatæ reliquiæ sensim diminui, atque adeo tolli possunt frequenti sacramenti susceptione, actibus tum internis tum externis contra illas reliquias pugnantibus (2), præsertim vero sacramento Extremæ Unctionis in ægrotis.

260. Q. 2° *An peccata remissa redeunt, vel denuo propter relapsum imputantur?* — R. Peccata, semel remissa, per subsequens peccatum non redeunt, neque quoad culpam, neque quoad pœnam æternam, neque quoad eam pœnam temporalem, quæ pridem remissa fuerat: *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei.* Rom. XI, 29. — *Si impius egerit pœnitentiam,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Ezech. XVIII, 22. — Hæc sententia S. Thomæ communis est et certa (3).

(1) P. 3, q. 86, art. 1, ad 1.
(2) Cf. Trid. Sess. 14, cap. 8. — (3) Cf. S. Thom. p. 3, q. 88, art. 1. — Suarez, t. 19, *De Pœnit.*, disp. 13, sect. 1, 2, 3.

APPENDIX.

DE INDULGENTIIS.

QUÆSTIO PRÆVIA.

261. *Quid Indulgentiarum nomine intelligitur?* — R. Per sacramentum Pœnitentiæ, uti supra statuimus, non tota semper pœna temporalis remittitur; sed plerumque, debitum luendæ pœnæ remanet divinæ justitiæ solvendum. Quod si anima cum hoc reatu decesserit e vita, impeditur ab ingressu gloriæ, et in Purgatorium relegatur, donec reddat novissimum quadrantem.— Porro in præsenti vita, reatus pœnæ solvi potest per opera pœnosa, quæ justus cum Christi meritis conjuncta, divinæ offert justitiæ (1).

262. Præter hanc satisfactionem *propriam*, seu *ex propriis*, divinæ largitatis extensione datur fidelibus et aliud medium solvendi sua debita, nempe satisfactio *ex alienis*, quæ fit per orationes et bona opera aliorum fidelium, et præsertim per Indulgentias.

263. Indulgentia generaliter definiri potest: *Relaxatio pœnæ temporalis, facta per potestatem Clavium extra sacramentum.* Describitur a quibusdam: *Remissio totalis vel partialis, ab Ecclesia concessa, pœnitentiæ, quam imposuit vel imponere potuit, et simul pœnæ temporalis debitæ coram Deo.* Melius autem et communius: *Remissio facta pœnæ temporalis, debitæ peccatis quoad culpam condonatis, ex potestate Clavium, per applicationem satisfactionum, quæ in thesauro Ecclesiæ continentur.*

264. Indulgentiæ distinguuntur *plenariæ* et *partiales; temporariæ* et *perpetuæ; personales* et *locales*, etc.

265. Acerrima est de Indulgentiis cum Protestantibus controversia, a qua Protestantismus exordium sumpsit. Adversus ipsos, et neotericos quoscumque plus minus ipsis

(1) Supra, quæst. *de satisfactione extra-sacram.*, nn. 224, 225.

adhærentes, 1° stabiliemus definitum a Tridentino dogma; 2° ea quæ ad dogma propius accedunt, 3° ea quæ sunt liberæ discussionis tractabimus.

PROPOSITIO I.

Ecclesia potestatem habet concedendi Indulgentias, earumque usus populo christiano est maxime salutaris.

266. *De fide,* ex Trid. Sess. 25, *Decreto de Indulgentiis;* item ex Fidei catholicæ professione a Pio V edita.

267. *Indulgentia* hic generatim sumitur, pro *relaxatione pœnæ temporalis, quæ fit potestate Clavium extra sacramentum;* quin explicite asseratur hujusce relaxationis effectus coram Deo. Effectus enim ille sequenti prop. statuetur.

268. PROB. I PARS. 1° Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque...* His Domini verbis datur Petro potestas solvendi omnis vinculi spiritualis; atqui debita peccatis pœna temporalis est vinculum quoddam spirituale; ergo. — Datur potestas tollendi omne id, quod ab ingressu regni cœlorum animas prohibeat; atqui reatus pœnæ ab eo prohibet; ergo potestas datur illum reatum tollendi. Et quidem extra sacramentum : cum nihil assignari possit, quod sensum verborum Christi, tam generalium, ad solam potestâtem sacramentalem coarctet.

269. 2° *Ex usu perpetuo.* Paulus incestuosum Corinthium, quem, I Cor. V, 4 et 5, *satanæ tradiderat in interitum carnis ut spiritus salvus esset,* eumdem, anno vix expleto, ab imposita pœnitentia, quæcumque demum ea fuerit (1), liberavit rescribens; II Cor. II, 6 : *Sufficit illi objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis et consolemini... Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi.*

270. Inde novimus, antiquitus in Ecclesia viguisse morem lapsis in persecutione ulteriorem pœnitentiam relaxandi, ad preces martyrum. Cujus moris testes, inter alios, sunt Tertullianus (2) et Cyprianus (3).

271. Concilium Nic. I, can. 12, de pœnitentibus statuit : *Licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.*—Antea jam

(1) Cfr Estium et Bernard. a Piconio in h. loc. — (2) Lib. *ad martyres*, cap. I. — (3) Lib. *De lapsis* et epist. pluribus, ut 10 et 11.

Conc. Ancyranum, can. 5, anno 315, et paulo post Laodicense, can. 2, anno 370, idem statuerant.—Post sæc. VII, deprehendimus varias pœnarum canonicarum commutationes in alia opera bona, sive charitatis, sive mortificationis, sive pietatis; quæ commutationes præsertim in dedicationibus Ecclesiarum fieri solebant.

272. 3° Valet præscriptio : Non potest hujus praxis assignari initium; ergo semper obtinuit; ergo ab Apostolis initium accepisse credenda est.

273. II PARS. Salutarem esse Indulgentiarum usum, multis ostenditur rationibus : 1° hujusmodi usus consilio ipsius Christi respondet, qui ideo Indulgentiarum potestatem dedit Ecclesiæ suæ. — 2° Salutare et utile est liberari a pœnis et obstaculis, quæ adeptionem summi boni retardant.— 3° Usus Indulgentiarum confert ad accuratam infiniti illius thesauri æstimationem, qui meritis ac satisfactionibus Salvatoris constat. — 4° Ostendit pulcherrime communionem Sanctorum, seu nexum et commercium inter membra Ecclesiæ.—5° Eximie juvat morale hominis bonum et sanctitatem : ad fidem, spem, charitatem, summamque pietatem provocat : ut experientia, præsertim occasione Jubilæi, manifestum est.

PROPOSITIO II.

Indulgentiæ liberant fideles a reatu pœnæ, non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.

274. *Fidei proxima*, ut constat ex variis propositionibus damnatis, nimirum 19ª Lutheri, a Leone X confixa; et 40ª ac 41ª Synodi Pistor., a Pio VI proscriptis et notatis; item Petri Oxomiensis prop. 6ª damnata a Sixto IV, 1479.

275. Dicitur : *non tantum coram Ecclesia*, h. e. non pertinet simpliciter ad humanam Ecclesiæ politiam, sicut remissio quæ homini in carcere detento fit ob nativitatem Principis, et nihil prodest coram Deo. — *Coram Deo* : ita ut remissio æque valeat, ac si Deus ipse, qui pœnam pro peccato imposuit, eamdem gratis remitteret; atque eodem modo valeat pœna remissa, ac si reapse perpessione soluta esset.

276. PROB. 1° Iisdem ac supra Scripturæ locis, quibus patet non tantum dari potestatem solvendi, sed ita solvendi in terra, ut simul solutio rata habeatur in cœlo.

277. 2° Ex Ecclesiæ sensu, quæ semper ea intentione concessit relaxationes. Antiqua formula, qua feria V, *in Cœna Domini*, ab Episcopo fidelibus pœnitentia relaxabatur, quæque adhuc legitur in Ordine Romano, hæc habet : *Deus humani generis conditor et reformator... agnosce oves tuæ redemptionis constrictas vinculis peccatorum, Ecclesiæ tuæ precibus exoratus, absolve.* Cyprianus, epist. 12 : *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prærogativa eorum apud Deum juvari possunt...*

278. 3° Ratione, juxta S. Thomam, Supplem. q. 25, art. 1 : *Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens*, i. e. si Indulgentias faceret tantum coram seipsa, non etiam coram Deo, *magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis.* Atqui tamen credere tenemur, *Indulgentiarum usum esse christiano populo maxime salutarem ;* ergo.

279. OBJIC. 1° Vel indulgentiæ non dantur absolute, sed *dependenter* a peculiari pœnitentia et absolutione : et sunt inutiles ; vel *independenter* a qualibet pœnitentia ; et sunt noxiæ ; ergo. — R. Dantur dependenter ab *aliqua* pœnitentia peragenda, sed quæ ordinarie longe abest ab adæquanda pœna ob culpas promerita. Ergo non sunt inutiles. — Dantur dependenter a certis operibus bonis, ad utilitatem animarum facientibus, etc. ; dantur ad sanctissimos fines, etc. ; ergo non sunt noxiæ.

280. *Obj.* 2° Antiquissimis temporibus Indulgentiæ non erant aliud, nisi relaxationes pœnitentiæ canonicæ ; ergo. — R. *Dist.* Relaxationes validæ coram Deo, juxta modum in Propositione explicatum, *conc. ;* validæ tantum coram Ecclesia, *neg.*

281. *Obj.* 3° Sancti nunquam in animo habuerunt, præter propria, etiam aliena solvere debita ; ergo. — R. Expresse, seu intentione explicita, *trans. ;* implicita aut virtuali, *nego.*

PROPOSITIO III.

Datur in Ecclesia Indulgentiarum thesaurus, constans ex meritis Christi et Sanctorum.

282. *Fidei proxima*, ut patet ex propositionibus damnatis Luther. 17, Baii 40 et Pistor. 41.

283. *Thesaurus* Ecclesiæ est cumulus bonorum spiritualium, permanentium in acceptatione divina, et quorum distributio Ecclesiæ est concredita. Primario et essentialiter coalescit ex superabundantibus Christi meritis ; deinde, secundario et per accidens, ex meritis B. V. Mariæ, et superfluis satisfactionibus Sanctorum.

284. Merita Christi et Sanctorum, si vox lato sensu sumatur, complectuntur non tantum eorum *merita stricte dicta*, sed etiam *impetrationes* et *satisfactiones*. Animadvertendum enim est, omne opus bonum simul esse *meritorium, impetratorium* et *satisfactorium*. Quatenus vitæ æternæ meritorium, est personale et inalienabile; quatenus impetratorium et satisfactorium, potest in alterius gratiam applicari. Exemplo sit filius familias patri suo dilectissimus, qui, si vigilaverit et ministraverit patri ægrotanti, triplicem hunc fructum retulit : 1° patri charior factus est; en *meritum* inalienabile; 2° fratri autem suo, qui patrem offendit, veniam, et 3° pœnæ inflictæ remissionem, propter obsequia sua impetrare potest; en *impetratio* et *satisfactio*. Atqui hæc tria similiter continentur operibus Christi et Justorum : in Christi quidem operibus, ex dignitate et virtute propria; in Sanctorum vero operibus, ex participatione gratiæ Christi dignificantis. Hac Christi gratia efficitur, ut opera Sanctorum, quasi intincta sanguine Domini, digna sint vitæ æternæ, et vim *meritoriam*, *impetratoriam* et *satisfactoriam* oculis Dei habeant.

285. Ex his porro operibus Christi et Sanctorum thesaurus Ecclesiæ conficitur. Scilicet illa vis impetrativa et satisfactiva Sanctorum, qua ipsi non indiguerunt, Christi meritis adjungitur; non per modum supplementi, cum Christi merita sufficientissima sint; sed per modum cumuli, aut per modum fructus sive lucri meritorum Christi.

286. PROB. PARS I. *Datur indulgentiarum thesaurus.* Id sequitur ex propos. præced. Ecclesia enim potest Indulgentias concedere ; id est, satisfactiones ex alieno solvendas filiis suis applicare. Atqui id non posset, si thesaurum hujusmodi satisfactionum non haberet. Ergo.

287. PARS II. *Constat iste thesaurus, primario et per se, ex meritis et satisfactionibus Christi.* Etenim thesaurus hic constat primario his satisfactionibus et meritis, quæ primario a Christo sunt Ecclesiæ pro hominibus concredita, et applicatione nulla exhauriri possunt. Atqui hujusmodi sunt Christi satisfactiones et merita, quæ pro hominibus in Ecclesia exstant deposita, et copiosissima sunt ac infinita (1).

288. PARS III. *Et satisfactionibus Sanctorum.* Id fluit ex dogmate communionis Sanctorum (2), quo credimus Ecclesiæ membra inter sese, sicut membra corporis organici, in spiritualibus bonis communicare. Atqui plures sunt satisfactiones Sanctorum, quæ ipsis fuere superfluæ. Ergo hæc fratribus ipsorum communicantur; id est, in corpus Ecclesiæ dimanant ad fidelium utilitatem.

PROPOSITIO IV.

Indulgentiæ per modum suffragii animabus purgatorii applicari possunt.

289. *Certa* propositio, ut patet tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex damnatione prop. 6æ Petri de Osma, ac Pistor. 42 et 43.

290. Dicitur : *per modum suffragii;* quia Ecclesia in animas defunctorum, Clavibus non amplius subjectas, nulla jurisdictione gaudet, ut ipsis satisfactiones per modum sententiæ et absolutionis applicare possit. Restat igitur ut per modum *suffragii* illas applicet.

291. *Suffragium* bifariam sumitur : 1° pro *subsidio*, quod sibi fideles mutuo præstant, præsertim precationibus ; 2° pressius, est *solutio pro altero*, qua pro ipso satisfit, dummodo illa solutio a creditore acceptetur.

(1) Cf. tom. I, *de meritis Christi*, n. 330 seqq. ubi testim. Clem. VI.
(2) Cf. infra, *De novissimis;* cap. 2, art. 1, n. 108.

292. Jam vero dum Indulgentias Ecclesia defunctis applicat per modum suffragii, satisfactionem deponit ad pedes Dei, supplicans, ut hujus oblatæ solutionis intuitu, pro sua misericordia dignetur, vel totam pœnam defunctis debitam, vel ejus partem condonare.

293. PROB. 1° Ex dogmate quo constat, suffragia viventium defunctis prodesse. Trid. Sess. 25, *Decret. de Purgatorio.*

294. 2° Ex dogmate communionis Sanctorum : *Neque enim*, scribebat S. Augustinus, *piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia... Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti membra ejus sunt?* De Civit. l. 20, c. 9, n. 2.

295. 3° Ex auctoritate Romanorum Pontificum, inter quos Joannes VIII, an. 878, et Joannes IX, an. 900, Indulgentias in suffragium defunctorum concesserunt; Sixtus vero IV damnavit (1479) Petri de Osma propositionem : *Romanum Pontifex purgatorii pœnam remittere non potest.*

296. 4° Ex universali Ecclesiæ sensu et praxi.

297. OBJIC. 1° Non apparet, in quo differat Indulgentia per modum suffragii a quavis oratione, quæ pro defunctis offeratur. — R. *Neg. assertum.* Qui orat, non offert solutionem debiti; qui vero Indulgentias applicat defunctis, præter vim impetrandi, offert, et quidem Ecclesia ex officio id præstante, quantum opus est ad debiti solutionem.

298. *Obj.* 2° Incertum est, utrum Deus acceptet suffragia pro defunctis. — R. Utrum acceptet *in particulari* pro eo, pro quo offeruntur, *trans.*; incertum est, utrum acceptet *in genere* pro animabus Purgatorii, quas voluerit, *neg.* Deus profecto ratum habet, quod ab Ecclesia ejus nomine et auctoritate fit. Hinc, si nihil obstet, cæteris paribus, magis prodest Indulgentia illi, pro quo offertur, quam aliis.

QUÆSTIONES.

1° *Indulgentia estne solutio, an potius absolutio dicenda ? — 2° Quid in concedente Indulgentiam ad valorem requiritur ? — 3° Quid in suscipiente ad lucrandam Indulgentiam requiritur ?*

299. QUÆR. 1° *Indulgentia estne solutio an potius absolutio dicenda?* — R. Indulgentia respectu defunctorum, est *solutio* tantum; respectu autem viventium, est *absolutio* simul et *solutio*. Nam, juxta Bellarminum (1), Indulgentia proprie est absolutio judiciaria, annexam habens solutionem ex Thesauro.

300. Q. 2° *Quid in concedente Indulgentiam ad valorem requiritur?* — R. In concedente, præter potestatem, requiritur justa et rationabilis causa, ideoque Indulgentiæ quantitati proportionata. Concedens enim non est dominus thesauri, sed dispensator, qui fidelis esse debet. Ad causam autem justam et proportionatam duo, juxta Bellarminum, requiruntur : 1) finis aliquis pius, cujus assecutio magis placeat Deo, quam satisfactio pœnalis, quæ per Indulgentiam relaxatur; 2) opus aliquod, quo revera finis ille probabiliter obtineri possit. Summus Pontifex non est culpabilis circa hoc punctum, quia potestatem habet circa dispensationem gratiæ vel concedendi circa hoc plenitudinem.

301. Q. 3° *Quid ad lucrandam Indulgentiam in suscipiente requiritur?* — R. Requiritur 1) status gratiæ ; quia peccatori inimico Dei nulla fit remissio, cum tali remissione sit indignus, nec aliunde ullam a Deo promissionem habeat Indulgentiæ consequendæ. 2) Requiritur integra executio operis, ab eo, qui Indulgentiam concessit, præscripti. 3) Præterea, ad consequendam Indulgentiam plenariam omnium peccatorum, etiam venialium, requiritur horum omnium detestatio, ita ut voluntarius affectus erga quodvis veniale abjiciatur. Etenim pœna veniali culpæ debita non remittitur, nisi reatus ejusdem culpæ remittatur; nullius autem venialis culpæ reatus homini remittitur, nisi culpam saltem virtualiter detestetur, aut certe affectum ad illam, in sacramentis suscipiendis, deponat (2). In exercitio stationum omnis qui omittit unam stationem est pars substantialis et non recipit indulgentias.

(1) *De Indulg.* lib. I, cap. 5 — (2) Supra, cap. 2, art. 3, n. 195.

302. Omnia hæc, quæ de valore Indulgentiarum diximus, paucis complectitur S. Thomas scribens: *Indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis charitas, et ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem* (1).

(1) *Supplem.* q. 25, a. 1, 2. — Cf. Maurel, *Le Chretien éclairé sur la nature et l'usage des Indulgences.*

TRACTATUS XV.

DE EXTREMA UNCTIONE (1).

1. Sacramentum Extremæ Unctionis, ultimum eorum, quæ ad individua Ecclesiæ membra spectant, Pœnitentiæ apte subjungitur, cujus veluti complementum aut consummatio est. Quemadmodum enim Confirmatio, tanquam Baptismi perfectio et quædam consummatio, a Patribus spectata est et nuncupata; sic Extrema Unctio ab iisdem habita est pro complemento et consummatione Pœnitentiæ imo totius christianæ vitæ; quippe quæ perpetua, ut Tridentinum loquitur (2), pœnitentia esse debet. Pœnitentia namque ad delenda peccata. Extrema Unctio vero ad tollendas peccatorum reliquias adhibetur.

2. Vocatur hoc sacramentum a Græcis ἅγιον ἔλαιον, *Oleum sanctum; vel* εὐχέλαιον, *Oratio cum oleo conjuncta;* — a Latinis vero, *Unctio infirmorum*, *Sacramentum exeuntium*, *Unctio Extrema*, quæ ultima appellatio post sæculum XII (3), communius obtinuit.

3. Definiri potest: *Sacramentum N. L., quod per unctionem olei benedicti, et orationem præscriptam, a sacerdote confertur infirmis, ut sanitatem animæ et corporis consequantur.*

4. Circa hoc sacramentum, dogmatice spectatum, tria efficienda nobis sunt: I. *Doctrina catholica exponenda;* II. *Veritas hujus sacramenti demonstranda :* quo uno dogmate stabilito,

(1) S. Thom. *Supplem.* qq. 29-33. — (2) Sess. 14, *Doctr. de Extr. Unct.* — (3) Mabillon. *Præf. in sæcul.* I *Benedict.* n. 98.

cætera sponte sequuntur; III. *Quædam speciatim de ejus natura et effectibus inquirenda.*

§ I. Doctrina catholica.

5. — DECRETUM CONCILII FLORENTINI.

Quintum sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet; qui in his locis ungendus est : in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc : Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, *etc. Et similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos. Effectus vero est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus Jacobus Apostolus :* Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum et alleviabit eum Dominns : et si in peccatis sit, remittentur ei.

6. — CANONES CONCILII TRIDENTINI, SESS. 14, DE EXTREMA UNCTIONE.

Can. 1. *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum ; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum ; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratiam curationum ; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni ; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate ; ob idque*

proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.

§ II. Veritas sacramenti Extremæ Unctionis.

7. Hoc sacramentum non proprie rejecisse putantur Waldenses, Albigenses aut Wiccleffitæ, quemadmodum sensisse videtur Bellarminus; sed ut ostendit Bossuet (1), omnium primi Protestantes Extremam Unctionem a sacramentorum albo expunxerunt.

PROPOSITIO.

Extrema Unctio est verum et proprie dictum N.L. sacramentum.

8. *De fide*, ex Trid. can. 1 de Extrema Unct.

9. PROB. 1° Verbis B. Jacobi, cap. V, 14 et 15, modo citatis: *Infirmatur quis in vobis ?* etc.; ubi tria inveniuntur, quæ sacramentum constituunt: signum extrinsecum, productio gratiæ et permanens Christi institutio. Imo ibidem in specie designantur omnia, quæ ad hoc sacramentum pertinent. Dicendo *infirmatur quis*, significat Apostolus, subjectum hujus sacramenti esse hominem ita graviter decumbentem, ut exire ad ecclesiam non valeat; quod et voces græcæ ἀσθενεῖ, κάμνοντα, manifestius denotant; eumdemque esse hominem baptizatum indicat, addendo *in vobis*, i. e. fidelibus. — *Inducat presbyteros :* en minister sacramenti, sacerdos. *Orent super eum... et oratio fidei:* en forma sacramenti deprecativa. — *Ungentes*, en materia proxima, unctio. — *Oleo in nomine Domini*, en materia remota, oleum benedictum. — *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et, si in peccatis sit, remittentur ei:* en hujus sacramenti effectus, ut constans traditio docet.

10. 2° Traditione, quæ constat — 1) ex Patribus. Innocentius, I, anno 400, ad Decentium Eugubinum scribebat: *Illud quod in B. Apostoli Jacobi epistola conscriptum est: Infirmatur quis in vobis, etc., non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed*

(1) *Hist. des variat.* l. 11, §§ 108, 109, 180.

omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo... Pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi ? Epist. 25, cap. 8. — Simile testimonium perhibet, sæc. III, Origenes. *Homil. II in Levit. n. 4.*

11. — 2) Ex Synodorum decretis. Præter decretum Florent. pro Armenis, exstant Synodi Ticinensis can. 8, an. 850 ; — Moguntinæ can. 26, an. 847 ; — Aquisgranensis can. 5, an. 836 ; — Cabillonensis cap. 48, an. 813.

12. — 3) Ex constanti Ecclesiæ orientalis et occidentalis consensu : qui patet ex libris Ritualibus et Euchologiis ; — ex responso Jeremiæ CP. Patriarchæ Wittembergensibus dato, 1570 ; et ex damnationibus Cyrilli Lucaris, an. 1638, 1642 et 1672.

13.—4) Ex factis historicis : sæc. X, legitur sacro Oleo inunctus fuisse S. Oswaldus, Episcopus Eboracensis ; sæc. VII, S. Hunegundis (1) ; sæc. VI, S. Eugenius, S. Engenradus, S. Tresanus, similiter Oleo infirmorum inuncti perhibentur (2).

14. 3° Accedit ratio convenientiæ. Juxta Trid. Sess. 14, *de Extr. Unct. in præamb.*, cum Dominus sacramenta nobis, inde ab ingressu vitæ nostræ per totum ejus decursum, præparaverit ; non putandus est in ipso vitæ exitu constitutis, ubi tanto munimine indigemus, defuisse.

15. OBJIC. S. Jacobus loquitur, vel de naturali olei virtute ad sanandas infirmitates corporales ; vel saltem, de gratia curationum gratis data, quæ frequens erat in Ecclesiæ primordiis. Ergo testimonium allatum non probat, Extremam Unctionem esse sacramentum. — R. *Neg. antec.* Etenim 1° In adversariorum hypothesi, S. Jacobus non presbyteros vocandos esse dixisset, sed medicos, aut eos qui dono curationum pollerent ; quod profecto donum neque omnibus, nec, multo minus, solis presbyteris erat concessum, — 1° Gratia curationum non pro solis decumbentibus dabatur, de quibus tamen solum agit S. Jacobus ; sed etiam pro quacumque alia

(1) Apud *Surium*, in ejus vita.
(2) Bolland. Aug. t. 4, pag. 627 ; Jan. t. I, p. 54 ; — S. Tresan. 11 febr.

infirmitate laborantibus, ut cæcis, claudis, etc. — 3° Remissio peccatorum, quam Apostolus ut effectum istius unctionis assignat, neque naturali virtuti olei, neque dono curationum tribui potest.

§ III. Quæstiones de Extremæ Unctionis causis et effectibus.

1° *Quænam est Extremæ Unctionis materia ?—2° An essentialis est benedictio olei, eaque ab Episcopo facta ? — 3° An materia huic sacramento convenienter est adaptata ?—4° Quæ est ejus forma ?—5° Quis ejus finis, qui effectus ? — 6° Quid circa effectum sanationis adnotandum ? — 7° Quænam sunt hujus effectus impedimenta ?*

16. QUÆR. 1° *Quænam est Extremæ Unctioni materia?* — R. Materia *proxima* est inunctio ægroti ad quasdam corporis partes, quæ sunt saltem quinque sensus, adhibita; vel, ut minimum, juxta sententiam non improbabilem (1), ad unam corporis partem, sub unica forma universali, omnes sensus complectente. — Materia *remota* est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Ex verbis enim S. Jacobi *ungentes eum oleo*, Patres et Concilia, speciatim Flor. concludunt, oleum olivarum requiri; tale enim intelligitur, cum oleum simpliciter appellatur. Huc accedit Ecclesiæ orientalis et occidentalis consensus et praxis.

17. Q. 2° *An essentialis est olei benedictio, eaque ab Episcopo facta?*—R. 1) De benedictione Tridentinum, cap. I, ita docet: *Ex apostolica traditione per manus accepta... intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* Ex quibus verbis, atque ex aliis argumentis, concludunt TT., probabilius de necessitate sacramenti requiri, ut oleum sit benedictum. 2) Circa necessitatem benedictionis ab Episcopo faciendæ, communius docent, Episcopum esse benedictionis ministrum ordinarium; extraordinarie tamen sufficere benedictionem presbyteri, si expresse vel tacite id ei fuerit a summo Pontifice commissum. Constat enim, in Ecclesia orientali a mille

(1) Quam tamen sententiam practice sequi non licet, nisi in urgenti mortis periculo.

et amplius annis morem obtinuisse, ut presbyteri oleum infirmorum benedicerent.

18. Q. 3° *An materia huic sacramento convenienter est adaptata?* — R. Oleum olivarum optime Extremæ Unctionis effectus repræsentat : oleum namque sanat, lenit, recreat, lucet, robur membris conciliat (1). — Oleum debet esse benedictum, ut significetur, illud non suapte natura, sed Spiritus sancti virtute, morbis animæ mederi.

19. Q. 4° *Quænam est forma Extremæ Unctionis?* — R. Est precatio, quam sacerdos inter ungendum pronuntiat ; nimirum, apud Latinos : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum.... auditum.... odoratum.... gustum et locutionem.... tactum.... gressum.... lumborum delectationem deliquisti.* — Apud Græcos : *Pater sancte, medice animarum et corporum, sana servum tuum hunc ab illa, quæ ipsum detinet, corporis et animæ infirmitate.* — Utrum essentia sacramenti postulet, ut forma sit deprecativa, controvertitur.

20. Q. 5° *Quis est hujus sacramenti finis, et qui sunt effectus?* — R. 1) *Finis* omnium *præcipuus* est animi corroboratio adversus difficultates in articulo mortis occurrentes. 2) Finis *secundarius* est, *per se* proxime disponere animam ad introitum gloriæ, tollendo peccata, pœnas temporales ac reliquias peccati (2). — 3) Finis *contingens* est sanitas corporalis, vi propria sacramenti, si id expediat Deoque placuerit, restituenda (3). — Hinc Extremæ Unctionis *effectus* enumerantur quinque : 1) gratia ; 2) peccatorum, si qua supersunt, remissio ; 3) reliquiarum peccati sublatio ; 4) animi alleviatio ; 5) corporis sanatio, si expediat.

21. Q. 6° *Quid circa effectum sanationis adnotandum est?* — R. Sanatio corporalis non efficitur *semper*, sed, ut habet Tridentinum, *interdum, ubi saluti animæ expedierit;* nec tunc *infallibiliter* juxta quosdam, sed *in quantum expedit*, scilicet, secundum ordinem divinæ providentiæ et justitiæ. — S. Thomas (4) dicit : *Ex hoc sacramento non semper sequitur*

(1) Cf. S. Thom. *Supplem.* q. 29, a. 4. — (2) Cf. supra *de Pœnit.* n. 259.
(3) Cf. Trid. Sess. 14, *de Extr. Unc.* cap. 2.
(4) *Supplem.* q. 30, a. 2. — Cfr. Suar. t. 19, disp. 41, sect. 1-4.

corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem; et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum, ex parte recipientis. — Effectum sanationis conferri *ex opere operato* probabilior sententia est; licet sanitas non subito, sed sensim et per modum medicationis obtineatur.

22. Q. 7° *Quænam sunt corporalis sanationis, per hoc sacramentum consequendæ, impedimenta?* — R. 1) Indispositio recipientis. 2) Defectus fidei sive fiduciæ in eodem. 3) Nimius morbi progressus, ita ut sanitas, nisi per manifestum miraculum et contra naturam, recuperari non possit. Licet enim sanatio corporalis hoc sacramento fiat supernaturali virtute, non tamen est miraculosa appellanda; quia efficitur operatione ordinaria et suavi, quemadmodum naturales medicinæ solent operari. — 4) Ordinatio divinæ providentiæ et justitiæ aliter statuentis (1).

(1) Cfr *Catech. Rom.* cap. 25, n. 3.

TRACTATUS XVI.

DE ORDINE.

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Notio Ordinis.* — § III. *Doctrina catholica.* — § IV. *Errores contrarii.* — § V. *Instrumenta.* — § VI. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum.

1. Quinque priora sacramenta, ut vidimus, ad individua Ecclesiæ membra pertinent, et ad hominis spiritualis formationem, instaurationem et omnimodam consummationem ordinantur. — Duo ultima sacramenta bonum publicum magis spectant quam privatum : Ordo ad spiritualem, Matrimonium vero ad carnalem fidelium multiplicationem est institutum. — De Ordine, utpote nobiliore, primum est agendum.

2. Ordo in Ecclesia Christi locum primarium obtinet, quoniam totius Ecclesiæ veluti fulcrum et columna existit. Ex hoc enim sacramento gignitur admirabilis illa hierarchia, qua totum corpus Ecclesiæ sustentatur et regitur.

3. Sicut Eucharistia dignissimum sacramentum est *in se,* ita Ordo dignissimum est *in effectu :* evehit enim hominem ad dignitatem ineffabilem, ipsius Christi dignitatis simillimam. Quo spectat hæc Prophetæ exclamatio : *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum!* Ps. CXXXVIII. Et hæc verba Domini : *Pater,.. ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis..* Joan. XVII, 22.

§ II. Notio Ordinis.

4. Ordo *generatim*, est *apta rerum inter se et ad aliquem finem dispositio.* Hinc ab Augustino (1), ordo dicitur *parium dispa-*

(1) *De Civit.* l. 19, c. 13.

riumque rerum, sua cuique loca tribuens, dispositio; et a Catechismo Trid., *dispositio superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita aptatæ sunt, ut una ad alteram referatur* (1).

5. Ordo *speciatim* sumptus, respectu personarum alicujus communitatis vel reipublicæ, est *certus status seu gradus, in quo plures sunt ejusdem dignitatis viri :* quales erant ordo senatorius, ordo equestris in republica Romana.

6. Ordo *specialius* consideratus, relate ad præsens institutum, et ad rem ecclesiasticam, sumitur dupliciter : pro hierarchia ecclesiastica, et pro ritu sacro. 1° Ordo sumptus *pro hierarchia ecclesiastica*, qui *clerus* dicitur seu *ordo clericalis*, est *certus hominum status, in quo sunt varii gradus, alii aliis superiores, divinitus destinati ad sacra munia obeunda et fidelibus dispensanda sacramenta.*— 2° Ordo acceptus *pro ritu sacro*, est *actio externa, qua varii illi gradus conferuntur.* Quo sensu melius *ordinatio* quam *ordo* nuncupatur, cum ordo potius sit ordinatio passiva, et tanquam effectus ex ordinatione resultans. — Ritus Ordinis a Græcis vocatur *χειροτονία, χειροθεσία,* eo quod ministri sacri per electionem, *χειροτονίαν*, vocarentur ad ecclesiasticam dignitatem, et per manus impositionem, *χειροθεσίαν*, consecrarentur.

7. Diximus, Ordinem, quem postremo loco definivimus, accipi pro *ritu sacro;* non tamen diximus, illum accipi pro *sacramento:* Ordo enim acceptus pro ritu sacro, omnes prorsus gradus, seu ordines particulares complectitur, etiam eos, in quibus, ex plurimorum sententia, sacramenti ratio desideratur. Cum autem accipitur hoc nomen pro sacramento designando, ad eos tantum gradus refertur, in quibus vera sacramenti ratio dignoscitur.

8. Ordo itaque *stricte* sumptus pro sacramento, definitur : *Sacramentum N. L. quo spiritualis potestas confertur et gratia, ad ecclesiastica munia rite decenterque obeunda.*

9. Agendum nobis est de Ordine, non tantum prout est sacramentum, sed etiam, propter materiæ connexionem et integritatem, prout est genus ritus sacri, quod varios ordinationum gradus, sive sacramenta sint sive non, complectitur.

(1) Cap. 26, n. 3.

§ III. Doctrina catholica.

10. Sacerdotium externum et visibile Christus in nova Lege instituit : non omnibus commune, sed Apostolorum proprium, et in Ecclesia propagandum ritu externo, in quo veri sacramenti ratio continetur.

11. Ordo itaque, sive sacra Ordinatio, qua ministri altaris initiantur, unum est e septem N. L. sacramentis.

12. Sunt autem in Ecclesia varii ordines, majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tenditur.

13. Per verum sacramentum conferri 1° Presbyteratum, est doctrina *ad fidem pertinens*; 2° Episcopatum, in quo viget sacerdotii plenitudo, est *communis sententia*; 3° Diaconatum, in quo viget ministerii plenitudo, est *certo sententia*.

14. Episcopi sunt presbyteris superiores jure divino; ipsique soli potestatem ordinandi habent.

§ IV. Errores contrarii.

15. 1° Circa Ordinem errarunt sæculo XII Waldenses, qui dicebant, sacerdotes, cum non observarent paupertatem apostolicam et peccata committerent, jam non esse veros sacerdotes; et bonos laicos majorem quam ipsos potestatem habere.— 2° Ordinis sacramentum negarunt passim Protestantes omnes, exceptis forsan Anglicanis (1). — 3° Presbyteros esse æquales Episcopis docuit Aerius, sæculo IV, et postea, sæc. XIV et XVI, Wicleff et Presbyteriani. — 4° Cælibatum impugnant Protestantes omnes.

§ V. Instrumenta dogmatica.

16. 1° Inter instrumenta traditionalia eminent S. Chrysostomi libri sex *De sacerdotio*, Epistola S. Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum; item antiqui in Ordinationibus usurpari soliti rituales libri, qui apud Morinum, Goarium et Martene videri possunt.

(1) Cf Illustr. Kenrich, Theol. dogm. t. 3, *De Ordine.*

17. 2° Instrumenta canonica sunt Decretum Concilii Flor. pro Armenis, et Concilii Trid. Sess. 23, de sacramento Ordinis canones 8.

18. — DECRETUM CONCILII FLORENTINI.

Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo : sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero, per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero, per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem : et similiter de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est : Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : *et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.*

19. — CANONES CONCILII TRIDENTINI, SESS. 23.

Can. 1. *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum ; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi ; sed officium tantum, et nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes ; anathema sit*

Can. 2. *Si quis dixerit, præter sacerdotium, non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; anathema sit.*

Can 3. *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum ; anathema sit*

Can. 4. *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere : Accipe Spiritum sanctum ; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse ; anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias Ordinis cæremonias ; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris ; anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores ; vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi ; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem ; vel Ordines ab ipsis collatos, sine populi vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse ; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros; anathema sit.*

Can 8. *Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum ; anathema sit.*

§ VI. Divisio.

20. Etsi magis opportunum per se videtur esse, ut primo de Ordine quatenus est hierarchia, deinde de Ordine quatenus sacramentum est, disseratur ; tamen, quoniam de institutione divina Ordinis hierarchici, ejusque distinctione ab ordine laicali, egimus in tractatu de Ecclesia, ideo alia methodo hic nobis est procedendum. Ut itaque omnia quæ tractanda sunt commodo disponamus, duo censemus statuenda capita.

Caput I, *de veritate et gradibus sacramenti Ordinis.*
Caput II, *de causis et effectibus sacramenti Ordinis.*

CAPUT PRIMUM.

DE VERITATE ET GRADIBUS SACRAMENTI ORDINIS.

21. Cum quæritur, *utrum Ordo sit sacramentum?* sensus quæstionis est, utrum detur aliquis ritus ordinandi, sive singularis sive multiplex, qui sacramenti rationem habeat? — Quando autem quæritur, *quot dentur gradus in Ordine?* sensus non est præcise: quot dentur ordinationes speciales conclusæ tanquam partes in sacramento Ordinis; sed quot dentur gradus in ordinationum ritibus, sive habeant sacramenti rationem, sive non habeant? Etiamsi certum esset, quod tantum probabile est, aliquas ordinationes sacramenti rationem non habere, hæ nihilominus possent gradus sacramenti Ordinis vocari; quia saltem essent veluti hujus sacramenti inchoationes, et ad ipsum ducerent. — Existere in Ecclesia sacramentum Ordinis, existere quoque varios ordinationum gradus, quorum saltem aliquibus competit ratio sacramenti, duobus articulis demonstrandum est.

Articulus I, *de veritate sacramenti Ordinis.*
Articulus II, *de variis Ordinis gradibus.*

ARTICULUS I.

DE VERITATE SACRAMENTI ORDINIS.

PROPOSITIO.

Ordo, vel Ordinatio, qua ministri sacri inaugurantur, verum est ac proprie dictum N. L. Sacramentum.

22. *De fide*, ut patet ex Trid. Sess. 23, can. 3.

23. PROB. 1° *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* I Tim. IV, 14.—*Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* II Tim. I, 6. Quibus in verbis tria inveniuntur, quæ sacramentum faciunt:

ritus, gratiæ promissio ritui annexa, et mandatum seu institutio divina, quam ipsa gratiæ promissio satis designat.

24. 2° S. Hieronymus ordinantem assimilat baptizanti : *Si in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit, et in fide sua sacerdotem constitutum constituens non inquinavit.* Dialog. adv. Luciferianos n. 11. — S. Gregorius Nyssenus : EADEM VERBI (Christi) VIS SACERDOTEM AUGUSTUM *ac honorandum facit,* NOVITATE BENEDICTIONIS *a communitate vulgi segregatum. Quum enim heri ac tempore superiori, unus e multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul; eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat,* INVISIBILI QUADAM VI AC GRATIA *invisibilem animam in melius transformatam gerens.* Orat. in Baptism. Christi (1).

25. 3° Perpetua orientalis et occidentalis Ecclesiæ consensio ex ritualibus patet, et ex Synodorum decretis. In Chalced. can. 2, legitur : *Si quis Episcopus propter pecunias Ordinationem fecerit, et* NON VENALEM GRATIAM *vendiderit, de proprio gradu in periculum veniat.*

26. 4° Accedit ratio theol. Apostoli sacerdotium suum in Ecclesia propagare debuerunt ; atqui hoc fieri non potuit, nisi per sacramentum ; ergo — *Prob. minor.* Non potuit propagari sacerdotium sine externo ritu ; siquidem hujusmodi propagatio sensibili modo fieri debuit, utpote peragenda inter homines, qui nullam, nisi ope sensuum, societatem et communicationem mutuam instituunt. Porro externus ille ritus ordinandi, cum ad essentialem Ecclesiæ constitutionem pertineat, non potuit nisi ex mandato Christi stabiliri. Præterea annexam habere debuit gratiam, illi similem quam acceperunt Apostoli, dicente Domino : *Accipite Spiritum sanctum,* Joan. XX, 22 ; cum omnibus scilicet Spiritus S. effectibus, quorum præcipuus est gratia. Cf. II, Tim. I, 6.

27. OBJIC. 1° Gratia, de qua Apostolus loquitur ad Tim., non est gratia sanctificans, sed gratia prophetiæ aut alia gratis data : quod patet ex voce χάρισμα, quæ adhibetur ; non ergo inde probatur Ordinem esse sacramentum. — R. *Neg. antec.* Ad probationem *neg. conseq.* Vox χάρισμα non significat sem-

(1) Cfr. Bellarm. *De sacr. Ordinis,* cap. 3.

per gratiam gratis datam, sed aliquando etiam gratiam gratum facientem, ut patet ex Rom. V, 15 et seq.; ubi indiscriminatim adhibetur χάρις et χάρισμα pro gratia sanctificante. Deinde, non agi hic de nudo dono prophetiæ aut simili, patet, tum ex verbo *resuscites*, tum ex subsequentibus : *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis*. II Tim. I, 7. Probabilius vox χάρισμα hic adhibita est, ad significandas simul potestatem et gratiam, quæ in Ordinatione conferuntur.

28. 2° *Instant:* Ex ipsis Apostoli verbis patet, agi de gratia prophetiæ; dicit enim I Tim. IV, 14:... *gratiam, quæ data est tibi per prophetiam...* hoc est, quæ data est tibi *in prophetia*, seu quæ in prophetia consistit; ergo. — *Neg. min. subs. et adjectam probationem.* Non dicit Apostolus, gratiam esse ipsam prophetiam, sed esse effectum prophetiæ, seu, prophetiam aliquo modo ad illam gratiam concurrisse. Probabiliter Apostolus adludit ad prophetiam, qua Timotheus vocatus est ad Episcopatum, et quam commemoravit jam cap. I, 18. Deinde nulla ratione hoc sibi proponit, ut Timotheum ad prophetandum hortetur, sed ad ministerium Episcopi rite implendum, *ut seipsum salvum faciat, et eos qui illum audiunt*. I Tim. IV, 16.

ARTICULUS II.

DE VARIIS ORDINIS GRADIBUS.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

1° *Quotuplex distinguitur in Ordine gradus?* — 2° *Qua ratione duplex hierarchia constituitur?* — 3° *Quomodo Ecclesiastici ordines dividuntur?* — 4° *Quomodo pluralitas ordinum non est nisi unum Ordinis sacramentum?* — 5° *Quæ circa Ordinis gradus certa sunt, quæ disputata?*

29. QUÆR. 1° *Quot distinguuntur in Ordine gradus?* — R. Septem, qui etiam *septem ordines* vocantur, et a Triden-

tino, Sess. 23, cap. 2, ita recensentur: ordo Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi et Sacerdotis. — Hi septem ordines hierarchiam Ecclesiasticam constituunt, eam scilicet, quæ *hierarchia Ordinis* vocatur, et *ab hierarchia Jurisdictionis* distinguitur.

30. 2° *Qua ratione duplex hierarchia constituitur?* — R. 1) Hierarchia *Jurisdictionis* constat variis dignitatibus, videlicet Papatu, Cardinalatu, Patriarchatu, Primatia, Archiepiscopatu, Episcopatu, Prælaturis episcopatu inferioribus. Omnes quidem Episcopi pares sunt potestate *Ordinis;* sed ratione *jurisdictionis* et *dignitatis* impares esse possunt: quod in variis dignitatibus modo nominatis occurrit. Papatus nihil est aliud quam episcopatus Romanus, quatenus jurisdictionem in universos Episcopos et fideles annexam habet. — Cardinalatus dignitas est, quæ episcopalem quidem ordinem non necessario requirit, episcopatum tamen eminentiæ gradu superat. Cardinales clerum constituunt Ecclesiæ Romanæ, atque senatum quemdam augustissimum, cui competit Summum Pontificem eligere, eumque in rebus arduis consilio adjuvare. — Patriarchatus est episcopatus, cui etiam primatiæ subsunt. — Primatia autem est episcopatus patriarchali jurisdictione inferior, metropolitana vero seu archiepiscopali superior. — Archiepiscopatus simili modo episcopatus est, qui subest quidem primatiæ, præest vero aliis ejusdem provinciæ episcopatibus, qui suffraganei nuncupantur (1).

31. Hierarchia *Ordinis* septem supra recensitis constat ordinibus. Horum septem ordinum rationem ita explicat S. Thomas (2): *Dicendum, quod Ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est Sacramentum sacramentorum. Sicut enim templum et altare et vasa et vestes, ita et ministeria, quæ ad Eucharistiam ordinantur, consecratione indigent; et hæc consecratio est Ordinis sacramentum. Et ideo distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam, quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem Eucha-*

(1) Cf. Pichler. *Jus canon.* Decretal. l. 1, tit. 31. Item Giraldi; Jus pontif. in Decret. l. 1, tit. 33, sect. 201, append. de majoritate et obed. — Item, Haine, *De la Cour Romaine.* — (2) In 4, dist. 24, q. 2, art. 1.

ristiæ, aut ad aliquid ministerium ordinatum ad hoc. Septem igitur ordines ita dispositi sunt, ut eorum terminus et apex sit Sacerdotium; quod duplex est, complectens nimirum Sacerdotium primi et secundi ordinis, Episcopatum seu Pontificatum, et Presbyteratum.

32. Q. 3° *Quomodo Ecclesiastici ordines dividuntur?* — R. In *majores seu sacros*, et *minores,* qui *non sacri* dicuntur. Tres superiores ideo majores seu sacri dicuntur, quod illis initiati propinquiorem in corpus Christi habeant potestatem, et propius sacrificio cooperentur ; tangant quoque vasa sacra, et, propter majorem sanctificationem suam, ad continentiam et horas canonicas adstringantur. — Reliqui dicuntur minores seu non sacri, quia non sunt sacri *eadem ratione* qua majores; alioquin et ipsi magnopere sacri seu sancti sunt: quinimo quæstio movetur, utrum sacramenti rationem participent.

33. Q. 4° *Quomodo pluralitas ordinum non est nisi unum Ordinis sacramentum?* — R. Quia Ordinis sacramentum est quoddam totum, seu compositum: non *integrale*, ut corpus humanum, nec *universale*, ut humanitas, quæ tota est in singulis individuis; sed *potestativum*, cujus hæc est natura, ut totum secundum completam naturam sit in uno, in aliis autem secundum aliquam participationem. Ita porro hic se res habet. Tota enim plenitudo hujus sacramenti in uno gradu continetur, scilicet Sacerdotio ; sed in aliis est quædam participatio Ordinis ; et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum (1). — Similiter in regimine civili varii sunt administrationis gradus, una tamen est administratio, una Potestas.

34. Q. 5° *Quæ circa Ordinis gradus certa sunt, quæ disputata?* — R. *De fide* est, ex Trid. can. 2 et 6, præter Sacerdotium, esse alios ordines majores et minores. — *Certum* quoque est Ordinis rationem non pari mensura vel effectu diversis hisce gradibus competere. — Sed Tridentinum minime definit :

35. 1° Quot sint et quinam ordines.

2° An omnes divinitus instituti.

(1) S. Thom. in 4, dist. 24, q. 2, art. 1.

3° An omnibus et singulis, vel quibus in particulari, competat ratio sacramenti.

4° An omnes æque imprimant characterem.

5° An iidem semper viguerint; an alii præterea. — Ab his quæstionibus solvendis Concilium abstinuit; quo fit ut, quamvis in nonnullis omnes Catholici consentiant, tamen circa quasdam Græci a Latinis, et circa quasdam alias, Latini inter se dissentiant.

36 1° Consentiunt omnes Catholici cum Trid., 1) præter sacerdotium alios esse ordines majores et minores; 2) ex his, Episcopatum, Presbyteratum et Diaconatum divinitus esse institutos; 3) Presbyteratus ordinationem esse veri nominis sacramentum.

37. 2° Dissentiunt Græci a Latinis, 1) circa numerum ordinum, 2) circa subdiaconatum, quem inter minores recensent.

38. 3° Non convenit inter Latinos; 1) de ordinum numero; 2) utrum Episcopatus sit specie distinctus a Presbyteratu, an ejusdem extensio; 3) an omnes ordines sint divinitus instituti; 4) an omnes sacramenti rationem habeant.

PROPOSITIO. I.

Præter Sacerdotium, sunt in Ecclesia catholica alii ordines, majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tenditur.

39. *De fide*, juxta Trid. Sess. 23, can. 2.

40. Cum Tridentinum non definiat, an illi ordines, aut quinam ex illis, sint divinitus instituti; juxta Concilii mentem ostendendum tantum est, 1) de diaconatu, præter traditionem, sacras litteras mentionem facere; 2) de reliquis antiquissima exstare ecclesiastica documenta, quæ eos ordines veluti totidem gradus exhibent, quibus ad Sacerdotium ascendatur.

41. PROB. I PARS. Sacerdotium existere ex eo manifestum est, quod Christus verum instituit in N. L. sacrificium, quocum sacrificantium ordo, seu sacerdotium connexum est. — Patet quoque ex antiquissimorum Patrum testimoniis

de Sacrificio Eucharistico, et sacerdotibus Ecclesiæ Christi (1).

42. II PARS. Diaconos inaugurari cernimus, Act. VI. — Deinceps vero eorumdem mentionem, tum in epistolis Pauli, tum in Patribus perpetuo invenimus, ut in S. Clem. Romano, in S. Ignatio Mart., etc.

43. III PARS. De reliquis ordinibus antiquissima monumenta loquuntur, tanquam de re jam tum communiter recepta. S. Cornelius, Rom. Pontifex, *Epist. ad Fabium Antiochenum*, anno circiter 252, de Novatiano sic loquitur: *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat, unum Episcopum esse oportere in Ecclesia catholica, in qua tamen presbyteros sciebat esse quatuor et quadraginta, septem autem diaconos, totidemque subdiaconos, acolythos duos et quadraginta, exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos* (2). — Refert Anastasius Bibliothecarius, cautum fuisse a Caio, Rom. Pontifice, anno circiter 283, ne quis constitueretur Episcopus, qui non antea fuisset *Ostiarius, Lector, Exorcista, Sequens* (Acolythus), *Subdiaconus, Diaconus, Presbyter* (3). — Huc referri potest omnium Ecclesiarum consensus. Ecclesia namque Græca ordines tum majores tum minores semper habuit; quanquam non omnino eosdem ac Latina : a sæculo saltem IX (4), non septem, sed quatuor tantum ordines usurpat: duos majores, Sacerdotium et Diaconatum ; et duos minores, Subdiaconatum et Lectoratum.

PROPOSITIO II.

Presbyteratus est verum N. L. sacramentum ; episcopalis quoque ordinatio sacramenti rationem habet a Presbyteratu distincti.

44. Prior pars *ad fidem pertinet*, utpote connexa cum dogmatibus definitis a Trid. Sess. 23, can. 1 et 4, et declaratis in cap. 1 et 4. — Episcopatum autem esse sacramentum, et

(1) Cfr Prop. præced.— Item *Tract. de Euchar.* Prop. de veritate Sacrificii, n. 278 seqq.

(2) Apud Euseb. *Hist. Eccl.* l. 6, cap. 43.— (3) *De vitis Romanor. Pontif.* edit. Blanchinii Romæ 1723, tom. 2, pag. 249 et seqq.

(4) Cfr Conc. œcum. VIII, act. 8, can. 5, an. 869, *Harduin.* t. 5, col. 904.

quidem specie a Presbyteratu distinctum, *sententia nunc communis* est et omnino tenenda.

45. *Presbyteratus* definiri potest, juxta catholicam doctrinam: *Ordo sacer* (et sacramentum), *divinitus institutus, quo tribuitur potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini, necnon remittendi et retinendi peccata.* — *Episcopatus* definiri potest, juxta communem sententiam: *Ordo supremus* (et sacramentum), *quo potestas presbytero tribuitur conferendi sacramenta Confirmationis et Ordinis, regendique Ecclesiam sibi commissam* (1). Episcopatus et Presbyteratus unum sunt genere Sacerdotium. Episcopatus, adæquate spectatus, Presbyteratu major est; sin vero spectetur inadæquate, hoc est, præcise secundum characterem qui in ultima ordinatione imprimitur, Presbyteratu est minor. Presbyteratus scilicet Sacerdotii initium est et fundamentum; Episcopatus vero apex est, ut Patres loquuntur, quo Sacerdotium completur, sicut templum suo completur fastigio,

46. Notandum est, sermonem hic esse de Episcopis proprie dictis, non vero de *Chorepiscopis,* qui et *episcopi villani* vel *oppidani* vocantur, atque jam inde a IV sæculi initio in Oriente viguere, in Occidente autem, a sæc. V. Hi quandoque fuere veri Episcopi; sed ut plurimum, tantum presbyteri; et jure ordinario non videntur fuisse nisi Episcoporum adjutores, ministri atque vicarii, ea fere ratione qua postmodum vicarii foranei.

47. PROB. I PARS. *Presbyteratus est sacramentum.* 1) Presbyteris enim applicatur ritus descriptus in Epistolis ad Tim.; qui ritus demonstratus est vere sacramentalis. 2) Ordinatio presbyterorum omnia habet ad sacramentum requisita: signum, institutionem divinam et gratiam. 3) Traditio unanimis docet Presbyteratum esse sacramentum, ut ex superiori propositione, de veritate sacramenti Ordinis, manifestum

(1) Presbyteratum atque Episcopatum esse verum sacramentum non debet hic præsupponi, sed probari adversariis, contra quos disputamus. Ideo utraque illa definitio non debet ante probationem propositionis usurpari, nisi omissa illa vocula *sacramentum,* quam utraque includit. Post probatam vero propositionem, jure poterit ab adversariis postulari, ut definitionem utramque prout jacet, etiam vocula illa inclusa, admittant.

est. 4) Accedit ratio theologica : si de fide est, aliquam ordinationem esse sacramentum, dicendum sane id competere Presbyteratui, quippe qui omnium ordinum est præstantissimus, adeoque principium et finis, ad quem ordines reliqui referuntur.

48. II PARS *Episcopatus seu ordinatio Episcoporum est sacramentum,* distinctum scilicet a Presbyteratu, cum loquamur de ritu distincto. 1) Habet omnia ad sacramentum requisita. 2) Continet ritum sacramentalem descriptum in Epistolis ad Timoth. ; quæ descriptio eo magis ad Episcopos spectat, quod de ordinatione episcopali Timothei Paulus scribat. 3) Conferri gratiam jure concludi potest ex Trid. can. 4, statuente, Episcopos, dum ordines conferunt, NON FRUSTRA *dicere : Accipe Spiritum sanctum.* Atqui Episcopus dum confert Episcopatum hæc verba profert ; ergo ea non frustra tunc pronuntiat ; ergo Episcopatum conferendo gratiam confert. 4) Patres cum de Sacerdotio tanquam sacramento loquuntur, sæpe Episcopatum intelligunt, vel saltem non excludunt. S. Ambrosius : *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam, Deus an homo? Respondes : Sine dubio Deus; sed per hominem dat Deus.* Et rursus : *Homo imponit manus, Deus largitur gratiam.* Lib. de dignit. Sacerd. c. 5.

49. OBJIC. Testimonia Pauli, in Ep. ad Timoth., referuntur vel ad Presbyteratum vel ad Episcopatum ; ergo pro alterutro non valent, et perperam allata sunt. — Resp. *Trans. antec. neg. conseq.* Manuum impositio, de qua Paulus loquitur, ea est, quam Ecclesia applicat, tum Presbyteris, tum Episcopis. Quod si Pauli verba ad Episcopatum restringamus, valent a fortiori pro Presbyteratu : in quo, cum potior pars sacerdotii conferatur et potestatis, sane collatio gratiæ non est censenda deesse.

50. *Nota.* Hic esset locus probandi, Episcopatus super Presbyteratum superioritatem, quam definit Trid. Sess. 23, can. 7 ; ex quo, ut et ex cap. 4 præcedente, *de fide* est, Episcopos esse Presbyteris superiores, tum potestate *Ordinis ac ministerii,* tum potestate *jurisdictionis.* Hanc autem superioritatem esse de jure divino, non quidem definitur, sed certum est et iisdem ex fontibus probatur. Verum ab hujusmodi proba-

tione abstinemus; quum superioritas quoad jurisdictionem jam probata fuerit in Tractatu de Ecclesia, superioritas vero Ordinis, ex propositione infra ponenda (1) *de Ordinis ministro*, facile sequatur.

PROPOSITIO III.

Diaconatus, seu Diaconorum ordinatio, habet rationem sacramenti.

51. Propositio *communem* enuntiat et *certam* Theologorum *sententiam.*

52. Vox *Diaconus* idem sonat ac *minister;* quia sicut Episcopus sacerdotii, ita Diaconus habet plenitudinem sacri ministerii, ex quo velut e fonte inferiores ordines profluere videntur.

53. Diaconatus definiri potest: *Ordo sacer, quo potestas confertur proxime inserviendi Sacerdoti, rem sacram facienti.*

54. Diaconorum ministerium principaliter et proprie referri ad Sacrificium Eucharisticum, ex tota Traditione copiose constat; unde S. Laurentius diaconus, apud Ambrosium (2), ita Pontificem Sixtum alloquitur: *Quo, Sacerdos sancte, sine diacono properas? Tu nunquam sine diacono Sacrificium offerre consueveras...*

55. Hunc Diaconorum ordinem, cum Levitarum V. L. ordine et ministerio, passim conferunt auctores. Sicut Pontifices Aarone, Presbyteri filiis Aaron, ita Diaconi levitarum numero adumbrati fuisse perhibentur.

56. PROB. Diaconatus sacramenti rationem habet, si in eo conveniunt tres sacramenti conditiones, ritus externus, divina institutio, et gratiæ promissio: atqui hæ conditiones, ex Scriptura et Traditione, Diaconatui inesse inveniuntur; ergo.

57. 1° Diaconi ordinatio fit per ritum externum, nempe per manuum impositionem: *Et orantes imposuerunt eis manus.* Act. VI, 6.

58. 2° Habet institutionem divinam. Nam 1) Apostoli diaconos constituentes nihil, præterquam quod a Christo erant edocti, fecisse censendi sunt. — 2) Patres idipsum testantur,

(1) N. 69. — (2) Lib. I, *de offic.*

ut S. Clemens Rom., qui in prima epistola ad Corinthios ita scribit: *Apostoli, per regiones et urbes verbum prædicantes, primitias earum Spiritu cum probassent, constituerunt Episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant. Neque hoc novum est: a multis enim temporibus de Episcopis et diaconis scriptum fuerat. Sic enim alicubi* (1) *dicit Scriptura: Constituam Episcopos eorum in justitia, et diaconos eorum in fide. Et quid mirum, si quibus in Christo commissum est a Deo hoc munus, prædictos constituerint?* Cap. 42.—S. Ignatius: *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, et presbyterium ut Apostolos, diaconos autem revereamini ut Dei mandatum.* Ep. ad Smyrn. c. 3. —3) Idem non immerito colligitur ex Trid. Sess. 23, can. 6.

59. 3° Habet promissionem gratiæ. 1) Apostolus eodem solet sermone conjungere, ut I Tim. III, Tit. I, Phil. I, diaconos cum Episcopis, i. e. cum sacerdotibus primi et secundi ordinis; easdemque fere in diaconis dotes requirit, quas in Episcopis; ergo videtur supponere, Diaconos similem accepisse gratiam ac Episcopos. — 2) Patres et Concilia pariter solent conjungere Episcopos, Presbyteros et Diaconos; imo non obscure significant, similem gratiam conferri in his tribus ordinationibus, quæ non sine manus impositione perficiuntur. Chalced. Act. 15, can. 2: *Si quis Episcopus propter pecunias Ordinationem fecerit, et non venalem gratiam vendiderit, ac ordinaverit pro pretio Episcopos, Presbyteros aut Diaconos...* (2). — 3) Trid. Sess. 23, can. 4, definit, non frustra ab Episcopo dici: *Accipe Spiritum sanctum;* atqui in ordinatione diaconi hæc verba dicuntur; ergo. — 4) S. Hieronymus, epist. ad Evangelum, postquam diaconorum presbyteris sese æquantium insolentiam multis castigavit, subjungit: *Quod Aaron et filii ejus atque levitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi et Presbyteri et Diaconi in Ecclesia vindicent.* Ex his et aliis, quæ afferri possent, patet, Diaconi officia esse sacra ad instar officiorum Episcopi et Presbyteri; ergo peculiari Dei gratia indigent, quam vi ordinationis suæ accipere censendi sunt.

(1) Isai. LX. — (2) Labbeus, t 4, col. 772, E. — Cf. concil. Bracar. II, an. 572, can. 3. Apud Labb. t. 5, col. 897, B.

QUÆSTIONES.

1° *Quare Christus in Ecclesia homines instituit mysteriorum suorum dispensatores? — 2° Quare decebat Ecclesiasticam hierarchiam graduum varietate constitui? — 3° An ab Ecclesiæ primordiis Episcopatus fuit a Presbyteratu distinctus? — 4° Quid de diaconissis est sentiendum? — 5° An Subdiaconatus et ordines inferiores censendi sunt sacramenta? — 6° Quænam circa Subdiaconatum et ordines minores historice sunt adnotanda? — 7° Quid est tonsura?*

60. QUÆR. 1° *Quare Christus in Ecclesia homines instituit mysteriorum suorum dispensatores?* — R 1) Quia decebat Ecclesiam ipsam, membrorum suorum ministerio, dona gratiæ dispensare, ut perfecte Dei et Christi imaginem referret, cujus maxime proprium munus est beneficia largiendi. 2) Ut fideles in humilitate manerent, dum alii aliis ad participanda dona divina subderentur. 3) Ut in charitate servarentur, mutua donorum distributione atque acceptione, inter se arcte conjuncti. *Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.* I Cor. XII, 25.

61. Q. 2° *Quare decebat Ecclesiasticam hierarchiam graduum varietate constitui?* — R. 1) Quia Ecclesia militans est imago Ecclesiæ triumphantis, ubi angelicorum ordinum perfecta distinctio, et unius hierarchiæ ad aliam subordinata series. 2) Quia Ecclesia societas est, regnum est, militia est : quæ omnia functionum varietatem atque subordinationem requirunt. 3) Quia Ecclesia corpus mysticum Christi est. Rom. XII, 4 : *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo.* — I Cor. XII, 5 : *Divisiones ministrationum sunt : idem autem Dominus.* — Eph. IV, 11 : *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* 4) Demum, quia Providentia divina disponit omnia suaviter, infima per media, media per summa, suos ad fines cuncta perducens; quæ ordinatio in ipsis cor-

poribus, præsertim vero in globis cœlestibus, perfectissima cernitur.

62. Q. 3° *An ab Ecclesiæ primordiis Episcopatus fuit a Presbyteratu distinctus?* — R. Censet S. Chrysostomus (1), denominationem Episcopi et Presbyteri sacerdotibus primi et secundi ordinis primitus fuisse communem; quæ sententia in Act. cap. XX, vv. 17 et 23 præcipue fundari videtur.—Censet Petavius (2), non tantum denominationem Episcoporum fuisse Presbyteris attributam, sed plerisque Presbyteris episcopalem Ordinem, cogente ob circumstantias necessitate, fuisse collatum; et primo plures simul Episcopos præfuisse Ecclesiis; deinde vero, refrigescente charitate, unum constitutum inter omnes principem; mox vero, *in schismatis remedium,* ut Hieronymus loquitur, passim constitutos esse Presbyteros proprie dictos, qui non nisi secundi ordinis Sacerdotio pollerent.

63. Q. 4° *Quid de diaconissis sentiendum est?* — R. Diaconissæ, de quibus frequens in Conciliis mentio usque ad sæculum X, id est, fere usque ad tempus, quo consuetudo baptizandi per immersionem est antiquata, erant pudicæ quædam honestæque mulieres, ad Ecclesiæ ministerium deputatæ; nimirum ad juvandum in baptizandis mulieribus, ut honestati consuleretur; ad rudes ac neophytos, præsertim muliebris sexus, Fidei rudimentis imbuendos; ad portam ecclesiæ custodiendam, qua mulieres ingrediebantur, etc. Diaconissæ ritu aliquo sacro initiabantur, quæ tamen initiatio nequaquam sacramentalis erat; sed impositio manus, et alia, quæ præstabantur, ad meram cæremoniam pertinebant (3).

64. Q. 5° *An Subdiaconatus et inferiores ordines censendi sunt sacramenta?* — R. Utrum Subdiaconatus, et præsertim quatuor ordines minores habeant rationem sacramenti, et imprimant characterem in anima indelebilem, disputatur. *Negant* cum nonnullis Veteribus plerique Recentiores; quorum rationes compendio redactæ fere sunt hujusmodi : — 1) a Pa-

(1) *Homil.* 1 *in Ep. ad Philipp.* n. 1. — (2) Cf. *Dissertat. Ecclesiast.* l. I, c. 1 et 2; et *de Eccl. hierarch.* l. I, c. 4.

(3) Cf. Theol. Wirceburg. *De Ord.* n. 84. — Perrone, n. 60.

tribus non exhibentur minores ordines, tanquam ab Apostolis traditi; 2) non vigent in omnibus Ecclesiis iidem; 3) non necessario antiquitus præmittebatur eorum collatio collationi graduum majorum; 4) in antiqua Ecclesia videntur fuisse magis officia, quæ tirocinii loco essent, quam veri ordines; 5) eos non esse sacramenta suadet Ecclesiæ praxis hodierna, quæ non præcipit, ut officia minoribus ordinibus propria ab ordinatis exerceantur; sed illa exerceri permittit ab iis, qui nullum omnino ordinem susceperunt, imo qui ne clericali quidem tonsura initiati sunt; 6) ordinationes minores principali quodam ritu differunt a majoribus, quia nempe manuum impositione, et expressa Spiritus S. collatione carent. — *Affirmant* vero cum S. Thoma (1) Theologi bene multi, veteres præsertim Scholastici, Petro Lombardo excepto; et ex recentioribus Scholasticis gravissimi quique, ut testatur Bellarminus, qui et ipse sententiæ affirmativæ ut probabiliori subscribit (2).

65. Q. 6° *Quænam circa Subdiaconatum et minores ordines historice sunt adnotanda?* — R. Subdiaconatus est ordo, per quem datur potestas proxime serviendi diacono, solemniter ad altare ministranti. Primi ejus mentio invenitur, apud Latinos, in epistolis Cypriani et Cornelii, an. 250; apud Græcos vero, non ante Conc. Laodic. an. 370. Videtur inter majores ordines relatus fuisse Subdiaconatus sæculo XII, probabiliter sub Innoc. III, circa an. 1200; nondum enim inter majores ordines numerabatur sub Urbano II, ut patet ex synodo Benev. an. 1091: *Sacros ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum*; *hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse.*

66. Ex quatuor minoribus ordinibus, quos Ecclesia latina confert, Græci unum retinent *lectoratum. Cantores* etiam ordinant, eodem fere ritu quo Lectores. *Cantoratus*, sive *psalmistatus*, etiam apud Syros et Maronitas existit. Ibidem quoque inveniuntur officia *Copiatarum* seu *Laborantium*, quæ cum ordinibus aliquam similitudinem habent. Probati

(1) In 4, dist. 24, q. 2, a. 1; *Supplem.* q. 37, a. 2.—(2) *De sacr. Ordinis*, c. 8. Affirmantis sententiæ momenta videsis apud Wirceb. *De Ord.* n. 64.

autem auctores censent, hujusmodi non esse ordines proprie dictos, sed nuda officia ac ministeria.

67. Q. 7° *Quid est tonsura?* — R. *Tonsura* est *cæremonia ab Ecclesia instituta*, *qua laicus*, *baptizatus et sacramento Confirmationis consignatus, sacro ritu in clerum adscribitur*. — Ex vetustissimis Ecclesiæ Divionensis actis, refert Martenius, S. Benignum presbyterum, S. Polycarpi discipulum, tonsuræ clericalis indicio deprehensum, et a Terentio, sæculo II labente, morte mulctatum. — Impius Christianorum irrisor Lucianus, seu quisquis est auctor dialogi inscripti *Philopatris*, Trajano coævus, clericum describit e montibus ad ecclesiam venientem detonsa coma. — Alia quoque monumenta perhibent, clericalem tonsuram semper, licet varia forma, ab ecclesiasticis viris fuisse gestatam (1),

(1) Cfr Perrone, *De Ordine*, n. 90.

CAPUT SECUNDUM.

DE CAUSIS ET EFFECTIBUS SACRAMENTI ORDINIS.

ARTICULUS I.

DE CAUSIS SACRAMENTI ORDINIS.

68. Duplex hic est examinanda quæstio : altera de ministro et subjecto, quæ causæ extrinsecæ; altera de materia et forma, quæ causæ intrinsecæ sunt sacramenti. Circa ministrum, dogma clare definitum est; circa materiam et formam ordinum majorum, magna viget lis ac disputatio ; de subjecto pauca dicenda sunt, quæ in quæstionibus adjiciemus.

Propositio unica, *de ministro Ordinis.*
Quæstiones, *de materia ac forma, et de subjecto.*

PROPOSITIO.

Episcopi, iique soli, sacramenti Ordinis ministri sunt.

69. *De fide*, ex Trid. Sess. 23, can. 7.

70. Minister Ordinis distinguitur duplex: necessarius et legitimus. *Necessarius* est ille, qui solus ordinandi potestatem habet, et talis est solus Episcopus; *legitimus* est ille, qui etiam jus habet Ordinis conferendi, et talis est Episcopus proprius ordinandi (nisi ordinandus sit regularis exemptus), aut alius Episcopus, cui ab Episcopo ordinandi proprio, per litteras dimissorias, licentia Ordinis conferendi facta fuerit. De solo ministro necessario in propositione agitur.

71. PROBATUR *utraque pars iisdem argumentis.* 1° Scriptura non alios exhibet ministros Ordinis, quam Apostolos, et ab Apostolis ordinatos Episcopos. Videmus enim a Christo Apostolos institui sacerdotes et Episcopos; ab Apostolis, diaconos, Act. VI; a Paulo et Barnaba per Ecclesias, presbyteros, Act. XIV. Paulus Timotheum dicit ordinatum impositione

manuum suarum; Timotheo et Tito Episcopis mandat, quibus debeant impositionem manuum conferre.

72. 2° Traditione. Constitutiones, quæ Apostolicæ vocari solent, præcipiunt (1), ut Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur, presbyter vero ab uno tantum Episcopo, ut diaconus et reliqui clerici. — S. Epiphanius adversus Aerium scribit: *Ordo siquidem Episcoporum ad gignendos patres præcipue pertinet; hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio; alter* (presbyterorum), *cum patres non possit, filios Ecclesiæ lotionis regeneratione producit.* Hæres. 75, c 4. — S. Hieronymus: *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Epist. ad Evang. n. 1. *Sola namque Ordinatione*, subdit S. Joannes Chrys., *superiores* (Episcopi) *sunt, atque hinc tantum videntur presbyteris præstare.*

73. 3° Accedit perpetua orientalis et occidentalis Ecclesiæ praxis et consensio, ut ex ritualibus et euchologiis patet (2).

QUÆSTIONES.

1° *Quid de variis opinionibus sentiendum, quibus Catholici circa materiam et formam Ordinis dividuntur?* — 2° *Quotuplex distinguitur in antiquitate manuum impositio?* — 3° *Quid circa Ordinis subjectum est adnotandum?*

74. QUÆR. 1° *Quid de variis Catholicorum, circa materiam et formam Ordinis, opinionibus est sentiendum?* — R. De materia et forma subdiaconatus et ordinum minorum nulla est lis. Exploratum enim est penes Theologos omnes, subdiaconatus et minorum ordinum materiam, in Ecclesia latina, esse instrumentorum porrectionem: in Ecclesia græca, manuum impositionem extra sanctuarium collatam; formam vero verba, quæ utrumque respective ritum comitantur. — At disputatio viget circa ordines majores.

75. Omnes Catholici docent, Ordinem esse verum sacramentum a Christo institutum, illudque materia et forma constare, quæ in ritu ab Ecclesia præscripto atque servato continetur. Quod igitur attinet ad sacramenti conficiendi

(1) Lib. 8, c. 16 et seqq.
(2) Cf. Renaudot, *Perpétuité de la foi*, t. 5, l. 5, ch 8.

substantiam et praxim, nulla est inter Catholicos discrepantia aut difficultas. Quum autem speculativa quæstio proponitur, in quo præcise sita sit forma et præsertim materia: in tres sententias dividuntur.

76. Prima statuit, solam impositionem manuum (1) materiam esse essentialem et adæquatam, formam autem, orationem conjunctam; instrumentorum vero porrectionem processu temporis ab Ecclesia latina fuisse adscitam, ad majorem declarationem potestatis, quæ per manuum impositionem confertur.

77. Secunda sententia solam instrumentorum porrectionem habet pro materia, et adjuncta verba pro forma.

78. Tertia, materiam essentialem, tum in impositione manuum, tum in traditione instrumentorum constituit; formam vero, in verbis adjunctis.

79. Secunda et tertia sententia in eo consentiunt, ut traditionem instrumentorum habeant pro materia essentiali. Porro id admisere Scholastici veteres fere omnes, quibus non pauci recentiores Theologi assentiuntur. S. Thomas tertiam sententiam omnino videtur amplexus (2), quam tenent Bellarminus, Vasquez, aliique bene multi.

80. Nihilominus prima sententia nunc temporis communior evasit (3): en præcipua momenta quibus ejus patroni nituntur. 1) Illud tantum essentiale esse potest, quod semper fuit Græcis Latinisque commune. 2) Hæc sententia consentanea est alteri sententiæ, de sacramentorum institutione immediate et specifice a Domino profecta. Contraria vero opinio, aiunt, ut explicet quomodo instrumentorum traditio facta sit essentialis, cum non esset ab initio; et quomodo sit essentialis apud Latinos, cum non sit apud Græcos; cogitur dicere, Christum sacramentale signum Ordinis tantummodo, *in genere* determinasse, permittendo scilicet, ut Apostoli signum *aliquod* expressivum collatæ potestatis assumerent; adeoque Apostolos et Ecclesiam potuisse signum hoc *in specie*

(1) Presbyteratus materiam docet esse illam impositionem manuum, quæ fit secundo loco; et formam, orationem, quam tunc profert Episcopus.

(2) *Opusc.* 5, *et Supplem.* q. 37, art. 5.—(3) Sic Perrone, synops., *De Ord.* n. 94.

determinare: inde apud Latinos statutam esse instrumentorum porrectionem, apud Græcos vero, solam manuum impositionem.

81. Quod autem hi auctores contendunt, solam manuum impositionem, nequaquam vero instrumentorum porrectionem utrique Ecclesiæ semper fuisse communem, nituntur ab objectionibus tueri. Licet, aiunt, ordo Romanus et Pontificale instrumentorum porrectionem in collatione ordinum hierarchicorum præscribant; attamen, cum vetustiora documenta eam præscriptionem non habeant, imo videantur excludere, ambigendum non est, progressu temporis illam fuisse adjectam.—Dicitur: *videntur excludere;* nam in *Constit. Apostol.* l. 8, cap. 16, legitur: *Constituo vobis Episcopis: Cum presbyterum ordinas, Episcope, manum super caput ejus ipse impone.* Concil. Carthaginiense IV, an. 401, cap. 5, in eo constituit discrimen subdiaconatum inter et hierarchicos ordines, quod isti manuum impositione, ille instrumentorum traditione conferrentur. — Præterea præfati auctores rejiciunt, quod quidam ex aliarum opinionum fautoribus dixerunt, instrumentorum traditionem adhuc exstare apud Græcos: ordinandis enim Græcis tradi ipsum altare, in quo omnia instrumenta continentur; idque sat clare deprehendi ex modo, quo, juxta Gabrielem Philadelphiensem (1), fit ordinatio presbyteri apud Græcos, et qui est hujusmodi: ponuntur panis et sacra vasa super altare; juxta altare sedet Episcopus, coram quo genu flectit ordinandus. Huic Episcopus, peractis quibusdam cæremoniis, manum dextram imponit, ejusque caput applicatum tenens ad altare, dicit: *Divina gratia, quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet N., devotissimum diaconum, in presbyterum.* — At, præterquam quod hæc conclusio sat violenta videatur, ipsa, aiunt, nequaquam explicat antiquorum illud de instrumentis silentium: quod, spectatis adjunctis, negationi æquivalet.

82. Tandem conantur respondere etiam argumento, quod pro necessitate instrumentorum præcipue urgetur ex *Decreto Eug. IV pro Armenis*, hæc habente: *Sextum sacramentum*

(1) Cfr Merlin. *Traité sur la matière et la forme des sacrem.* chap. 25.

est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero, per libri Evangeliorum dationem. Forma sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Quo decreto doctrinali, juxta adversarios, esto non excludatur impositio manuum ut materia essentialis; at profecto, ni velis obvium et naturalem sensum rejicere, includitur ut materia essentialis, saltem inadæquata, instrumentorum traditio.

83. Hoc igitur argumentum nituntur dissolvere respondendo, instrumentorum traditionem tanquam materiam, non essentialem, sed accessoriam et integralem, in Decreto illo nominari. Quod utrum solide probent, non ausim definire.

84. Q. 2° *Quotuplex distinguitur in antiquitate manuum impositio?* — R. Varias manuum impositiones apte Suarez (1) digessit in *curativam*, *confirmativam*, *consecrativam* sive *ordinativam*, *cæremonialem* ad Baptismum, *reconciliativam*, *deprecativam*. Ex his duæ tantum manuum impositiones, *confirmativa* scilicet et *ordinativa*, sacramenti rationem continent.

85. Q. 3° *Quid circa Ordinis subjectum est adnotandum?* — R. Certa sunt et apud omnes explorata tria sequentia :—1) ad valorem Ordinis requiri masculinum sexum. Nunquam, aut in lege naturæ, aut in lege Mosaica, femina ulla sacris altaribus admota est (2); nec Christus, neque Apostoli, vel ipsam Deiparam Virginem sacerdotio exornarunt. — Quod si, præter diaconissas, de quibus supra diximus, etiam presbyteræ et episcopæ recensentur, hæ non erant nisi uxores, quas Episcopi aut presbyteri ante suam ordinationem duxerant. — Neque ipsæ Abbatissæ, quæ sacram quamdam potestatem olim exercuisse perhibentur, unquam potestate clericali, i. e. jurisdictione proprie dicta, seu potestatis Clavium participatione fuere instructæ ; sed tantum auctoritate domestica, materna, œconomica.

(1) Tom. 18, disp. 34, sect. 1.
(2) Cf. I Cor. XIV, 34.

86. — 2) Ad valorem pariter requiritur, ut ordinandus sit baptizatus. — 3) In adultis requiritur insuper consensus; quare sæpius a RR. Pontificibus declarata est irrita ordinatio, obluctanti ac invito collata.

87. De subjecti ad castitatem servandam obligatione, seu de cælibatu ecclesiastico, quippe qui ad Ordinis effectus referendus est, sequenti articulo agetur.

ARTICULUS II.

DE ORDINIS EFFECTIBUS.

Quæstiones, *de Ordinis gratia et charactere.*
Propositio I, *de cælibatu, contra Protestantes.*
Propositio II, *de cælibatu, contra impios.*

QUÆSTIONES.

1° *Quinam sunt effectus sacramenti Ordinis?* — 2° *An non fuerunt quandoque ordinationes iteratæ, vel detractæ?* — 3° *Quid de ordinationibus Anglicanis est sentiendum?*

88. QUÆR. 1° *Quinam sunt effectus sacramenti Ordinis?* — R. Sunt duo: gratia et character; seu: 1) gratia sanctificans, per se secunda, hoc est, gratiæ ejusdem augmentum; 2) gratiæ actuales, fini sacramenti subservientes, suo tempore dandæ, ad Ordinis munia rite sancteque obeunda (1); — 3) character, quem S. Thomas (2) vocat effectum Ordinis principalem. Huic annexa est sublimis sacerdotis potestas in Corpus Christi reale et mysticum. Ordo semper hunc characterem imprimit, dummodo recipiatur valide; gratiam vero non confert nisi rite dispositis. Ordinis, sicut Baptismi characterem prorsus amitti non posse, his verbis Augustinus testatur: *Si fiat Ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente.* De bono conjug. cap. 24 et 18. — Quod attinet ad minores ordines, cum non sint nuda

(1) Cf. supra *De Sacram. in gen.* c. 3, art. 2, n. 162.
(2) Supplem. q. 34, a. 2.

officia et ministeria, sed veri ordines (1), (quamvis non omnino constat ea esse sacramenta,) ac proin stabilitatem essentialiter involvant: characterem et ipsi conferunt, si minus sacramentalem ac divinum, saltem legalem et ecclesiasticum: ad instar gradus honorifici in civitate, aut scientifici in academiis (2).

89. Q. 2° *An nunquam fuerunt ordinationes iteratæ vel detractæ?* — R. Nunquam Ecclesia ordinationem certo validam iteravit. Si quæ in historia occurrunt depositiones presbyterorum et Episcoporum, qui de gradu suo in laicorum ordinem rejecti sint; hujusmodi facta, ad exercitium ministerii et locum honoris, solum pertinent.—Quæ de *Stephano VI* narrantur, eum nempe omnes, quos prædecessor *Formosus* ordinaverat, iterum ordinasse, si vera narrentur, tantum denotant abusum potestatis: qualis porro in homine, sedem Romanam per vim occupante, mirus esse non deberet. Baronius, de hoc facto loquens, ad ann. Christi 897, ait: *Furore percitus homo* (Stephanus), *non quod jure liceret, sed quod exæstuans rabies suasit, implevit; non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto.*

90. Q. 3° *Quid de ordinationibus Anglicanis sentiendum est?*— R. Ordinationum Anglicanarum validitas certo dubia est, imo longe probabilior est invaliditas. Invalidas eas probarunt, adversus Le Courayer, viri eruditissimi, Renaudot, Hardouin, Lequien. — Quæstio hinc pendet, utrum valide, an invalide ordinatus fuerit Matthæus Parker; quippe qui totius Anglicanæ hierarchiæ primus exstitit consecrator et patriarcha. Jam vero a scriptoribus coævis traditur, Parkerum Londini in diversorio, a Joan. Scoræo, Episcopo Roffensi, inauguratum fuisse, anno 1559, una cum tribus aliis, absque legitima materia et forma.—Id negarunt postea Protestantes, allegantes *acta Lambethana*, anno 1613 primum reperta atque vulgata, quibus Parkeri ordinatio in sacello palatii archiepiscopalis Lambethensis solemni ritu facta perhibetur. —

(1) Cfr super. initio hujus Tract. n. 31 seqq. — (2) De variorum ordinum officiis, deque virtutibus quæ singulis ordinibus congruunt, vid. *Pontificale Rom.*, ubi hæc omnia adumbrantur cæremoniis, et explicantur monitionibus Pontificis.

Horum actuum authenticitatem propugnavit Lingard, aliis rejicientibus. — Quidquid autem sit de anthenticitate illa, certo constat, ordinationem Parkeri initio habitam fuisse pro dubia ab ipsis Protestantibus; adeo ut Elisabeth Regina coacta fuerit suprema sua potestate decretum edere, ad illam ordinationem ab omni defectu sanandam (1). Merito igitur ordinationes, ab illo fonte derivatas, Catholici tanquam dubias semper habuerunt; adeoque iterandas in iis, qui, post hujusmodi ordinum susceptionem, ad Ecclesiam catholicam conversi, in ordinem clericalem cooptantur et sacris ministeriis deputantur.

PROPOSITIONES DE CÆLIBATU.

91. Quoniam de plerisque obligationibus quæ oriuntur ex Ordine, ut recitatione Horarum canonicarum, ferenda Tonsura et habitu clericali, atque aliis spectantibus ad vitam et honestatem clericorum, tractat Theologia moralis; hic loquemur solum de lege cælibatus, quippe quæ ad Theologiam dogmaticam videtur magis pertinere.

92. *Cælibatus* ecclesiasticus est *perpetua continentia clericis majoribus imposita, jure ac lege ecclesiastica.* Hujusce legis existentia, tum ex Ecclesiæ praxi, tum ex ipso jure scripto comprobatur. Alexander III, cap. *Conjugatus, de convers. conjugum,* prohibet, conjugem ad sacros Ordines promoveri, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus. Trid. Sess. 24, can. 9, decernit: *Si quis dixerit, clericos, in sacris Ordinibus constitutos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica;... anathema sit.* Hinc lex continentiæ in Ecclesia occidentali tria exigit: 1° ne conjugatus sacris Ordinibus initietur, nisi voverit uxor continentiam; 2° ne ordinatus ducat uxorem; 3° ut abstineat omnibus actibus venereis, etiam cum conjuge, si quam ante duxerit.

93. Vix dici potest, quo insano furore sacrum cælibatum insectati sint sæculi XVI reformatores, quos vere *Deus ultio-*

(1) Cfr Perrone, *De Ecclesia*, n. 313. — Cfr item opusculum illustr. Kenrick, Philadelphiæ coadjutoris, hodie Baltimor. Archiep., in collect. theol. Mign. tom. 25; sive ejusdem Præsulis Theol. dogm. t. 3, *De Ord.* c. 9.

num Dominus tradidit in desideria cordis eorum et in passiones ignominiæ; de quibus propterea Erasmus scripsit: *Omnis tragædia exit in catastrophen comicam... Unde tanta carnis rebellio in his, qui se jactant agi Spiritu Christi?* Epist. ad Fratr. infer. Germ.

94. Præter novatores Protestantes, cælibatum impugnarunt etiam recentiores pseudophilosophi. Quare vindicandum est hoc præcipuum Catholici Cleri decus, ostendendo adversus Protestantes, legis continentiæ antiquitatem et æquitatem; contra omnes vero, præsertim contra impios, ejusdem legis cum jure divino aut naturali, cumque reipublicæ emolumentis, non repugnantiam, imo conformitatem.

PROPOSITIO I.

Continentiæ lex, sacris ministris imposita, antiqua Ecclesiæ traditione nititur, et clericali statui maxime convenit.

95. PROB. I PARS. *Fundatur in antiquitate.* 1° S. Hieronymus adversus Jovinianum et Vigilantium, in impugnando clericorum cælibatu Protestantium antesignanos, ita scribit: *Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes.* Epist. 48 ad Pammachium, n. 21. — Quare 2°, a primis temporibus, saltem ex consuetudine, obtinebat, ut sacris Ordinibus initiati ab uxoribus abstinerent, quas ante Ordinationem duxerant. Testes sunt Origenes, Hieronymus, Eusebius et Epiphanius, pro Oriente. — Quod spectat ad occidentalem Ecclesiam, contendunt sat validis innixi argumentis eruditi, B. Petrum Apostolum omnes prorsus Episcopos, presbyteros et diaconos continentiæ legi subjecisse. S. Siricius Papa (385) legis hujus meminit, tanquam ab Apostolorum Principe institutæ, ejusque observantiam urget, atque in transgressores, tanquam in legis violatæ reos, animadvertit (1). — Quod spectat ad Ecclesiam Alexandrinam, illud certum est, S. Marcum continentiæ legem suis successoribus veluti hæreditariam reliquisse. — 3° Eamdem legem supponunt Innocentius I, *Epist.* 2 *ad Victricium*

(1) Epist. I, ad Himerium Tarrac. n. 10. — Cf. Zaccaria, *Storia del celibato sacro.*

cap. 9, et S. Leo, *Epist.* 167 *ad Rusticum Narbon.* Item varia Concilia sæculo IV et V, tum in Occidente, tum in Oriente celebrata; ut Carthaginiense II, in quo Aurelius Africanæ diœceseos Primas, volens pristinam in Episcopis, presbyteris ét diaconis castitatem restituere, dixit: *Quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus* (1). — 4° In orientali Ecclesia sensim a rigore primævæ disciplinæ descitum est, quod patet ex Conc. Ancyrano (314). —Hodiedum in usu apud Græcos est famosus canon 13 Concilii Trullani (692), quem, ut alia multa ejusdem synodi decreta, nunquam RR. Pontifices approbarunt. Canon ille contra majorum instituta permisit, ut diaconi et presbyteri licite convenire possent cum uxoribus, quas ante ordinationem duxerant; simul autem integra reliquit duo: 1) Episcopis absolutum cælibatum esse servandum; 2) majoribus clericis, post susceptos Ordines, non licere nuptias contrahere.

96. PARS II. *Continentiæ lex clericali statui maxime convenit.* Rationes sunt: 1° sanctitas et dignitas Sacrificii Eucharistici et aliorum mysteriorum, quæ ab altaris ministris tractanda sunt: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isai. LII, 11.

97. 2° *Ministeria charitatis spiritualis*, ab Ecclesiasticis viris ad salvandas animas exercenda. Quæ ministeria duo essentialiter requirunt: 1) spiritum sacrificii, non quærentem quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; 2) auctoritatem ac reverentiam. Hæc autem duo ex continentia quasi proprios fructus oriri, facile cernitur.

98. 3° *Ministeria charitatis corporalis*, ab iisdem viris sacris, ad exemplum Christi, exercenda erga pauperes et miseros. Jam vero in corde casto, et carnalis familiæ vinculis libero, major, cæteris paribus, vigere solet commiseratio, major in benefaciendo generositas et liberalitas.

(1) Harduin. t. I, col. 867.

PROPOSITIO II.

Continentiæ lex nulli juri divino aut naturali adversatur, nec societatis humanæ bonum impedit; sed contra, maxime promovet.

99. PROB. I PARS. ***Nulli juri adversatur.*** Non esse contrariam legem continentiæ juri divino, imo eidem esse maxime consentaneam, abunde ostendunt exemplum et adhortationes, tum Christi et Apostolorum, tum sanctorum Patrum, Pontificum et Sacerdotum, qui singulis sæculis Ecclesiam et clerum illustrarunt.

100. Nec magis adversatur juri naturali. Ut enim ei adversaretur, oporteret aliquam naturæ legem existere, quæ omnibus et singulis hominibus matrimonium injungeret: atqui hujusmodi lex non existit. Naturæ namque ordo postulat, ut humanum genus propagetur, idque fiat per matrimonium ab aliquibus ineundum; in hoc autem ordine nulla continetur lex determinata, qua singulis, sicut cultus Dei et pietas in parentes, ita matrimonium præcipiatur. Quod si hujusmodi præceptum universale esset, rem impossibilem injungeret; cum multi sint, qui, propter infirmitatem, paupertatem, etc., illud implere non possint. — Deinde, si hoc præceptum a natura animis hominum esset inscriptum, illud profecto populi cognovissent, et virginitatem damnassent. At e contra, apud omnes gentes maxima fuit virginitatis existimatio; ita ut quasi naturæ humanæ exclamatio sit ea, quam Spiritus sanctus, in libro Sap. IV, 1, tam præclare expressit: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est et apud homines.*

101. II PARS. ***Cælibatus sacer societatis bonum promovet.*** Etenim 1° cum ministri, continentiæ lege sanctificati, melius Ecclesiæ ministeria exerceant; hæc autem ministeria cuncta in societatis humanæ emolumentum vergant; sequitur, et ipsam legem continentiæ ad societatis humanæ emolumentum esse comparatam.

102. 2° Societati utilissima est illa lex, quæ familiis perennitatem et generis propagationem affert; quæ efficit, ut

litteræ et bonæ artes vehementius excolantur; quæ denique publicæ beneficentiæ et charitatis instituta mirifice promovet amplificatque: atqui talis est lex continentiæ. Etenim ad primum effectum confert, spiritum castitatis et amoris in familiis conservando, ab iisque licentiam et simultates arcendo. Ad secundum confert, quia castimonia ad intellectualem et moralem institutionem, sive recipiendam sive aliis tradendam, homines aptiores reddit. Ad tertium confert, quia animi carnalibus curis et affectibus vacui, spiritu autem Christi pleni, proximos tanquam filios amplectuntur; et in charitatem ac beneficentiam uberrimam se effundunt: ut constat ex catholicæ charitatis operibus, institutionibus ac monumentis, quæ omni sermone altius loquuntur.

TRACTATUS XVII.

Habet tres partes Dogmatica, Moralis et Canonica

DE MATRIMONIO (1).

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Quæstiones de notione Matrimonii.* — § III. *Doctrina catholica.* — § IV. *Errores contrarii.* — § V. *Instrumenta theologica.* — § VI. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum.

1. Sicut Ordo ad Ecclesiæ spiritualem perennitatem, ita Matrimonium ad ejusdem perennitatem carnalem institutum est. Sacramentum namque Matrimonii humani generis propagationem consecrat; ut ex radice sancta melior sanctiorque nascatur soboles, et ex honorabili conjugio ac toro immaculato, populus christianus, ad veri Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi cultum, augeatur. Sic septenarii numeri circulus concluditur, ut quod ultimum est, sit iterum primo proximum.

§ II. Quæstiones de notione Matrimonii.

1° *Quid intelligitur nomine Matrimonii?* — 2° *Quid sunt sponsalia?* — 3° *Quotuplici modo matrimonium accipi potest?* — 4° *Quomodo Matrimonium definitur?* — 5° *Quomodo differt matrimonium civile a Matrimonio Ecclesiastico?*

2. QUÆR. 1° *Quid intelligitur nomine Matrimonii?* — R. Matrimonium a *matre* dicitur, quia potiorem in eo partem habet mater, et quia mulier idcirco nubit, ait Augustinus, ut mater fiat. Nuncupatur etiam *conjugium*, quod uno veluti jugo conjuncti conjuges, ad sustinenda matrimonii onera conveniant, ineantque individuam vitæ societatem. Dicitur

(1) Cfr Perrone, *De Matrimonio christiano.* — Roskovany, *De Matrim. in Ecclesia cathol.* — Carrière, *De Matrim.* edit. 1857.

quoque *nuptiæ* et *connubium*, a nubendo, id est, velando, eo quod virgines, tradendæ in matrimonium, tegi velo, tanquam nube, solerent, ut ait S. Isidorus (1); sive id pudoris gratia fieret, sive in signum subjectionis et obedientiæ, quo modo mulier, I Cor. XI, jubetur orare velato capite, quia viro subjecta est.

3. Q. 2° *Quid sunt sponsalia?* — R. Sponsalia a *spondendo* sic dicta sunt, quod moris esset antiquis stipulari et spondere sibi uxores suas. Unde et *sponsi sponsæque* appellatio nata est. — Sumitur vox *sponsalia*, 1° *improprie*, pro muneribus sponsalitiis, quæ sponsæ a sponso dari solent. 2° *Latius*, pro Matrimonio rato, i. e. valide inito, sed nondum per copulam consummato. Hoc sensu, Matth. I, 18, dicitur *desponsata mater Jesu Maria Joseph*. Sponsalia sic sumpta dicuntur *sponsalia de præsenti*, et primo contracti Matrimonii die conjuges *sponsi* et *sponsæ* appellantur. 3° *Magis proprie* et *stricte*, *pro* contractu de ineundo Matrimonio, sive pro *futuri Matrimonii promissione mutua*, dicunturque *sponsalia de futuro*. — Cum autem sponsalia non sint nisi quædam ad Matrimonium dispositio, ac veluti via, cumque aliunde ad Theologiam moralem meliore jure quam ad dogmaticam pertineant; ideo hanc partem quasi Tractatus præsentis præambulam omittimus, ut immediate de ipso Matrimonio disserere incipiamus.

4. Q. 3° *Quotuplici modo Matrimonium sumi potest?* — R. Duplici : 1° *active* sive *in fieri*, vel *causaliter*, nimirum pro ipso contractu matrimoniali; et 2° *passive* sive *in facto esse*, scilicet pro *statu* conjugum per contractum inducto, et habitualiter permanente. De priore acceptione potissimum hic agetur.

5. Matrimonium active sumptum, iterum spectari potest dupliciter, vel potius tripliciter : 1° tanquam contractus naturalis in officium naturæ, i. e., ad convenientem propagationem generis humani ordinatus; et ita consideratum fuit omni tempore. 2° Tanquam sacramentum unum de septem Ecclesiæ catholicæ; et eatenus solum invenitur sub N. L. in baptizatis. 3° Tanquam contractus civilis, effectus

(1) *De offic. Eccles.* l. 2, c. 20, n. 6.

civiles habens, ac civilia jura conjugum et prolium determinans; et ita civili potestati subjacet. Verum iste contractus realiter distinguitur a matrimoniali, ut infra dicetur.

6. Q. 4° *Quomodo Matrimonium definitur?* — R. 1) Matrimonium, ut est contractus naturalis, definiri potest : *Contractus naturalis legitimus, quo efficitur viri et mulieris conjunctio maritalis, individuam vitæ societatem retinens.* — Dicitur *contractus*, qui, juxta Ulpianum, est generatim *duorum pluriumve in idem placitum consensus.* Ex contractu matrimoniali exsurgit vinculum, in quo ratio Matrimonii in *facto esse* sita est.— *Naturalis*, seu constitutus et sancitus ordine ipsius naturæ.— *Legitimus*, inter personas nullo juris naturalis, divini vel humani impedimento irritante affectas.—Dicitur *viri et mulieris*, ut significetur subjectum Matrimonii, et excludatur polygamia (1). — *Conjunctio* designat nexum, vinculum, non autem matrimonii usum, qui ad verum Matrimonium essentialis non est; — *maritalis*, quæ mutuam corporis potestatem includit, et sic distinguitur ab aliis conjunctionibus et societatibus. — *Individuam vitæ societatem retinens*, id est, de se perpetuam et indissolubilem.

7. 2) Quatenus sacramentum est, definitur : *Sacramentum N. L., in quo vir et mulier, legitime contrahentes, maritaliter conjunguntur, et gratia divina donantur.* — Definiri quoque potest : *Contractus matrimonialis a Christo ad dignitatem sacramenti evectus.*

8, 3) Quatenus sumitur pro contractu civili, est *contractus implicite vel explicite Matrimonio adnexus, ad effectus mere civiles.*

9. Q. 5° *Quomodo differt matrimonium civile a Matrimonio Ecclesiastico?*— R. Matrimonium civile est certa formalitas, a potestate civili requisita, ut Matrimonium in foro civili reputetur legitimum, et effectus civiles obtineat. — Matrimonium Ecclesiasticum est Matrimonium celebratum coram Ecclesia, et est *proprie dictum* Matrimonium, seu Matrimonii sacramentum.

(1) Cf. Infra cap. 2, *De Matrimonii Unitate*, n. 62.

§ III. Doctrina catholica.

10. Matrimonium, seu matrimonialis contractus, est verum N. L. sacramentum, veteribus connubiis gratia per Christum præstans. Status vero conjugalis statui virginali, vel cælibatui, præstantia cedit.

11. Matrimonii sacramentum Ecclesiasticæ potestati subjacet, quæ sola potest, idque jure divino, impedimenta dirimentia statuere, eaque omnia decernere, quæ ad causas matrimoniales pertinent.

12. Matrimonii proprietates sunt : 1° *unitas*, qua Christianis jure divino interdicta est polygamia simultanea; 2° *indissolubilitas*, qua ob nullam, ne adulterii quidem, causam, vinculum Matrimonii *consummati*, inter Christianos dissolvi potest.

13. Vinculum vero Matrimonii *rati* tantum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum, dirimitur : quod est de fide, ex Tridentini definitione : imo per dispensationem summi Pontificis dissolvi potest, ut docent Canonistæ omnes, uno alterove ad summum excepto, et plurimi hodie Theologi.

14. Vinculum denique matrimonii ab infidelibus initi, dissolvi potest, si alterutro conjugum ad Fidem converso, alter, vel nullo modo, vel non nisi injuria divini nominis, cohabitare cum eo velit.

15. Matrimonia mixta, inter Catholicos scilicet et acatholicos contracta, illicita sunt, ac merito ab Ecclesia interdicta.

§ IV. Errores contrarii.

16. Matrimonium, tanquam in se malum ac illicitum, damnarunt olim Priscillianistæ, et plures Gnosticorum sectæ, ut Marcionitæ et Manichæi.

17. Jovinianus, sæc. IV, Matrimonium virginitati æquabat ac præferebat : a Siricio Papa ut hæreticus damnatus est.

18. Montanistæ et Novatiani damnabant secundas nuptias.

19. Matrimonium, qua sacramentum, rejiciunt Protestantes, ejusque proprietates, præcipue indissolubilitatem, non agnoscunt.

20. Potestatem constituendi impedimenta, directe vel indirecte Ecclesiæ denegant *Waldenses*, *Protestantes*, *De Dominis*, *Launoius*, *Oberhauser*, *Leplat*, aliique aulici theologi, et pseudo-synodus Pistoriensis.

§ V. Instrumenta theologica.

21. Canonica de Matrimonio instrumenta præcipue sunt: *Decretum Concilii Flor. pro Armenis*; — *Concilii Tridentini Sessionis* 24, *canones* 12; nec non, quod eosdem canones præcedit, *Præambulum*, et quod sequitur, *Decretum* de reformatione Matrimonii. His addenda : *Epistola Pii VI* ad Episcopum Motulensem, 16 Sept. 1788; *Breve Pii VIII*, 25 Mart. 1830, de Matrimoniis mixtis; et *Allocutio Pii IX*, habita in consistorio secreto die 27 Sept. 1852.

22. — DECRETUM CONCILII FLORENTINI.

Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem : Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia. *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles, suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est : cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

23. — CANONES CONCILII TRIDENTINI, SESS. 24.

Can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum ; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant ; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse ; anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum ; anathema sit.*

Can. 6. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi ; anathema sit.*

Can. 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi ; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere ; mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit ; anathema sit.*

Can. 8. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus, fieri posse decernit ; anathema sit.*

Can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, et oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium ; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum ; anathema sit : cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari*

Can 10. *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cœlibatu quam jungi Matrimonio ; anathema sit.*

Can. 11. *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam ; aut benedictiones et alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur damnaverit ; anathema sit.*

Can. 12. *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos ; anathema sit.*

§ VI. Divisio Tractatus.

24. Quatuor de Matrimonio distinctæ ac præcipuæ quæstiones tractandæ occurrunt, juxta quas visa sunt quatuor statuenda capita :

Caput I, *de Matrimonio in se spectato.*
Caput II, *de Matrimonii proprietatibus.*
Caput III, *de Matrimonii impedimentis.*
Caput IV, *de Matrimoniis mixtis.*

CAPUT PRIMUM.

DE MATRIMONIO IN SE SPECTATO.

---

25. Circa Matrimonium in se, seu in sua substantia consideratum, duo quæri possunt: 1° an Matrimonium sit verum N. L. sacramentum, et 2° quænam sint hujus sacramenti constitutiva; hinc duo articuli:

Articulus I, *de veritate sacramenti Matrimonii.*
Articulus II, *de ejusdem materia, forma et ministro.*

ARTICULUS I.

DE VERITATE SACRAMENTI MATRIMONII.

26. Matrimonium semper fuit sacrum, licet non semper fuerit sacramentum. Etenim ab initio sanctificatum a Deo est in paradiso : postea autem ad dignitatem sacramenti a Christo in novo Testamento evectum est.

Propositio I, *de Matrimonii divina institutione.*
Propositio II, *de Matrimonii sacramentali dignitate.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Matrimonium a Deo institutum est.

27. Propositio *fide certa*, ut constat ex Trid. Sess. 24, in præambulo.

28. Matrimonii nomen, ut patet, hic usurpamus præcise pro *matrimoniali contractu*, non attenta ratione sacramenti, quam huic contractui inesse sequenti propositione statuemus.

29. PROB. 1° Deus est auctor naturæ; atqui matrimonium est a natura; ergo etiam est a Deo. Matrimonium esse a natura patet ex eo, quod natura, etiam secluso originali

vigentium annum ab omnibus infantibus. Positivae benedictio Dei et prima benedictio matrimonii Paradiso.

peccato, inclinet hominem ad prolis generationem. Sed natura non tantum rerum generationem, verum etiam earumdem provectionem et perfectionem intendit: conditio autem humana ita a Deo constituta est, ut proles, postquam in lucem est edita, longissimis curis indigeat, et per nutritionem et educationem, ad perfectum perduci debeat secundum corpus et animam. Jam vero hæc necessaria nutritionis et educationis officia certos requirunt parentes, eosque vinculo quodam permanente colligatos, quod non est aliud quam matrimonium. sine matrimonio non fuit educationem prolex atque est necessaria.

30. 2° Idem ex Revelatione luculentur ostenditur. Gen. I, II et III, de Adamo et Eva legimus: *Benedixit illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini... Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.. Mulier, quam dedisti mihi sociam... Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Hoc verbo pronuntiat ab Adam

31. Matth. XIX, ipse Dominus illa verba Genesis affert in testimonium, dicens: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

PROPOSITIO II.

Matrimonium est proprie dictum N. L. sacramentum.

32. *De fide*, ex. Trid. Sess. 24, can. I.

33. Matrimonium, de quo hæc propositio, idem est ac matrimonium, de quo agebatur in propositione præcedenti, sed diverso modo consideratur. Super enim spectabatur matrimonium generaliter, et præscindendo a lege Christi; hic autem consideratur, prout est sub lege Christi. Sensus itaque propositionis est: Matrimonium, quod ab initio fuit a Deo institutum ut vinculum sanctum, in nova Lege a Christo exornatum gratia, et tanquam sacramentum constitutum est.

34. PROB. Matrimonium esse veri nominis sacramentum, 1° Scriptura innuit, 2° Traditio docet, 3° universalis Ecclesiæ consensio et praxis confirmat.

est vere sacramentum ut dicit Concilium Tridentinum sed insinuat solomodo.

35. 1° Juxta ipsum Conc. Trid., Sess. 24, Matrimonii sacramentum ab Apostolo Paulo innuitur dicente: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea... Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Ephes. V, 25, 32.

36. 2° Patres conjugium inter res sacras numerant, ad religionem et cultum pertinentes, imo etiam *sacramenti* nomine vocant; cujusmodi sunt Ignatius Mart. (1), Clemens Alex. (2), Tertullianus (3), Siricius (4), Ambrosius (5). His verbis S. Doctor ultimo loco nominatus, Epist. ad Vigil. scribit: *Nihil gravius quam copulari alienigenæ... Nam cum ipsum conjugium velamine sacerdotali, et benedictione sanctificari oporteat; quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?* — Alii Matrimonium explicite ut sacramentum describunt; sic Augustinus: *In nostrarum nuptiis, plus valet sanctitas sacramenti quam fecunditas uteri.* De bon. conjug. cap. 18, n. 21; cfr. cap. 24, n. 32. Ibidem Matrimonium confert cum Ordine, quoad vinculi indissolubilitatem, ita scribens: *Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi congregatio plebis non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium remanente.* Demum concludit: *Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt: Proles, Fides, Sacramentum.* — Innocentius I, Epist. ad Probum, ita scribit: *Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus* DIVINA GRATIA FUNDATUM; *conventumque secundæ mulieris, priore superstite nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum.* Vox divortio habet plures significationes.

37. 3° Accedit Ecclesiæ universæ, tum Latinæ tum Græcæ consensio et praxis. Hæc imprimis luculentissime in Conc. Florentino, ex Græcis et Latinis Patribus composito, demonstrata est. — Deinde, sub finem sæculi XVII, Jeremias, Patriarcha CP., contra Protestantes definiebat, *Matrimonium divinum sacramentum esse, atque unum ex illis*

(1) *Epist. ad Polycarp.* cap. 5. — (2) *Stramat.* lib. 3, Edit Potteri, Venet. 1757, tom. I, pag. 532 seq.— (3) *Ad uxorem*, lib. 2, cap. 8.— (4) *Epist. ad Himerium Tarrac.* cau. 4.— (5) *Epist.* 19 *ad Virgil.* n. 7.

septem, quæ Christus et Apostoli Ecclesiæ tradiderunt. Idem sæculo XVI, in variis Orientalium synodis adversus Cyrillum Lucarin definitum est. — Consentiunt pariter Copti et Jacobitæ, Syri quoque sive Nestoriani sive Monophysitæ, ut demonstrant eorum Euchologia apud Renaudotium et Assemanum.

38. Adde argum. præscriptionis. Cum Protestantes exorti sunt, Matrimonium christianum in toto orbe catholico pro sacramento habebatur; ergo.

39. OBJIC. 1° Patres vago modo loquuntur de Matrimonio, ut re sacra: appellant *sacramentum* eo sensu latiori, quo Paulus conjugium Adæ cum Eva sacramentum appellavit; eo sensu, quo iidem Patres conjugia Hebræorum nomine sacramenti donarunt. Ergo ex Patrum dictis non solide probatur, Matrimonium vere esse sacramentum. — R. *Nego antecèdens.* Nam 1) Patres disserebant de Matrimonio cohærenter ad Ecclesiæ sensum et praxim. Porro sensus et praxis Ecclesiæ Matrimonium spectavit semper ut verum sacramentum. 2) Verba et phrases, quibus sanctitatem Matrimonii describunt, sunt non raro ejusmodi, ut obvio et naturali sensu magis vera seu accurata appareant, si intelligantur prolata de sacramento, quam si de simplici quapiam re sacra. 3) Quando PP. appellant antiqua conjugia *sacramenta*, adest ratio solida putandi, eos noluisse uti illa voce, nisi prout significat signum rei sacræ; quia videlicet loquebantur de illis conjugiis, ut de signis et figuris futuri inter Christianos Matrimonii, a Christo sanctificandi. Quando vero vocant *sacramenta* conjugia Christianorum, adest ratio solida judicandi, eos voluisse uti illa voce sensu peculiari atque excellentiori, i. e. proprie dicti sacramenti; quia scilicet loquebantur de tali Matrimonio ut de re sacra, tot antiquis conjugiis figurata, a Christo instituta, etc.

40. *Inst.* Si PP. Matrimonium pro sacramento habuissent, ad nuptiarum impugnatores hæreticos refutandos, dignitatem sacramenti maxime proposuissent. Atqui id non præstiterunt.—R. *Dist. maj.* Si illi nuptiarum impugnatores rationem sacramenti in nuptiis admisissent, *C.;* secus, *N.* Porro non admittebant.

41. *Obj.* 2° Non pauci Scholastici et Canonistæ negarunt, per Matrimonium gratiam conferri; ergo. — R. *Nego anteced.* Illorum disceptationes versebantur circa *naturam* gratiæ hujus sacramenti propriæ, quam dicebant conferri in remedium concupiscentiæ; et circa modum, quo conciliari possent pactiones et dotes, quæ in nuptiis celebrandis constitui solent. — Sane, cum Durandus visus esset de veritate hujus sacramenti dubitare, omnes statim in illum insurrexerunt, adeo ut sententiam retractare debuerit.

42. *Obj.* 3° Si Ecclesia putasset sacramentum esse Matrimonium, illi virginitatem ac cælibatum non prætulisset. — R. Non prætulisset Matrimonio *prout sacramentum est*, conc.; atqui sub hac ratione non prætulit; non prætulisset Matrimonio, *prout statum significat*, nego.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est Matrimonii sacramentum, si comparetur matrimoniali contractui?* — 2° *An sacramentum est a fidelium contractu separabile?* — 3° *An sacramentum est a contractu physice distinctum?* — 4° *An contractus matrimonialis habet rationem sacramenti respectu omnium hominum?* — 5° *Quomodo se habet Baptismus ad Matrimonium?* — 6° *Quandonam Matrimonii sacramentum institutum est?* — 7° *An Matrimonium lege præceptum est, aut virginitati præferendum?*

43. QUÆR. 1° *Quid est Matrimonii sacramentum, si comparetur matrimoniali contractui?* — R. Non est aliquid accessorium, ceu ritus quispiam contractui in se perfecto superveniens; sed est ipse contractus legitimus, physice idem manens, morali autem mutatione ad rationem et dignitatem sacramenti assumptus atque elevatus. *Dogma fidei est*, inquit Pius IX, *Matrimonium a J. C. D. N. ad dignitatem sacramenti esse elevatum, atque doctrina Ecclesiæ catholicæ, sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractui superadditam, sed de ipsa Matrimonii essentia esse* (1).

(1) Litt. 19 sept. 1852, ad Regem. Sardin. — Cf. Trid. cap. de Matrim. Item Epist. Pii VI ad Episcopum Motulensem, in qua legitur: *Dogma fidei est, ut Matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud, post Christi adventum, evaserit unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum... Hinc*

doctrina damnata ob ... in Italia qui habet multos errores circa hoc punctum.

— Porro cum dicitur, matrimonium esse elevatum ad rationem sacramenti, sensus est, matrimonialem contractum legitimum a Christo assumptum esse in signum sacramentale, sicut ablutio aquæ in Baptismo assumpta est.

44. Q. 2° *An sacramentum est a fidelium contractu separabile?* — Duplex esse potest sensus quæstionis: 1) an sit separabile sacramentum a contractu, tanquam res accidentalis a re essentialiter diversa; prout separabile foret, si totum sacramentum in sacerdotis benedictione consisteret? Et resp. negative, ut patet ex responsione præcedenti, nec non ex prop. Nuytz, asserente: *Matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum benedictione nuptiali situm esse.* Quæ doctrina a Pio IX proscripta est (1).

45. Sensus quæstionis potest esse 2) an ratio, seu forma moralis, quam Dominus addidit contractui, possit a contractu secludi; ita ut validum sit Matrimonium in ratione contractus, nullum vero in ratione sacramenti? — Et resp. sententiam negativam, quæ semper communior fuit, nuperrimis Sedis Apostolicæ declarationibus maxime confirmatam esse: ... *Quum nemo*, inquit Pius IX (2), *ex Catholicis ignoret aut ignorare possit. Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicæ legis sacramentis, a Christo Domino institutum; ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris, præter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem concubinatum... ac proinde a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse.*

46. Q. 3° *An sacramentum est a contractu physice distinctum?* — R. Si quæstio sit de distinctione reali perfecta, qualis existit inter rem et aliam rem integram, non distinguitur sacramentum a contractu, cum unum sit de essentia alterius. Quod patet, tum ex modo dictis (3), tum ex Trid.

fit ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis cura est credita, jus omne ac potestas pertineat suam assignandi formam (apponendo congrua impedimenta) HUIC CONTRACTUI, AD SUBLIMIOREM SACRAMENTI DIGNITATEM EVECTO.

(1) Brevi, 22 aug. 1852. — (2) Allocut. 27 sept. 1852. — (3) Q. 1°, n. 43.

... inum novum.
Matrimonium inter hereticos est sacramentum
batizati vel non

docente, *matrimonium*, i. e. contractum matrimonialem, in quo Matrimonii essentia consistit, *esse sacramentum* (1).

47. Si sermo sit de distinctione imperfecta, qualis est inter totum ejusque partem, ut inter hominem ejusque animam, duplex est opinio. Nonnullli tenent, contractum distingui a **sacramento tanquam** partem a toto, quasi sacramentum sit ex contractu et benedictione coalescens. — Plerique autem censent, contractum esse sacramentum totum, et cum eo physice identificatum, nec ab eo distingui nisi logice cum fundamento in re, i. e. virtualiter (2), sicut res a forma morali, ex. gr. sacrum vas a sua sanctitate distinguitur.

48. Q. 4° *An matrimonialis contractus habet rationem sacramenti, respectu omnium hominum?* — R. Non est sacramentum nisi fidelibus, i. e. baptizatis. Lex enim Evangelica, quæ Matrimonium in sacramentum constituit, non applicatur nisi suis subditis, qui sunt baptizati. Infideles, qui non sunt nisi sub lege naturali, Matrimonium habent quale in lege naturali sancitur, contractum videlicet legitimum sed gratiæ non collativum.

49. Q. 5° *Quomodo se habet Baptismus relate ad Matrimonium?* — R. Tanquam conditio, *sine qua non* potest fieri sacramentum Matrimonii. — Hinc, si utraque pars nuptias contrahens Baptismo careat, contractus ille non sacramentum, sed matrimonium mere naturale est. Quod si alterutra tantum pars sit baptizata, an possit fieri sacramentum, disputatur; cæterum hodie, in tali casu adest impedimentum dirimens. — Si vero conjuges infideles recipiant Baptismum, an, eo superveniente, matrimonium antea contractum fiat sacramentum, iterum disputatur : certum tamen est, illud fieri indissolubile. — Si ambo contrahentes sint baptizati, alterutra autem pars fuerit acatholica, sacramentum conficitur ; at hujusmodi Matrimonium, licet validum, est illicitum, nisi dispensetur.

50. Q. 6° *Quandonam Matrimonii sacramentum est institutum?* — R. Incertum est. 1) Alii existimant illud institutum

(1) Cf. S. Thom. *Supplem.* q. 42, art. 3, ad 2.
(2) Conf. Tom. I, tract. 5, *De Deo*, cap. II. Q. 2°, n. 68.

Matrimonium inter baptizatus et not bap-
tisatus de jure divino est valida de jure eccle-
sia non est valida est impedimenta.

Galilae fuit preparatus quod ... ipsum ad matrimonium. Per accidens esset praeceptum inter Adam et Eva sed non est de praecepto.

esse in nuptiis Cana, Joan. II; et innituntur verbis Concilii Ephesini, dicentis: *Christum dispensatorie ipsis tunc benedixisse nuptiis, quum in Cana Galilææ, cum sanctis vocatus Apostolis, adesse dignatus est.* — 2) Alii, cum Christus Matrimonii indissolubilitatem stabilivit. Matth. XIX, 6. — 3) Alii demum, post resurrectionem, quo tempore Dominus cum discipulis suis conversatus est, *loquens de regno Dei*. Act. I, 3.

51. Q. 7° *An Matrimonium lege præceptum* (1) *est, aut virginitati præferendum?* — R. 1) Admittendum est præceptum *naturale*, obligans communitatem humani generis generatim, ut per matrimonium conservationi speciei provideatur, nullum tamen hominem in particulari (2) *per se* obligans. *Positivum* vero præceptum nullum exstat sub L. N., neque probabilius exstitit sub Vetere.

52. 2) Dogma fidei est, Tridentini can. 10 definitum, virginitatem meliorem esse statu conjugali. Etenim dicentibus discipulis, Matth. XIX, 10: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere;* respondit Dominus: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus* DATUM EST. Cf. I, Cor. VII. — Inde SS. PP. tam præclaris laudibus virginitatem extollunt. *Non meum est illud*, inquit S. Ambrosius, *quoniam qui non nubent neque nubentur, erunt sicut angeli Dei in cœlo... Quis neget hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facile invenimus in terris, nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit?... Tunc toto orbe, diffusus corporibus humanis, vitæ cœlestis usus inolevit.* Lib. 1 de virginit.

Celebatus in lato sensu est ille qui non contraxit matrimonium; stricto sensu est ille qui vivit sine matrimonio in statu castitatis. Sunt multiplex qui vivet in celebatus in lato sensu sed non in statu castitatem.

ARTICULUS II.

DE MINISTRO, MATERIA ET FORMA MATRIMONII.

53. Licet omnes Theologi consentiant, Matrimonii sacramentum, non minus quam Ordinem, debitis materia, forma et ministro, in Ecclesia administrari; in determinando tamen quæ sint præcise partes seu causæ hujusmodi, non ita concordant. Hæc porro tota quæstio ab alia pendet, quam

(1) Matrimonium esse *honestum* in se, quod adversus Gnosticos et Priscillianistas definivit Ecclesia, ex eo evidenter patet, quod sit a Deo institutum, et a Christo ad sacramenti dignitatem elevatum.

(2) Cf. S. Thom. 2. 2, q. 152, art. 2, ad 1.

Protestantes dicunt matrimonium est praeceptum necessarium quia dicunt non potest vivere in statu perfectae castitatem sine matrimonium. Hoc doctrina Lutherus est

præmisimus (1), de matrimonialis contractus et sacramenti inseparabilitate; quare, inseparabilitate hac perspecta, facile quoque intelligetur, quid de ministro, materia et forma Matrimonii censendum sit.

QUÆSTIONES.

1° *Quis est minister Matrimonii?* — 2° *Quænam ejusdem sacramenti materia et forma?* — 3° *Quinam effectus?*

54. QUÆR. 1° *Quis est Matrimonii minister?* — R. Duplex præcipue datur sententia: altera tradit, ministros esse contrahentes, qui hoc ipso quod contractum perficiunt, sacramentum sibi ipsi administrent, sacerdotis benedictione solummodo Matrimonium confirmante; — altera, quam Melchior Cano præcipue propugnavit, asserit ministrum esse sacerdotem.

55. *Prior sententia*, quæ semper inter TT. et Canonistas fuit communior, hodie a primariis Auctoribus (2) *certa* vocatur. Nec immerito, si rationum gravitas perpendatur. Probatur enim, 1) ex Conc. Flor. dicente: *Causa efficiens Matrimonii est regulariter mutuus consensus, per verba de præsenti expressus;* atqui mutuum consensum ponunt contrahentes; ergo ipsi ponunt causam efficientem, adeoque ipsi efficiunt Matrimonii sacramentum: ac proinde sunt ministri. 2) Ex Trid. *cap. I de reform. Matrimonii,* ubi Concilium permittit, verba benedictionis nuptialis varia usurpari, pro cujusque provinciæ ritu; quod non permisisset, si illa verba essent forma a sacerdote tanquam ministro proferenda. 3) Ex eo quod Matrimonium clandestinum, sine sacerdote contractum, et olim fuit, et hodiedum, in certis locis, est validum, adeoque verum sacramentum. 4) Ex auctoritate S. Thomæ: *Verba*, inquit, *quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale* (3). — 5) Ex auctoritate Benedicti XIV, qui scribit (4), hujus sacramenti *materiam esse mutuam corpo-*

(1) Art. præced. n. 44 seqq. — (2) S. Alph. de Lig. n. 897; Perrone, *De Matrimonio christiano*, tom 1, p. 175. — (3) Supplem. q. 42, art. 1 ad 1. Cf. in 4, dist. 26, q. 2, art. 1 ad 1, et art. 3 ad 2.

(4) Brevi, *Paucis abhinc,* ad Ep. Goanum.

rum traditionem, verbis ac nutibus assensum exprimentibus; et mutuam acceptationem, formam. 6) Demum ex natura sacramenti: quæ physice considerata consistit, et quidem, juxta probabiliorem sententiam, simpliciter atque præcise, in ipso contractu matrimoniali valido: hic autem a solis contrahentibus efficitur.

56. Q. 2° *Quænam est Matrimonii materia et forma?* — R. 1) Materia remota sunt corpora contrahentium, vel mutuum in ea dominium, in ordine ad usum conjugalem: quod est ipsum objectum contractus.

57. 2) Circa materiam proximam et formam, sententiæ dividuntur, sicut in quæstione de ministro, a qua dependent. — Qui opinantur sacerdotem esse ministrum, statuunt materiam proximam esse contractum, formam autem, sacerdotis benedictionem, his fere verbis expressam: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* — Qui vero dicunt ministros esse ipsos contrahentes, communius docent, materiam et formam contineri in contractu expresso verbis, vel *formaliter* vel *æquivalenter* talibus (1); eumque habere rationem materiæ, quatenus significat mutuam traditionem juris in corpora; formæ vero, quatenus mutuam acceptationem illius juris enuntiat.

58. Q. 3° *Quinam sunt Matrimonii effectus?* — R. 1° Matrimonii, ut est contractus, effectus sunt: 1) vinculum indissolubile, 2) dominium mutuum corporis in ordine ad actum conjugalem, 3) obligatio mutua fidelitatis, 4) obligatio prolem recte educandi, 5) obligatio cohabitationis et mutui adjutorii.

59. 2° Matrimonii, ut est sacramentum, effectus sunt: 1) Augmentum gratiæ sanctificantis, 2) gratiæ actuales (2), opportuno tempore dandæ, ad conjugalem amorem confirmandum, ad refrænandam libidinem, ad mutua onera supportanda, ad mutuam fidelitatem servandam, ad prolem bene educandam et gubernandam familiam; 3) virtutum theologicarum et moralium, præcipue charitatis, pietatis, fidelitatis et patientiæ augmentum.

(1) Cfr supra, tract. *De Sacram. in gen.*, n. 60.
(2) Cfr supra, *De Sacr. in gen.* n. 160.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS

60. Matrimonii Christianorum præcipuæ proprietates sunt duæ: *Unitas* et *Indissolubilitas*; unde duo articuli:

Articulus I, *de unitate Matrimonii.*
Articulus II, *de indissolubilitate Matrimonii.*

ARTICULUS I.

DE UNITATE MATRIMONII.

61. Unitas Matrimonii est *conjunctio unius viri cum una muliere, ut in primæva institutione factum est.* — Unitati adversantur *polyandria* et *polygamia*, non quidem successiva, quod olim perperam Montanistæ dixerunt, sed *simultanea.*

Propositio, *de monogamia Evangelica.*
Quæstiones, *de polygamia.*

PROPOSITIO I.

In nova Lege polygamia est jure divino prohibita.

62. *De fide*, ex Trid. Sess. 24, can. 2.

63. PROB. 1° Pharisæis interrogantibus, utrum liceret homini uxorem dimittere quacumque ex causa? respondit Christus: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo* (non tres aut plures) *in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. XIX, 4 seqq. Quibus verbis Dominus matrimonii unitatem revocat ad primævam institutionem. — *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Marc. X, 11. — *Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit,*

mœchatur; et qui dimissam a viro ducit, mœchatur. Luc XVI, 18. —Apostolus idem docet: *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Rom. VII. 3.—*Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* I Cor VII, 39.

64. 2° S. Ambrosius: *Non licet tibi uxore vivente aliam ducere: nam et aliam quærere, cum habeas tuam, crimen est adulterii.* De Abraham. l. I, cap. 7.—Innocentius I: *De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt: quos in utraque parte adulteros esse manifestum est.* Epist. ad Exuper. Tolos. c. 6. Labb.—S. Chrysostomus: *Christus adveniens et virtutem in hominibus plantans, angelosque, ut ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem consuetudinem* (habendi duas vel plures uxores) *abolevit.* Homil. 56 in Gen. n. 3. Edit. Maur. t. 4, pag. 542.

65. 3° Quando Lutherus, Melanchthon et Bucerus, an. 1539, Philippo Hassiæ Landgravio divortium a legitima uxore, et novas nuptias permiserunt, totus Christianus orbis exhorruit.

QUÆSTIONES.

1° *Quid dicendum de polygamia?* — 2° *An polygamia successiva est illicita Christianis?*

66. QUÆR. 1° *Quid dicendum de polygamia?* — R. Quæstio est de pluralitate simultanea uxorum; nam de pluralitate virorum, seu polyandria, non est quod quæratur. Hæc enim a natura aperte reprobatur, utpote primario Matrimonii fini, i. e. procreationi et debitæ educationi prolis repugnans: quare prostitutio, ad quam polyandria reducitur, omni tempore ut infamis et flagitiosa fuit habita.

67. Polygamia considerari potest respectu legis naturæ et respectu legis positivæ. Quod attinet ad primum, TT. communiter sentiunt, cum S. Thoma (1), polygamiam non esse contrariam primario Matrimonii fini; adeoque non intrinsece malam, nec absolute præceptis naturæ prohibitam; eam tamen adversari secundariis conjugii finibus, cujusmodi sunt pax, tranquillitas, mutua obsequia, etc.; adeoque esse pro-

(1) *Supplem.* q. 65, art. 1.

potest habere ... mitti alterius. Mulier qui habet plures viros ...

hibitam, ut contariam juri naturæ secundario, in quo solus Deus dispensare possit.

68. Respectu legis positivæ, polygamia divinitus prohibita fuit, in primæva Matrimonii institutione ut patet ex verbis, quæ Adamus divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit :... *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit* UXORI SUÆ, *et erunt* DUO *in carne una* (1). — Postmodum in hac lege divinitus dispensatum fuisse constat, tum exemplis Abrahami, Jacobi, Davidis, quibus plures uxores habere licuit; tum ipsa lege Mosaica, Deut XXIV, 1 5. Imo eam dispensationem ad gentiles fuisse extensam, communior sententia docet. — Erat autem hæc dispensatio imperfectum quiddam, Evangelica perfectione tollendum.

69. Quare omnis id genus dispensatio in N. L. cessavit. Sublata namque est polygamia in toto terrarum orbe, quando Matrimonium ad institutionem primævam a Christo est revocatum (2). Hinc sequitur, gentilem polygamum non habere uxorem legitimam nisi unam, eam nempe quam primam duxerit : reliquæ concubinæ sunt. Quare si ad fidem convertatur, primam illam uxorem legitimam retinere *per se* debet, ut expresse docet Innocentius III, cap. *Gaudemus* de Divortiis. — Dixi *per se;* nam fieri potest ut liceat ipsi e mulieribus suis unam eligere, quam velit : 1) si cum nulla ex illis contraxit matrimonium verum, sed tantum usus est earum contubernio et concubinatu, quæ res gentilibus est frequentissima; aut etiam, si de veritate hujusmodi matrimonii rationabiliter dubitatur. 2) Si Sedes apostolica ex gravi causa illud matrimonium dissolvat: quæ potestas solvendi matrimonium etiam consummatum infidelium, S. Sedi a multis probabiliter asseritur; imo exercita fuisse videtur a S. Pio V, Constit. *Romani Pontificis*, et a Gregorio XIII, Constit. *Quoniam sæpe contingit* (3).

70. Q. 2° *An polygamia successiva est illicita Christianis?*— R. Hanc nequaquam esse illicitam, Ecclesia olim contra

(1) Cf. Trid. cap. *de Matrim.*—(2) Cfr Lessius, *de Matrim.* c. 1, dub. 7, et c. 5, dub. 3. — (3) Hujusmodi praxim respectu infidelium, ut nempe ille qui ad fidem convertitur, inter concubinas suas eligat unam, quam voluerit, in conjugem : hanc, inquam, praxim *tutam* esse, constat responso

Videtur quod in V. L. polygamia fu... licite et valide. Unicum impedimentum dirimens a Christo institutum est Biga...

contra Egar.

Montanistas et Novatianos testata est. Idem docet Eugenius IV, et cum eo Conc. Flor., in decreto pro Jacobitis : *Declaramus, non solum secundas nuptias, sed etiam tertias et quartas et ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse.* — Quod etiam luculenter docet Scriptura : *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Rom. VII, 2. Item I Cor. VII, 39.

71. Attamen Ecclesia semper viduitatem honore prosecuta est, secundas vero nuptias habuit pro re, quæ hominem Christianum minus deceat, quasi intemperantiæ et incontinentiæ sit indicium. Unde per jus canonicum excluduntur e clero bigami, et bigamia tanquam irregularitas habetur, quod constat ex titulo *de Bigamis*. — Ut hæc severitas disciplinæ, atque Patrum dicta duriora de bigamia recte intelligantur, meminisse oportet, quanta esset inter gentiles depravatio ac in Matrimoniis licentia. Seneca (1) dicit, *adulterium esse sponsalia secundarum nuptiarum;* ita ut secundæ nuptiæ vulgo essent vel adulteræ, vel in adulterio fundatæ. Ideo severitate opus fuit, ut Christiani inter gentiles castitatem Matrimonii docerentur.

ARTICULUS II.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

72. Distinguenda est *indissolubilitas* Matrimonii ab *unitate*. Posset enim Matrimonium esse unum, nec tamen indissolubile, et vice versa. Indissolubilitas Matrimonii est ejusdem perpetua firmitas, qua fit, ut non, sicut alii contractus, vel ad tempus iniri, vel, postquam initum fuerit, contrahentium voluntate solvi possit.

73. Indissolubilitati adversatur *solutio*. Solutio distinguitur duplex : *perfecta*, quoad vinculum ; et *imperfecta*, quoad torum, manente vinculo, quæ potius dici solet *separatio*.

74. Quod spectat ad solutionem quoad vinculum, distinguitur Matrimonium *legitimum*, Matrimonium *ratum* et

Urbani VIII ad P. Joannem de Lugo, postmodum Cardinalem, an. 1629. Videsis Cordara *Hist. Soc. Jesu*, p. 6, l. 14, n. 239-242.—(1) *De benef.* cap. 9.

solubile. Matrimonium inter infideles consummatum non est indissolubile sive consummatum vel non.

Matrimonium *consummatum;* quæ tria distant inter se perfectionis et firmitatis gradu.

75. Matrimonium quod *legitimum*, præcise tale, seu *verum* nuncupatur, illud est, quod ab infidelibus contrahitur, et nulla lege irritatur. Hoc solvi posse, inter omnes Catholicos convenit.

76. Matrimonium duntaxat *ratum*, illud est, quod inter baptizatos contractum, necdum usu consummatum est. Hoc potest dissolvi, tum per solemnem Religionis professionem, tum etiam per Romani Pontificis dispensationem (1).

77. Matrimonium inter baptizatos usu *consummatum*, nunquam, nisi mors alterius partis interveniat, quoad vinculum dissolvi potest. Potest autem quandoque, quoad torum et cohabitationem, divortium fieri.

Propositio, *de indissolubilitate.*
Quæstiones.

Matrimonium potest esse invalida propter aliquod impedimenta dirimentia.

PROPOSITIO.

Vinculum Matrimonii Christianorum consummati est omnino indissolubile.

78. Propositio est *fide certa*, non autem sub anathemate definita, ut patet ex verbis canonis 7, ejusd. Sess. 24 Trid. (2).

79. Dicitur : *omnino indissolubile*, hoc est, nulla ex ratione, ne ob adulterii quidem causam, divortium fieri potest in ordine ad secundas nuptias; quia vinculum prioris Matrimonii integrum perdurat.

80. Statuitur hæc assertio contra Protestantes, et etiam contra Launoium, qui sæculo XVII, in opere *De regia in Matrimonium potestate*, Protestantium placita tueri conatus est. — Perstringit etiam Græcos, apud quos jam dudum, in hac materia, error saltem practicus inolevit.

81. PROB. 1° *Quod Deus conjunxit homo non separet... Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Marc. X, 9 et 11. Cfr. Matth. V, 32 et XIX, 9;

(1) Cf. supra, Doctrina cathol. n. 13; et infra n. 95.

(2) Hunc canonem non disciplinarem sed doctrinalem esse, ostendit Roskovany, *De Matrimonio in Ecclesia cathol.*, tom. 2, cap. 4, § 168 et præced.

Receptione subdiaconatus non est suffi... dissolvunt vinculum matrimonium sed non potest contrahat matrimonium valide

Luc. XVI, 18; Rom. VII, 2 et 3; I Cor. VII, 10 et 11. *Hæc verba Apostoli*, ait Augustinus (1), *toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis; sed non carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus.*

82. 2° Traditione utriusque Ecclesiæ. Præter laudatum jam Augustinum, unum adhuc ex Latinis citabo Tertullianum. Hic, licet quædam de hac re obscurius dixerit, in lib. de Monogamia, cap. 2, diserte scribit : *Per mortem utique, non per repudium solvi Matrimonium; quia repudiatis non permitteret Apostolus nubere adversus pristinum præceptum.* — Innocentii I testimonium, in responsione ad Exuperium Tolosanum, supra allegavimus (2).

83. Nec multo minus aperta sunt testimonia Patrum græcorum, quidquid Græci recentiores ad fulciendum errorem suum disputent. Exempli loco sint Clemens Alex. et Chrysostomus. Prior, lib. 2. Strom. in fine, ait : *Quod Scriptura nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constituit : Non dimittes uxorem, præterquam ob fornicationem.* ADULTERIUM *autem existimat conjungi Matrimonio, vivo altero ex separatis.* En separatio a toro pronuntiata, firmo manente vinculo conjugali. — S. Chrysostomus : *Hic, quod alienam ducat, mœchus et ipse fit. Ne mihi enim dicas : ille ejecit; nam* EJECTA ADHUC MANET EJICIENTIS UXOR. Homil. 17 in Matth. n. 4 (3).

84. 3° Ratio suffragatur. 1) Matrimonium fidelium est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; ergo arctissimum vinculum ac indissolubile sit oportet. 2) Divortium quoad vinculum est maxime exitiale liberis, qui, a patre aut matre adhuc vivente separati, a teneris discunt odisse, quos venerari et amare natura jubet; atqui tantus defectus cum perfectione Evangelicæ legis nequaquam videtur posse constare. 3) Labefactata semel conjugii firmitate, infinitis repudiis cum horrenda morum dissolutione via sterneretur, sicut apud Protestantes videre est; atqui iterum perfectio Evangelicæ

(1) *De adult. conjugiis*, l. 2, c. 5. — (2) Propos. *de monogamia Evangel.* n. 64.— (3, Cfr Klée, *Hist. des dogmes*, t. 2, chap. 6.

legis tantum defectum videtur excludere. 4) Si in casu adulterii solveretur conjugii vinculum, ingens istud foret sceleris incitamentum; quod iterum Evangelico spiritui adversatur.

QUÆSTIONES.

1° Quomodo interpretanda sunt verba Matth. V, 32 et XIX, 9? — 2° Undenam Matrimonii indissolubilitas exoritur? — 3° Quænam est Græcorum doctrina et praxis, quoad indissolubilitatem Matrimonii in casu adulterii? — 4° Quænam repudia fiebant in Lege veteri? — 5° Quænam est solutio Matrimonii in casu Apostoli? — 6° Quando Matrimonium ratum sed non consummatum solvi potest?

85. QUÆR. 1° Quomodo interpretanda verba Matth. V, 32 et XIX, 9? — R. Legimus apud Matth. V, 32 : *Omnis qui dimiserit uxorem suam*, EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA, *facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit adulterat.* Et XIX, 9 : *Quicumque dimiserit uxorem suam*, NISI OB FORNICATIONEM, *et aliam duxerit mœchatur*; *et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Horum verborum, in quibus clausula de fornicatione præcipuam facessit difficultatem, tres dantur interpretationes probabiles. Juxta 1^am^, Christus ad sensum quæstionis ei propositæ : an in lege Mosaica liceret dimittere uxorem? respondet : *Permisit vobis Moyses, in casu adulterii tantum, dimittere uxorem et aliam ducere.* Ita ut clausula restringenda sit ad legem Moysi.

86. Juxta 2^am^, dividenda est responsio Christi in duas partes, unam ad Judæos : *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepto casu adulterii, mœchiæ reus est;* — alteram ad discipulos in domo, Marc. X. 10 : *Et qui alteram duxerit, etiamsi hæc dimissa sit, mœchatur;* ita ut prior responsionis pars præcisiva tantum sit, non negativa : videlicet *præscindat* ab affirmanda Matrimonii indissolubilitate in casu adulterii, *non* tamen eam *neget;* altera vero pars indissolubilitatem *affirmet.*

87. Juxta 3^m^, clausula *nisi ob fornicationem*, referenda tantum est ad dimissionem, seu primum enuntiationis membrum; ita ut sensus sit : *Quicumque dimiserit uxorem suam*

(quod non licet nisi ob fornicationem), et aliam duxerit (priore vivente, sive hæc sit, aut non sit adultera), mœchatur.

88. Jam vero, quæcumque ex his tribus interpretationibus admittatur, ratum manet, Christum indissolubilitati Matrimonialis vinculi, pro adulterii casu, non derogasse.

89. Q. 2° *Quo jure matrimonii indissolubilitas firmatur?* — R. 1) Certum est, Matrimonium consummatum Baptizatorum esse indissolubile jure divino positivo, ut modo demonstratum est. Plena autem firmitas vinculi, juxta S. Augustinum, ex ratione sacramenti oritur. — De Matrimonio fidelium tantum *rato* idem censendum, contra Medina, qui putat illud esse sola lege Ecclesiastica indissolubile. 2) An Matrimonium, saltem *consummatum*, sit indissolubile jure naturæ nec ne, disputatur. Illud videtur certum, saltem non de jure naturæ *primario* indissolubile esse : secus enim nec ab ipso Deo solutum unquam fuisset : cum tamen, uti communius censent, repudiis, in V. L. fieri solitis ipsum Matrimonii vinculum solveretur; idemque in N. L. solvatur in casu, cujus meminit Apostolus, ut infra dicemus (1).

90. Q. 3° *Quænam est Græcorum doctrina et praxis, quoad indissolubilitatem Matrimonii in casu adulterii?* — R. Ecclesiæ græcæ, hac in re, doctrina non differt a doctrina Ecclesiæ latinæ; differt autem praxis. — Etenim Græci, non tantum schismatici, sed etiam non raro uniti, ob causam adulterii novas iniri nuptias permittunt, antiquam consuetudinem seu abusum sequentes. Quæ consuetudo iis temporibus originem sumpsisse videtur, quibus Ecclesia græca mores suos ad Imperatorum decreta conformare cœpit; sæculo autem VIII, sub Constantino VI, Irenes filio (790), se prodidit manifestius; at post Photii et Cerularii schisma præcipue invaluit.

91. Ita agunt Græci; non tamen ita credunt, sibimetipsis insigniter contradicentes. Licet enim abusum suum Scripturæ et Patrum suffragio cohonestare tentaverint; nunquam eum ut certam Evangelii doctrinam habuerunt, sed potius ut praxim, vi consuetudinis magis quam fidei documentis, quomodocumque legitimam.

(1) Quær. 5° n. 94. Cf. Bellarm. *De Matrim.* lib. 1.

92. Neque tamen praxim hujusmodi spectarunt ut mere disciplinarem : sed, confitentes rem esse positiva Evangelii lege determinatam, veritatem in injustitia, i. e. in oblivione et obscuritate detinuerunt, ut morum corruptelæ indulgerent. Hoc manifestum fit,—1) ex Constitutionibus pontificiis, tum Clementis VIII, 1595, in instructione pro Italo-Græcis, quam Benedictus XIV confirmavit in Constit. *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742; tum Urbani VIII, in Professione fidei quam Orientalibus præscripsit, 1640.—2) Ex responsis Jeremiæ, CP. Patriarchæ schismatici, ad Lutheranos an. 1578 datis (1). — 3) Ex Decreto Eugenii IV pro Armenis.—4) Ex agendi ratione Græcorum et Latinorum, tum ante unionem in Concilio Flor., tum postea. — 5) Ex agendi ratione eorum, qui schismatis auctores exstitere sæculo IX. — 6) Ex fide Græcorum Patrum, qui cum Latinis eamdem doctrinam evangelicam et apostolicam profitentur, circa indissolubilitatem Matrimonii, etiam in casu adulterii (2).

93. Q. 4° *Quænam in Lege veteri repudia fiebant?* — R. Ante diluvium, nulla de divortio aut repudio mentio occurrit; prima apparet in lege Mosaica, Deut. XXIV. — Probabilius videtur, Matrimonium, facto repudio, quoad ipsum vinculum fuisse solutum ; repudium vero, non ut minus malum toleratum, sed ut aliquid minus perfectum fuisse permissum; nec libellum repudii potuisse scribi pro libitu, sed tantum *propter fœditatem*, ut Deut. textus habet, vel, ut Tertullianus interpretatur, *propter impudicum negotium*. — Post captivitatem Babylonicam, et imprimis post Romanorum adventum et sub Herodis regimine, levissima, imo quacumque de causa, apud Judæos dabatur libellus repudii; quin, ipsæ uxores maritos repudiabant. Ad hanc sane licentiam contulerat influxus Romanorum, inter quos tunc temporis abusus ille omnino vigebat; cum tamen, teste Tertulliano (3), per sexcentos annos ab Urbe condita, nullum exemplum repudii dedissent.

(1) Cf. Roskovany, op. cit. tom. 2, cap. 2, § 164 seqq.—Schelstrate, *Acta orientalis Eccl. contra Lutheranos*.
(2) Cf. Perrone, *De Matrim. christ.*, tom. 3, sect. 2, cap. 4.
(3) *Apologet.* cap. 6.

94. Q. 5° *Quænam est solutio Matrimonii* IN CASU APOSTOLI? — R. Est illa, quæ, in favorem fidei concessa, promulgatur ab Apostolo, I, Cor. VII, 12 seqq., scribente : *Cæteris ego dico, non Dominus... Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum... Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus.* Ex quibus verbis hæc eruitur propositio : Matrimonium, ab infidelibus legitime contractum, dissolvi potest quoad vinculum, si, alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum eo pacifice vivere, vel non consentiat cohabitare sine contumelia Creatoris. — At fieri potest, ut conjux infidelis pacifice cohabitare velit : in quo casu, an conjux fidelis *valide* ad novas nuptias transire possit, inter DD. disputatur cum Apostoli verba : *Non dimittat*, ab aliis ut præceptum, ab aliis vero ut consilium accipiantur (1).

95. Q. 6° *Quando Matrimonium ratum sed non consummatum solvi potest?* — R. In duplici casu : 1) per solemnem Religionis professionem alterius conjugum ; 2) per dispensationem Summi Pontificis. Primum de fide est, ex Trid., Sess. 24, can. 6; alterum pro certo teneri debet, juxta doctrinam Benedicti XIV, quæst. 546, n. 36 (2).

(1) Cfr Lessius, *De Matrim.* c. 5, dub 4, 5. — Bened. XIV, *De Syn.* l. 13, c. 21, n. 1.—De cætero probabile est, posse tale Matrimonium ab Apostolica Sede dissolvi, ut pars ad fidem conversa alias nuptias inire valeat. Cf. supra, art. 1, n. 69.

(2) Cfr Perrone, *De Matrim. christiano*, tom. 3, sect. 2, cap. 6.

CAPUT TERTIUM.

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS.

---

96. Quæstio de impedimentis Matrimonii logice ad subjectum sacramenti hujus refertur, quoniam impedimento afficitur subjectum, et inhabile redditur ad Matrimonium contrahendum.

97. Duplex distinguitur impedimentum, *impediens* et *dirimens*. Impedimentum *impediens* illud est, quod obstat quominus Matrimonium *licite; dirimens* vero id, quod obstat quominus *valide* contrahatur.

98. Circa impedimenta impedientia vix ulla est controversia; sed magna fervet circa dirimentia, 1° inter Protestantes et Catholicos; 2° inter pseudo-politicos Theologosque neotericos, quos *regalistas* appellant, et sinceros Catholicos, qui partes Ecclesiæ tuentur.

99. Impedimenta dirimentia contemnere ausi sunt, primo Waldenses, sæculo XII; deinde Lutherani et Calviniani, qui Matrimonium asserebant esse contractum mere civilem, nec alia impedimenta, quam quæ in Levitico leguntur, admittenda esse. — Initio sæculi XVII, Marcus Antonius de Dominis, Archiepiscopus Spalatensis, deinde apostata, contendit, nec Matrimonii vinculum, etiamsi admittatur inesse illi rationem sacramenti, nec matrimoniales causas Ecclesiasticæ potestati ullò modo subjacere. — Spalatensem secutus est, ac fere exscripsit Launoius, doctor Parisiensis, qui in opere *De regia in Matrimonium potestate*, docet: 1) sacramentum a matrimoniali contractu esse prorsus distinctum. 2) Ecclesiam propria auctoritate posse quædam statuere circa sacramentum; circa contractum vero nihil, nisi ex Principum expresso vel tacito consensu. 2) Contractum esse mere civilem, civilis potestatis dispositionibus subjectum. — Ut

Errores circa impedimenta matrimonii: Pote[illegible]
[illegible] duplicem causam. Illi dicunt pe[illegible]
[illegible] ad statum et legem civilem et non [illegible]

autem eludat canonem 12 Sess. 24 Trid., addit, 4) Tridentinos Patres, nomine *Ecclesiæ*, sæculares Principes in Ecclesia existentes significasse.—Damnatum est mox Launoii systema ab Innoc. XI, 10 Dec. 1688.

100. Falsa hæc doctrina sæculo XVIII instaurata fuit a multis Theologis aulicis, inter quos eminet Oberhauser Fuldensis, 1763; sub quorum auspiciis prodiit, 1783, constitutio Josephi II, qua cognitio causarum matrimonialium judicio potestatis civilis committebatur. Istius constitutionis principium erat: *Matrimonium esse contractum civilem, qui ad civilem pertineat potestatem; Ecclesiam tantum posse præcepta quædam prohibitiva constituere, quæ religionem et mores promoveant, ad conservandam sacramenti dignitatem.*— Idem principium secuta est legislatio Gallica 1792. — Jus quoque Napoleonicum civiles magistratus Matrimonio præfecit, statuendo, unum ad Matrimonii validitatem requiri et sufficere: ut nempe consensus mutuus a sponsis declaretur coram civili magistratu, nulla habita Ecclesiæ consentientis vel dissentientis ratione.

101. Subsecuti sunt sæculo XIX Theologi, qui potestatem statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, *utrique auctoritati, civili et ecclesiasticæ, ex æquo* competere assererent (1).

102. Variis quidem his erroribus Concilium Trid. can. 3, 4 et 12 (2), aditum præcluserat; sed Tridentini doctrinam ut eluderent fautores potestatis civilis, dixerunt: 1° *Ecclesiæ* nomine Reges et Principes civiles designari, ut de Launoio supra notavimus; 2° canones non esse dogmaticos sed disciplinares; 3° illis definiri quidem, Ecclesiam posse impedimenta constituere: non vero, utrum jure suo ac originario, an tantum ex Principum concessione id possit; 4° non soli Ecclesiæ, sed etiam Regibus illam potestatem competere; 5° pertinere quidem causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos, non tamen *omnes* hujusmodi causas, neque ad *solos* judices ecclesiasticos.

(1) Illustr. Bouvier, *Institut. theol.* t. 4, edit. 1836. — Cl. Carrière. *De Matrim.* tom. 1, n. 595 seqq. edit. 1837. Uterque auctor, in posterioribus editionibus, illam sententiam dereliquit. — (2) Supra, n. 23.

ad Summus Pontifex dat dispensationem
id est ad majorem casum. Summus Pontifex
reservat casum Principis vel Regis quoad
ditatem matrimonii, quia Episcopus non
habet satis libertatem circa hoc casum.

103. Adversus hæc omnia ut vindicemus veritatem catholicam, statuenda :

Propositio I, *de potestate Ecclesiæ in impedimentis Matrimonii.*
Propositio II, *de potestate Ecclesiæ in causis matrimonialibus omnibus.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Ecclesia, eaque sola, jure divino potestatem habet statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia.

104. Prima pars, *Ecclesiam* scilicet *hac potestate gaudere*, est *de fide*, ex Trid. Sess. 24, can. 3 et 4. — Secunda pars, *potestatem hanc esse Ecclesiæ solius*, est *certa*, et deducitur ex Trid. can. 4 et 12, necnon ex damnatione propositionis 60 Pistor. — Tertia pars, *potestatem hanc Ecclesiæ competere jure divino*, seu proprio et originario, non autem ex concessione Principum, *item certa est*, ut aperte colligitur ex Trid. can. 4, et ex censura Propos. 59 synodi Pistor. — Porro canones allati 1) sunt vere dogmatici, cum statuant non tantum quid sit agendum, sed quid credendum et docendum : 2) nomine *Ecclesiæ* non designant Principes sæculares, sed Ecclesiæ Prælatos, cum de Ecclesia regente et docente agant.

105. PROB. I PARS. 1° Ex eo, quod contractus matrimonialis est sacramentum. Si enim Matrimonium commissum Ecclesiæ est tanquam sacramentum dispensandum, profecto commissum est totum, cum materia et forma sua, quæ sunt ipse contractus matrimonialis. Contractus itaque ut rite dispensetur, approbandus ab Ecclesia est : qui si ab ea non approbetur, nec legitimus erit, sed hoc ipso ex natura rei invalidus.— Deinde, si Matrimonium Ecclesiæ in manu traditum est ut sacramentum, simul etiam tradita sit oportet potestas, ad hoc sacramentum in animarum salutem rite dispensandum necessaria ; atqui ad hujusmodi dispensationem necessaria est potestas statuendi impedimenta ; ergo ista potestas Ecclesiæ collata est. Hinc videmus, ab Apostolo Paulo excommunicari Corinthium, qui habebat *uxorem patris sui*, I Cor. V; et dissolubilitatem matrimonii infidelis ad fidem conversi, I Cor. VIII, constitui : per potestatem nimirum Ecclesiæ concessam a Christo, qui et ipse primus, potestate su-

...a circa impedimentum matrimonii.

prema sibi insita et nativa, impedimentum ligaminis statuerat. Matth. XIX.

106. 2° Ex perpetua Ecclesiæ praxi. Hac potestate semper usa est Ecclesia, sive quum approbavit Matrimonia, quæ legibus imperialibus vetabantur; sive quum irrita declaravit ea, quæ legibus Imperatorum ethnicorum aut christianorum probarentur. *Sæculo II*, Ignatius ad Polycarpum ita scribit universim: *Decet, ut sponsi et sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant: quo nuptiæ sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem.— Sæculo IV*, Concilium Eliberitanum an. 313, can. 61, et Neocæsariense, an. 314, can. 2, statuerunt impedimentum affinitatis inter certos gradus, de quo impedimento legibus civilibus nihil cautum fuerat. — Siricius, in Epist. ad Himerium Tarraconensem, statuit impedimentum publicæ honestatis. — *Sæc. V*, Concil. Chalcedonense, can. 16, impedimentum voti. — *Sæc. VI,* Concil. Epaonense, an. 517, can. 30, impedimentum consanguinitatis. Deinceps autem, hoc est a tempore S. Gregorii Magni, fatetur ipse *De Dominis*, usum statuendi impedimenta constanter in Ecclesia obtinuisse.

107. II PARS. *Hæc potestas competit Ecclesiæ exclusive.* 1° Ex natura rei. Contractus enim matrimonialis, vel identificatur cum sacramento, vel saltem ejusdem est materia proxima; ergo solius Ecclesiæ potestati subjacet. *Prob. conseq.* In utraque hypothesi, contractus matrimonialis res sacra, seu stricte religiosa est; atqui Ecclesia sola rerum sacrarum custos est constituta; ergo.

108. 2° Ex constanti Ecclesiæ doctrina et praxi. Ecclesiam semper sibi soli vindicasse hanc potestatem constat, 1) ex eo, quod hujusmodi impedimenta statuerit tribus prioribus sæculis, quando christiani Principes nulli erant. 2) Quod ut adulterina rejecerit certa matrimonia, quæ a Principibus permittebantur, veluti in repudiis Constantini (1); et e converso: sic, ex. gr. ratum habuit Matrimonium filiorum familias absque consensu parentum initum, quod multæ legislationes invalidum et irritum declaraverant. 3) Quod Ecclesia vim suam addere debuerit matrimonialibus legibus Imperatorum,

(1) In cod. Theodosiano, lib. 3, tit. 16, *De repudiis*.

Potestas civilis non potest ... matrimonium sine persecutione ...

ut pro Christianorum conjugiis valerent, tum intra tum extra fines imperii. 4) Ex legum civilium irritatione, correctione, ampliatione per canones. 5) Ex ratione agendi Principum, qui tunc, quando potissimum uti debuissent jure statuendi impedimenta, si quod habuissent, ab Ecclesia petierunt, ut certa impedimenta maxime sibi exoptata statueret. Sic oratores Regis Galliæ instantissime et tamen frustra, in Trid. petierunt, impedimentum apponi Matrimonio filiorum familias, invitis parentibus inito.

109. 3° Ex consectariis doctrinæ contrariæ. Fieri non potest, ut eadem potestas æque immediate ac proprie ad duo diversa tribunalia pertineat. Si enim id fieret, plura incommoda et absurda consequerentur. Nam 1) idem Matrimonium simul posset esse validum et irritum. 2) Materia sacramenti, quæ invariabilis esse debet, variorum Principum subjecta esset arbitrio. 3) Illa duplex potestas esset *per se* fons simultatum inter Principes et Ecclesiam. 4) Principes religioni infensi, hujusmodi jure abuti possent ad Ecclesiæ perniciem.

110. 4° Accedunt plurimæ Romanorum Pontificum declarationes: ut Urbani VIII, Clementis XIII, Bened. XIV, Pii VI, Pii VIII, Gregor. XVI; quibus consonant plurima SS. Congregationum responsa (1).

111. *Notandum.* In his declarationibus, Romani Pontifices nec fidei dogma ex Cathedra definiunt, nec mere privatam opinionem exponunt: sed doctrinam Ecclesiæ, saltem ut certam atque amplectendam, testantur et explicant. Voce pastorali loquuntur, cui submittere se fideles obligatione tenentur, licet hactenus non sub pœna hæreseos aut censuræ incurrendæ.

112. 5° Ex propositione sequenti, causæ matrimoniales spectant ad solos judices Ecclesiasticos; atqui, si potestas sæcularis posset vi propria et independenti, seu suprema, apponere impedimenta matrimoniali contractui, causæ matrimoniales spectarent etiam ad judices sæculares; ergo. —

(1) Quæ vide apud Moser; item in *Dissertatione de potestate exclusiva Ecclesiæ in imped. Matrimonii statuendis*, edita a D. Heuser, Lovanii 1853. — Cfr item Perrone, *Prælect. theol., de Matrimonio*, n. 235.

Prob. min. Etenim cujus est legem suprema auctoritate ferre in aliqua causa, ejusdem quoque est de illa causa judicare.

113. III PARS. *Jure divino*. 1° Hæc pars sequitur ex præcedenti. Etenim probatum est, potestatem hanc ex rei natura Ecclesiæ soli competere, semperque exercitam fuisse; atqui quod *natura rei* competit Ecclesiæ, præsertim *soli*, id ipsi competit jure divino; ergo Ecclesiæ jure divino competit potestas impedimenta statuendi.

114. Deinde, hæc potestas connexa est cum dispensatione sacramenti, quæ divino jure Ecclesiæ est concredita. Etenim cum contractus matrimonialis sit ipsum sacramentum, vel saltem, ut quibusdam adhuc placet, sacramenti materia proxima, Ecclesiæ administrationi subjacet. Atqui (1) de ratione contractus est, ut legitimus sit, seu, ut ordinetur ac sanciatur a potestate cui subjacet; ergo contractus matrimonialis ab Ecclesia ordinari ac sanciri debet: quod fit determinando habilitatem contrahentium, seu statuendo impedimenta. Ergo jure divino hæc potestas, conjunctim cum sacramento Matrimonii, Ecclesiæ data est.

PROPOSITIO II.

Ad solam quoque Ecclesiam causæ matrimoniales spectant.

115. Prior pars : *causas matrimoniales ad Ecclesiam spectare*, est *definita* e Trid. Sess. 24, can. 12. — Altera pars : *ad Ecclesiam solam* eas pertinere, *certa* est, tum ex verbis canonis 12; tum ex declaratione Pii VI, ad Episc. Motulensem scribentis, a Tridentino subjectos esse anathemati eos, qui dixerint quidquam de causis matrimonialibus ad Principes quoque spectare. — Tota propositio tradit doctrinam Pii IX, in allocutione 27 Sept. 1852 prædicantis, *omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem, ea omnia decernere, quæ ad Matrimonium quovis modo possunt pertinere.*

116. Distinctæ, licet affines, sunt quæstiones de *impedimentis* et de *causis* matrimonialibus. Porro *causæ matrimoniales* hic intelliguntur eæ, quæ spectant ad vinculum et sacramentum; non vero quæ a sacramento alienæ, et mere civiles sunt.

(1) Cf. supra, n. 105.

117. PROB. I PARS. 1° Contractus indivisus est a sacramento; atqui ad Ecclesiam pertinet judicare de sacramentis; ergo etiam de contractu, ex quo sacramentum constat.

118. 2° Fatentibus ipsis Protestantibus, Matrimonium, etiamsi non esset sacramentum, est nihilominus res ad conscientiam pertinens, a Deo instituta, atque a legibus divinis, in Levitico et in Evangelio scriptis, dependens; ergo Ecclesia potest judicare, utrum sit licitum et ad divinæ legis normam exactum.

119. 3° Admittunt Anglicani, admiserunt olim Ethnici, admisit impius ipse Mirabeau, matrimoniales quæstiones ad religionis cultusque ministros pertinere (1).

120. 4° Veritatem propositionis testatur praxis Ecclesiæ. A Christo et Apostolis matrimoniales causæ fuere tractatæ ac judicatæ, nequaquam vero, sicut causæ de temporali hæreditate (2), ad civilia tribunalia rejectæ. — Dein omni tempore, ut historia compertum est, in matrimonialibus dissidiis, Principes ipsi ad Ecclesiæ judicium confugerunt.

121. II PARS: *ad Ecclesiam solam.* Cum ratio sacramenti, ut diximus, fundamentum sit juris Ecclesiæ in has causas, et aliunde hæc ratio sit omnino universalis; inde fit, ut ad tribunal Ecclesiæ, et quidem *ut supremum atque independens*, vocari debeant causæ omnes, quæ Matrimonii vinculum, ac proin sacramentum concernunt. — Ergo ad sæculares judices nisi *delegatione facta ab Ecclesia*, et *subordinate* ad ejus supremum judicium, referri non possunt.

122. OBJIC. 1° Potestatem statuendi impedimenta competere Ecclesiæ *soli*, non declaratur a Tridentino; et etiamsi declararetur, non ideo foret fide tenendum, quoniam canones 3 et 4 Sess. 24 disciplinares sunt: ergo illa potestas Ecclesiæ soli tribuenda non est. — R. *Trans. antec. neg. conseq.;* probavimus enim exclusivam Ecclesiæ potestatem, independenter a Tridentini canonibus. — Dixi, *transeat:* quia 1) licet Trid. canon 4, ut et 12, non diserte dicat, jus Ecclesiæ *esse exclusivum*, illud implicite declarat: tum quia nullam mentionem facit alterius potestatis, tum quia sensu obvio,

(1) Cfr Perrone. *Prælect. theol., tract. de Matrim.* n. 257.
(2) Luc. XII, 14.

quum tribuitur cuipiam jus in rem, intelligitur jus exclusivum: sic, quum dicimus quempiam habere proprietatem domus, intelligitur proprietas exclusiva, sine concursu cum altero. Demum sufficienter mentem Concilii Trid. declaravit Pius VI, epist. ad Episc. Motulensem. 2) Canones Trid. non esse disciplinares sed dogmaticos, patet, tum ex ipsis canonum verbis, tum ex scopo, quem sibi præfigunt Patres, exponendi *doctrinam* de Matrimonio; tum ex declaratione Pii IX, in prohibitione operis Nuyts an. 1851 (1).

123. *Obj.* 2° Non potuit hæc esse mens Tridentini, cum hujusmodi potestas nequeat Ecclesiæ soli competere. Etenim rei natura requirit, ut potestas civilis saltem concurrat ad contractum. *Probatur.* Matrimonium est contractus, tum *naturalis* tum *civilis*; atqui contractus hujusmodi debet, ex natura rei, ordinari *saltem* concursu potestatis civilis, ita ut *etiam* per eam possit irritari quatenus civilis, imo quatenus naturalis est; ergo. *Prob. maj.* 1) Est *naturalis:* quia essentia contractus matrimonialis importat, ut sit naturalis; ratio autem sacramenti essentiam contractus non mutavit, sed nobilitavit. 2) Est *civilis:* quia a *civibus* initur, atque in *bonum civile* vergit. — R. *Nego assertum.* Ad argum. *Dist. maj. primo modo:* est tum naturalis, tum civilis, et *simul intrinsece sacer*, seu ad religionem proxime pertinens, *trans.;* est naturalis et civilis *non sacer*, *N.* — *Secundo modo:* est *naturalis* hoc sensu, quod non contradicit legi naturali, *conc.;* hoc sensu, quod soli legi naturæ subjacet, eaque sola regendus est, *neg.* Est *civilis* ille contractus, qui inter cives solet matrimoniali adnecti, sed ab eo extraneus est, neque ulla ratione cum eo confundendus, *conc.:* ipse matrimonialis contractus est civilis, *subd.:* civilis, id est, a civibus iniri solitus, in civile bonum vergens, *conc.;* id est, subjectus civili legi, seu ab ea regendus, *neg.*

124. *Probationem majoris dist.* Essentia contractus matrimonialis importat, ut ipse sit naturalis, i. e. non contradicens legi naturali, vel etiam, institutus in officium naturæ, *conc.;* naturalis, i. e. subjectus soli legi naturæ, et ab ea sola

(1) Litteris Apostol. *Ad apostolicæ Sedis fastigium,* 22 aug. 1851. Vid. *Acta Pii IX*, pag. 285.

regendus, *neg.* Contractus matrimonialis natura sua id unum importat, ut sit *legitimus* seu *validus* juxta omnes leges quibus subjacet, seu quibus regitur.

125. *Minorem* argumenti propositi *dist.* Contractus civilis, i. e. legi civili subjectus et ab ea regendus, est irritabilis potestate civili, *conc.;* civilis, i. e. a civibus ineundus et in civile bonum vergens, *subd.:* si non sit substantialiter sacer, seu ad religionem proxime pertinens, *trans.;* si sacer sit, etc., *nego.*

126. *Inst.* 1° Quidquid pertinet ad bonum civile, auctoritati civili subjacet; atqui matrimonium ad bonum civile pertinet; ergo. — R. *Neg. maj.* Alias sequeretur ipsum Baptismum et totam christianam institutionem auctoritati civili subjacere; quod absurdum ne ipsi quidem adversarii admittunt. — Vel: *dist. maj.* Quidquid *primario, directe* aut *per se* pertinet, etc., *trans.;* quidquid *per accidens, secundario, indirecte* pertinet ad bonum civile, auctoritati civili subjacet, *nego.* — *Minorem* pariter *nego*, vel *dist.:* matrimonium ad bonum civile pertinet *secundario, indirecte, per accidens, C.; primario, directe* aut *per se, N.*

127. *Inst.* 2° Ideo auctoritas civilis careret potestate dirimendi matrimonium, quia illud dirimendo sacramentum ipsum attingeret; atqui ratio hæc falsa est. Nam solum impediret, quominus materia sacramenti existeret: sicut, qui aquam corrumperet, sacramentum Baptismi non attingeret, sed tantum impediret quominus ejus materia existeret. — R. *Concessa maj. neg. min.* Et ad probationem additam: *impediret tantum existentiam materiæ*, etc., *dist.* Impediret, legem ferendo circa totum sacramentum, vel, ut minimum, circa partem ejus intrinsecam et immediate constitutivam, i. e. materiam proximam, *C.;* impediret, ferendo legem tantum circa materiam remotam. *N.* Et *nego paritatem;* siquidem qui corrumpit aquam, attingit solum materiam remotam sacramenti Baptismi. Hinc potius retorquetur paritas in adversarios: sicut enim ablutio seu applicatio aquæ facta sub præscripta verborum formula se habet in Baptismo, videlicet ut materia proxima; sic, *ut minimum*, se habet in sacramento Matrimonii contractus matrimonialis legiti-

mus. Atqui potestas, quæ legem ferret circa ablutionem aquæ factam sub præscripta formula, attingeret sacramentum Baptismi; ergo a pari potestas, quæ legem fert circa contractum matrimonialem legitimum, e. g. regulando, efficiendo vel tollendo in particulari casu legitimitatem illius, attingit sacramentum Matrimonii (1).

128. *Obj.* 3° Si Christus potestatem in Matrimonia soli Ecclesiæ suæ commisisset, dicendus esset Principibus aliquid de eorum juribus ademisse; atqui id opponitur constanti doctrinæ Ecclesiæ, et, si vulgaretur, religionem odiosam redderet; ergo saltem pars præfatæ potestatis Principibus competit. *Prob. maj.* Nam Principibus ante legem positivam, sub sola lege naturæ, in subditorum matrimonia potestas erat; eadem quoque Principibus gentilium adhuc competit. — R. *Negari potest major*, negando cum multis DD. id, quod ad *majorem* probandam asseritur. Vel *dist. maj.* Christus dicendus esset aliquid ademisse, indirecte, *trans.;* directe, *neg.*— *Min.* pariter *neg.*, vel *dist.* Id opponitur Ecclesiæ doctrinæ, si dicatur Christus ademisse aliquid directe, *trans.;* si ademisse indirecte, *neg.* Esto, quod non concedo, sed transmitto, Principes gentilium in subditorum matrimonia potestatem habuerint et habeant; Christus illam in manus Ecclesiæ suæ *indirecte* tranferendo, Principibus non nocuit, cum hæc translatio in bonum civitatis redundet. Cæteroquin illud detrimentum, si quod esset, lex Evangelica innumeris et longe potioribus bonis compensavit.

QUÆSTIO.

129. *Quid igitur de civili auctoritate in causis matrimonialibus sentiendum ?*—R. Nullam potestatem habet in matrimonialem contractum; quia hic inter Christianos est sacramentum, ac res omnino sacra ; habet vero potestatem in contractum civilem, qui matrimoniali contractui adjungi solet, atque in effectus civiles Matrimonium consequentes, quos determinare potest (2).

(1) Cf. Gerdil. opp. t. 15, edit. Rom., *de Matrim.*, pag. 133, 134.
(2) Cf. Moser, cap. 23.

130. Manent itaque potestati utrique jura sua salva et integra; neque pugnant inter se; cum Ecclesia Matrimonio, ut sacramento, Princeps vero sæcularis, ut contractui civili, conditiones apponat.

131. Utrum Princeps sæcularis ante Christi legem potuerit, et etiamnum pro subditis infidelibus possit impedimenta statuere, quæ matrimoniale vinculum afficiant, quæstio est disputata; ita tamen ut negativa, spectatis argumentis et auctoritatibus, probabilior esse videatur (1).

(1) Supra, solut. difficult. n. 123 seqq.— Martin, *De Matrim.* tom. 2, propos. 1.

CAPUT QUARTUM.

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

---

132. *Mixta* Matrimonia dicuntur ea, quæ contrahuntur inter Catholicos et *acatholicos*, i. e. baptizatos quidem, sed hæreticos aut schismaticos. Ratum est apud omnes, hujusmodi Matrimonia esse valida; constat tamen esse per se *illicita,* nisi Romani Pontificis dispensatio accedat. Hæc autem dispensatio non conceditur nisi sub conditionibus, quibus neglectis, Matrimonia mixta non possunt non obesse; quibus servatis, prodesse possunt saluti animarum.

Propositio unica, *de illiceitate Matrimonii mixti.*

PROPOSITIO.

Matrimonia mixta regulariter illicita sunt; nec possunt, nisi per dispensationem Romani Pontificis, licite iniri.

133. Propositio, omnibus Theologis consentientibus, *certa* est.

134. Dicitur *regulariter :* i. e., juxta *ordinarium rerum cursum.*

135. Probatur I pars. Matrimonia mixta regulariter esse illicita, demonstratur jure naturali, et jure positivo, sive divino, sive ecclesiastico.

136. 1° *Jure naturali.* Etenim jure naturæ quilibet tenetur regulariter rem quampiam omittere, si ordinarie 1) illa est admodum *periculosa* animæ suæ vel alienæ: et 2) aliunde *deest ratio gravis*, et periculo proportionata, rem illam ponendi. Atqui conjugium mixtum est res hujusmodi. Ergo. — *Prob.min.*1)*Pericula gravia adesse solent: a*) pro parte catholica periculum oritur ex vita compartis acatholicæ commodiore, atque ejus odio in catholicos, unde blanditiæ et minæ; item ex divortio quoad torum, quod affectabit compars acatho-

lica, quæ sæpe illud pro licito ducit. — *b*) Pro nascitura prole, grave periculum salutis ex convictu cum parente acatholico, ex educatione, etc. — 2) *Aliunde ratio* ineundi matrimonium mixtum, vel *levis* est. vel saltem periculo minime proportionata.

137. 2° *Jure divino*. Prohibuit Deus Hebræis, ne conjugia miscerent cum infidelibus, Deut. VII. Atqui hæretici et schismatici assimilandi sunt infidelibus, propter paritatem rationis in hac re. — Paulus ad Titum scribit. III, 10: *Hæreticum hominem devita;* ergo a fortiori, connubium cum hæretico est vitandum.— I Cor. VII, 39 : *Cui vult nubat, tantum in Domino*. significat catholicos secundam Pat

138. 3° *Jure ecclesiastico*. Hinc matrimonia mixta semper Ecclesia exhorruit, ut Patrum testimoniis liquet (1); sed et canonibus vetuit, ut Chalced. Actione 15, can. 14 : *Neque copulari debet nuptura hæretico, aut Judæo vel pagano ; nisi forte promittat, se ad orthodoxam fidem persona orthodoxæ copulanda transferre*. — Item Laodic. can. 31. — Quas sanctiones Romani Pontifices constanter ratas habuerunt : ut S. Leo M. (2), Bonifacius V (3), aliique plures, usque ad Pium VIII (4) et Gregorium XVI (5).

139. ALTERA PARS virtualiter duplex est : I. Matrimonia mixta per dispensationem Romani Pontificis fieri licita; II. non fieri licita, nisi per præviam hujusmodi dispensationem.

140. I. *Fieri licita*. 1° Quoniam hujusmodi Matrimonia illicita tantum sunt ob periculum perversionis, comparti catholicæ ac liberis proveniens, et ob ecclesiasticas prohibitiones; si, quod reapse fieri potest, per conditiones tollatur periculum et per dispensationem prohibitio ecclesiastica; patet, nihil obstare jam, quominus licita evadant. — 2° Exempla hujus liceitatis sunt, in V. T., Esther, matrimonium iniens cum Assuero ; Booz, cum Ruth Moabitide ; — et in historia ecclesiastica, S. Monica, cum Patritio ethnico;

(1) Cfr Binterim, *De Matrimoniis mixtis*, opp. tom. 7, part. 2, cap. 3, § 2. — Feye, *De Matrimoniis mixt. dissertatio*, Lovanii 1847. — (2) Serm. 82, item 15, et alibi. — (3) Cfr Beda, *Hist. gent. Anglor.* lib. 2, cap. 9 et 11. — (4) In *Brevi*, dato 25 mart. 1830. — (5) In *Allocutione* habita 10 dec. 1837.

Ingunde, cum Hermenegildo adhuc ariano; Ringunde, cum Reccaredo ariano; Sigebertus et Chilpericus Francorum reges, ducentes sibi uxores Brunchildem et Galsuintham, filias Athanagildi, Hispaniarum regis ariani. — Quare 3° Romani Pontifices non raro dispensarunt, ut hæc conjugia licite celebrarentur. Sic Clemens VIII, licet ægre, dispensavit tamen cum duce Barensi, ut Catharinam, Henrici IV Galliæ regis sororem, hæreticam, duceret; Urbanus VIII, ut Henricia, Ludovici XIII soror, nuberet Carolo I Anglorum regi, etc. (1).

141. II. *At non sine dispensatione prævia.* Nam in legibus generalibus, a tota Ecclesia receptis, nisi a Summo Pontifice dispensari non potest. — Posse autem Pontificem apponere dispensationi conditiones apponi solitas, facile cernitur. Debet enim, ut Pastor, prospicere bono fidelium, et potestate sua ad ædificationem et non in destructionem uti; quod hisce conditionibus obtinetur. Conditiones porro, a Pio VI Episcopis Belgii servari præscriptæ (2), sunt : 1° ut parochus catholicus, cum duobus testibus, tali Matrimonio assistat quidem, sed non in loco sacro, nec ulla sacra veste indutus; neque etiam ullas Ecclesiæ preces recitet, neque ullo modo conjugibus benedicat. 2° Ut pars hæretica scripto ac juramento coram testibus promittat, se permissuram, ut pars catholica religionem suam libere exerceat, liberosque omnes in ea instituat. 3° Ut similiter pars catholica eodem modo promittat, se hoc præstituram, ut conjugis conversionem efficaciter procuret. Hæ cautelæ servatæ jumdudum fuerunt, in Matrimonio ineundo a Carolo I cum Gallica Henricia, cui sacerdos quidem adstitit, sed extra ecclesiam, nulla benedictione nuptiali impertita (3).

In loco ubi heretici sunt major matrimonium mixtum est necessarium sed quando catholici sunt major non est necessarius.

(1) Cfr Binterim, op. cit. pag. 46. — (2) In *Rescripto* ad Card. de Franckenberg, Archiep. Mechl. 13 julii 1782.—Cf. Moser, *De impedimentis Matrimonii,* Mechl. 1834, pag. 61 et seq.

(3) Cfr Bened. XIV, *De Synodo,* l. 6, c. 5, n. 5; et l. 9, c. 3, n. 5.— Item *Allocut.* Gregorii XVI, 10 dec. 1837; et *Breve* Pii VIII, 25 mart. 1830.

TRACTATUS XVIII.

DE VIRTUTIBUS (1).

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Doctrina catholica.* — § III. *Errores contrarii.* — § IV. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum.

1. Absoluta tractatione *de sacramentis*, agendum esset *de humanis actibus*, *de legibus*, *de peccatis*, ut demum *de virtutibus* dissertatio sequeretur. Etenim quæcumque hactenus consideravimus, ad salutis media pertinent, quæ divina misericordia homini suppeditavit, ut iis utendo et cooperando, homo salutem consequatur. Salus quippe humana duplicis concursu operationis perficitur, Dei et hominis. Dei partes sunt præbere media; hominis partes sunt, cum divina gratia præveniente atque adjuvante, quæ et ipsa medium est, uti mediis et cooperari. Dei partes hactenus vidimus; restat ut hominis quoque partes persequamur.

2. Hominis partes consistunt in *cooperatione :* nempe in operatione cum Deo, et secundum Dei voluntatem. Ergo totum negotium in humanis actionibus situm est rite *ordinandis*. Hinc fluunt Tractatus varii, qui ad humanas actiones ordinandas pertinent : scilicet de *actibus humanis*, de *conscientia*, de *legibus et mandatis*, de *peccatis et vitiis*, de *bonis operibus et virtutibus*. Virtutes ultimo loco, etiam post peccata, traduntur : nam, explicata lege, quæ est regula actionum humanarum, duæ occurrunt hypotheses : homo utpote semper liber, potest vel legem violare, quod est peccatum ;

(1) Cf. S. Thom. 1, 2, qq. 49-70; 2. 2, sparsim. — Lessius, *De justitia et jure, cæterisque virtutibus cardinalibus.* — Gregor. De Valentia, *Comment. theol.* tom. 3.

vel actiones suas legi conformare, quod virtutis est. Hinc Tractatus ambo, de peccatis deque virtutibus, post Tractatum de legibus recte exponuntur. Quoniam vero legis fructus, qui est virtus, destructo peccato debet permanere; propterea decet de virtute, post absolutam de peccatis tractationem, disputari. — Plures hic Tractatus omittimus : tum ne hujusce Compendii excedamus limites, tum quia illi minus ad Dogmaticam pertinent, tum etiam quia passim a Moralistis accurate et sufficienter explicantur: atque ita immediate ad Tractatum de virtutibus transgredimur.

3. Tractatus de virtutibus, quatenus dogmaticus est, præcipue virtutis naturam; quatenus vero ad moralem pertinet, obligationem exercitiumque virtutis magis considerat.

4. Virtutes sunt velut fructus gratiæ Christi, et flores Ecclesiæ; quarum cultus totius christianæ vitæ studium esse debet. Quare minisiri sacri eas docere tenentur exemplo et verbo; ac proinde etiam apprime cognoscere : quo studiosius et ipsi virtutes acquirant, et aliis illarum pulchritudinem explicare, modumque eas acquirendi, conservandi et augendi, assignare melius possint.

§ II. Doctrina catholica.

5. Tres sunt virtutes theologicæ : Fides, Spes et Charitas, inter se realiter distinctæ (1).

6. Sine *Fide* impossibile est placere Deo; et quidem absque fide catholica nulla est salus (2).

7. Non Fides sola justificat; et eo sensu justificat, quod sit fundamentum et radix justificationis (3).

8. Fides justificans non est fiducia divinæ misericordiæ, sed assensus intelligentiæ verbo Dei (4).

9. Necessaria est Fides explicita, non solum unius Dei, sed et Dei remuneratoris; nec sufficit Fides late dicta, ex testimonio creaturarum (5).

(1) I Cor. XIII, 13. — (2) Hebr. XI; Symbol. Athan. Inspiciatur præcipue in omnibus quæ ad virtutem fidei pertinent, recens constitutio Vatic. *Dei Filius*, cap. III *de fide*, et cap. IV *de fide et ratione*, nec non correspondentes canones.
(3) Cfr. Prop. 12. Lutheri damn. a Leone X. — Trid. Sess. 6, cap. 8.
(4) Trid. Sess. 6, can. 12, 13. — Epist. Hebr. XI.
(5) Prop. 22ª et 23ª damn. ab Innoc. XI, 2 martii 1679.

10. Non amittitur Fides per quodlibet peccatum; potest enim existere sine Charitate et sine Spe (1).

11. Assensus Fidei supernaturalis non stat cum notitia solum probabili revelationis, neque cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus (2).

12. Non potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem (3).

13. Revelationis veritas probatur motivis credibilitatis: miraculis Christi, vaticiniis, martyrum constantia, mirabili Ecclesiæ diffusione, etc. (4).

14. Rationis usus (in adultis) fidem præcedit. — Ratio existentiam Dei cum certitudine probare potest.—Religio christiana ex Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirit, nec potest ab humana ratione deduci aut perfici (5).

15. Fides est libera et a voluntate pendet (6).

16. Voluntas potest efficere, ut assensus Fidei (saltem assensus supernaturalis), in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium (7).

17. Fides non est contra rationem nec ratio contra Fidem, cum ab uno eodemque veritatis fonte, licet diverso modo, utraque procedat (8).

18. Recta ratio veritatem Fidei demonstrat, tuetur, defendit; non autem omnes articuli Fidei probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes (9).

19. Fides rationem ab erroribus liberat, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustrat, confirmat atque perficit (10).

20. Actus *Spei* est honestus et licitus; uti etiam timor simpliciter servilis (11).

(1) Trid. Sess. 6, cap. 15; can. 28. — Prop. 51, 52, 57 Quesnell. damn. a Clem. XI. — (2) Prop. 21ª damn. ab Innoc. XI, 2 mart. 1679. — (3) Ibid. prop. 20ª.— (4) Thes. a Bautain subscriptæ 2, 3, 4, 6; Pii IX Encycl. 9 nov. 1846.— (5) Thes. Baut. 1, 5; — Pii IX Encycl laudata.

(6) Trid. Sess. 6 cap. 6. — (7) Prop. 19ª damn. ab Inn. XI, 2 mart. 1679.

(8) Leo X, in Bulla contra err. Pomponatii; Pius IX, in Encycl. laud.

(9) Thes. Baut. 5.— Pii IX Encycl. ead.; — Prop. 96ª Raym. Lullii damn. a Greg. XI, 1376, apud Natal. Alex. sæc. 13, cap. 3, art. 20.

(10) Pii IX Encycl. laudata.—(11) Prop. 13, 14 et 15 damn. ab Alex. VIII, 7 dec. 1690.— Cf. supra tract. de Pœnit. cap. 2, n. 142 seqq.

21. Non datur perfectionis status, in quo actus Spei theologicæ locum non habeat, aut non sit necessarius (1).

22. Falsum est, hominem ex vi præcepti divini nullo vitæ suæ tempore teneri, ad actus Fidei, Spei et Charitatis eliciendos (2).

23. *Charitas* est virtus excellentissima, Fide et Spe præstantior, vinculum perfectionis (3).

24. Non tamen omnis actus, qui a Charitate minime procedat, peccaminosus est, aut omni prorsus remuneratione carens (4).

CANONES CONCILII VATICANI (5).

DE FIDE.

Can. 1. *Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit ; anathema sit.*

Can. 2. *Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur ; anathema sit.*

Can. 3. *Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere ; anathema sit.*

Can. 4. *Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari ; anathema sit.*

Can. 5. *Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quæ per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse ; anathema sit.*

(1) Propos. 8ª Ekkardi damn. a Joann. XXII, 1329; item 6, 7, 12, 16, 27 Michaëlis Molinos, damn. ab Innoc. XI ; — item 1-7, 23 Episc. Camerac. damn. ab Innoc. XII.

(2) Propos. 1ª damn. ab Alex. VII, 24 sept. 1665, et Alex. VIII, 24 aug. 1690.

(3) Colos. III ; I Cor. XIII.

(4) Propos. 38ª Baii damn. a S. Pio V; et Quesn. 44, 55 et 56 damn. a Clem. XI.

(5) Constit. *Dei Filius*, ad cap. III.

Can. 6. *Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint ; anathema sit.*

§ III. Errores contrarii.

25. Lutherus et Protestantes, solam Fidem justificare, et in fiducia divinæ misericordiæ consistere docuerunt.

26. Quesnellus dixit, Fidem sim Charitate, aut sine Spe, esse non posse.

27. Molinos et Quietistæ : dari in hac vita perfectionis statum, in quo actus Spei theologicæ locum non habeat, aut necessarius non sit.

28. Baius, Jansenius et Quesnellus : omnem actum humanum, ne peccaminosus sit, procedere debere ex Charitate. — Quesnellus: Deum non coronare, nec remunerari, nisi Charitatem.

§ IV. Divisio Tractatus.

29. Universa de virtutibus tractatio sponte sua in tria capita resolvitur:

Caput I, *de virtutibus in genere.*
Caput II, *de virtutibus theologicis.*
Caput III, *de virtutibus moralibus.*

CAPUT PRIMUM.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

---

30. Ut virtutes in genere sumptæ bene perspiciantur, primo essentia virtutis definienda est, et species ejus enumerandæ; secundo, ejusdem essentiæ elementa quæque particulatim inquirenda; tertio, existentia virtutis ejusque fructus investigandi. Hinc tres articuli :

Articulus I, *de virtutum notione et divisione.*
Articulus II, *de virtutum causis internis, seu constitutivis.*
Articulus III, *de virtutum causis externis et effectibus.*

ARTICULUS I.

DE NOTIONE ET DIVISIONE VIRTUTUM.

31. Quandoquidem virtutes ad humanos habitus actusque pertinent, quo clarius earum notio percipiatur, nonnulla de habitu et actu videntur simul apponenda.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est actio ?* — 2° *Quid passio?* — 3° *Quid habitus ?* — 4° *Quid habitus operativus ?* — 5° *Quid est virtus ?* — 6° *Quomodo virtutes generatim distinguuntur ?* — 7° *Quid sunt virtutes theologicæ et morales ?* — 8° *Quomodo virtutes inter se connectuntur ?* — 9° *Quis est virtutum ordo inter se ?*

32. QUÆR. 1° *Quid est actio?* — R. *Actio*, quæ est quasi via ad *actum*, in creatis, est operatio suppositi mediante potentia; et describi potest: *Quidam motus, quo subjectum agens exercet potentiam in objectum, ad producendum suum terminum.*

33. Dicitur *motus*, hanc vocem intelligendo sensu latissimo, pro transitu a re in rem. Potest porro spectari motus ille in initio, in progressu, vel in termino.

34. *Subjectum agens* est ens, vel suppositum, cui inest potentia, et cui attribuitur actio. Potest esse *remotum* vel *proximum:* ex. gr. in actione videndi, subjectum videns remotum est animal; proximum vero est oculus, cui inest potentia visiva.

35. *Potentia* dicitur in universum quæcumque vis agendi, aut capacitas recipiendi: quo sensu *habitus* quoque potentia est, utpote principium operandi. — Pressius autem, potentia est principium proximum, connaturale agenti creato, ad aliquid agendum vel recipiendum; ut visus in animali, et visibilitas in corpore. Unde potentia distinguitur duplex: *activa* et *passiva.* Omni potentiæ activæ creatæ correspondet passiva proportionata, et e converso: sic visui respondet visibile. At eadem potentia simul activa et passiva esse potest, simul productiva et receptiva sui actus: ut ex. gr. intellectus, qui actum intelligendi, i. e. verbum mentale, et gignit et in se recipit, seu continet. — Potentia definiri potest: *principium proximum alicujus operationis, ad quam natura sua institutum et ordinatum est.* Cuilibet potentiæ, tam activæ quam passivæ, correspondet proprius actus: sive eam actuans, si sit passiva, sive ab ea manans, si activa. Cuilibet potentiæ quoque respondet proprium objectum, per quod in suum actum tendit potentia (1).

36. *Objectum* est id, in quod, tanquam in finem proximum et immediatum, tendit, et circa quod versatur potentia: sic, corpus visibile est objectum visus. Aliud est objectum *formale*, in quod tendit potentia directe et propter idipsum: ut visibilitas, seu lumen in corpore, respectu visus; aliud *materiale*, in quod tendit propter formale ipsi conjunctum: ut corpus ipsum. Objectum formale est proximum et intrinsecum motivum potentiæ. Movet autem ut finis: nimirum tendentiam seu modum ac directionem motus determinando, perinde ac scopus movet sagittam.

37. *Terminus* actionis seu *actus,* qui vocatur quoque *finis actionis*, *operis* (2), est id, quod per actionem, quasi fructus ejus

(1) Cf. tom. I, *De Trinit.* introd. n. 31 seqq. — (2) Id, in quod natura sua tendit actio, et actus ipse, seu opus, vocatur *finis operis;* qui contradistinguitur a *fine operantis,* seu quem intendit operans.

producitur. Ad hoc enim ordinatur actio, ut terminum suum, seu actum, in rerum natura constituat: quare essentialiter terminum respicit, et ad eum tanquam ad ultimum finem tendit. Sic illuminatio tendit in lumen, calefactio in calorem, ædificatio in ædificium. — Terminus, seu actus, alius est *immanens*, alius *transiens*, unde duplex quoque actio distinguitur: immanens, qualis est cogitatio, volitio; et transiens, qualis locutio, scriptio.

38. Ex dictis sequitur, actionem includere duplicem respectum: ad principium suum, et ad terminum. — Respicit etiam objectum, sed ut quid attingibile; terminum vero respicit ut quid producibile.

39. Actiones specificantur ex terminis; quare termini specie diversi actiones specie diversas arguunt, et certa ratione constituunt: quatenus intrinseca entitas actionis termino producendo proportionata, et quodammodo attemperata sit oportet. Sic locutio et scriptio specie differunt, quia duo termini, *verbum*, *litteræ*, diversi sunt. Sic dilectio, detestatio, licet ab eadem potentia, nimirum voluntate, procedant, sunt actus diversi; quia eorum termini, *amor*, *odium*, sunt diversi. Sic etiam actio moraliter bona, et mala, specie differunt: quia terminantur in actum conformem vel difformem rectæ rationi, quæ specie quoque diversæ sunt.—Dicitur etiam, et merito, actiones specificari ex objecto seu motivo formali: hoc enim habet rationem finis, seu termini, proximi.

40. Q. 2° *Quid est passio?* — R. *Passio* in universum est actus potentiæ passivæ, respondens *actioni*, et dicitur de quacumque mutatione, vel receptione alicujus rei, quæ actu fit in subjecto; maxime vero, quando id quod recipitur, naturæ recipientis contrarium vel nocivum est: quare vox *passio* ideam doloris afferre solet. — Speciali autem sensu, *passio*, i. e. animi affectio, affectus, πάθος, recte a S. Joanne Damasceno dicitur esse *motus virtutis appetitivæ sensibilis*, *ob imaginationem boni vel mali* (1): i. e. quo bonum, imaginatione apprehensum ut conveniens, expetitur; et malum contra, imaginatione æstimatum, repudiatur.

(1) *De fide orthod.* l. 2, c. 22.

41. Passione, hoc sensu speciali accepta, continentur tria: *subjectum*, nempe appetitus sensitivus, qui duplex est, concupiscibilis et irascibilis; *objectum*, bonum et malum aliqua ratione sensibile, seu imaginatione repræsentabile; demum *motus*, qui plus minus vehemens esse potest.

42. Passiones dividuntur 1) ratione *objecti*, in passiones prosequentes bonum, et fugientes, destestantes malum; 2) ratione *subjecti*, in concupiscibiles et irascibiles. Concupiscibiles sunt: *amor*, *odium*, *desiderium* seu *concupiscentia*, *abominatio*, *delectatio*, *tristitia* seu *dolor*; irascibiles vero: *spes*, *desperatio*, *audacia*, *timor*, *ira*.

43. Passiones, natura sua indifferentes, evadunt bonæ, si rationis moderamine ita ordinentur, ut id quod vere bonum est, concupiscant et prosequantur; id autem quod vere malum est, aversentur et fugiant: *Iniquitatem odio habui et abominatus sum: legem autem tuam dilexi.* Ps. CXVIII.

44. Q. 3° *Quid est habitus?*—R. Habitus generatim describi potest: *Qualitas de se stabilis, qua subjectum, vel secundum se, vel in ordine ad operationem, bene vel male se habeat.* Dicitur *qualitas*, i. e. non substantia, sed accidentalis aliqua dispositio substantiæ superveniens, ut scientia, sanitas. — *De se stabilis*, i. e. quæ sit per se, et ex natura sua, *difficile mobilis*, ut aiunt, nempe difficile auferri possit. Unde v. g. calor, somnolentia, non habitus, sed meræ dispositiones sunt; e contra, gratia sanctificans est habitus, quia licet *per accidens* ex parte subjecti facile amitti possit, tamen stabilis est *ex natura sua* et conditione suæ causæ, nempe Dei, cujus *dona sunt sine pœnitentia.* Rom. XI, 29.—Additur: *qua subjectum*, i. e. suppositum hac qualitate informatum; — *bene vel male*, tanquam qualitate bona vel mala: sive physice tali, ut, ex. gr. sanitate, morbo; sive moraliter, ex. gr. virtute, vitio; — *se habeat*, scilicet disponatur, convenienter vel disconvenienter afficiatur; — *secundum se*, i. e. in ordine ad *esse* proprium: hic habitus, disponens subjectum secundum se, vocatur *essentialis*, et afficit subjecti essentiam: uti gratia habitualis (1) respectu animæ; sanitas respectu viventis; pulchritudo respectu corporis; — vel *in ordine ad operatio-*

(1) Cfr supra, Tract. *de Gratia*, cap. 2, n. 310.

nem, seu in ordine ad operandum; qui habitus *operativus* dicitur, et existit in aliqua subjecti potentia, cujus operationem faciliorem reddit, ut habitus *acquisitus;* vel eam ad supernaturalem ordinem elevat, ut *infusus*.

45. Q. 4°. *Quid est habitus operativus?* — Est ille, ut Averroes dicebat, *quo quis agit cum vult;* et, ex modo dictis, describi potest: *Qualitas stabilis, potentiæ superaddita, ut eam in virtute agendi adjuvet.* Ejus vis in eo consistit, ut potentiam, ex suapte natura aliquo sensu indeterminatam, determinet, disponat et inclinet ad operandum prompte, aut etiam facile, aut denique delectabiliter; — vel saltem supernaturaliter, si de habitu infuso sermo sit. — Potest autem juxta triplicem illum gradum inclinare, sive in bonam, sive in malam partem, prout bonus est habitus vel malus.

46. In habitu operativo tria distingui possunt quasi constitutiva: subjectum, objectum et actus.

47. Circa *subjectum* animadvertendum est, in homine habitus omnes, saltem principaliter, insidere animæ. Quatuor autem in anima possunt considerari: essentia, potentia intellectus, potentia voluntatis, potentiæ reliquæ. In essentia animæ datur habitus unus, gratia sanctificans (1), animam disponens ad naturæ superioris, i. e. divinæ, participationem. — In animæ potentiis, quæ indeterminatæ sunt ad plura, plures esse possunt habitus ad operationem disponentes: quod de intellectu et voluntate facile patet. — De potentiis reliquis dicendum cum S. Thoma (2), — 1) In potentiis *vegetativis* nullos esse habitus, quoniam sunt determinatæ naturaliter. 2) In potentiis *sensitivis appetitivis* dantur habitus, quatenus illæ moventur imperio rationis. Hoc inde patet, quod, manente eadem dispositione corporali, experimur passiones appetitus effici minus vehementes: quia scilicet compescuntur per habitum. 3) In potentiis *sensitivis apprehensivis interioribus* habitus etiam sunt, ut in memoria et imaginatione; quia hæ parent quoque rationi; in *exterioribus* autem potentiis apprehensivis, seu *sensibus*, nullus omnino habitus est; quare neque in brutis ullus proprie

(1) Cf. Tract. *de Grat.* cap. 2, art. 1, n. 302 seqq. — (2) 1, 2, q. 50, a. 3.

dictus habitus, sed duntaxat aliquod habituum simulacrum invenitur.

48. Dividuntur habitus generatim, 1) ratione originis, in *naturales*, *acquisitos* et *infusos*. — *Naturales*, seu naturæ congeniti, sunt tantum duo, scilicet duo habitus primorum principiorum : quorum unus dirigit intellectum circa verum speculativum ; alter, qui *synderesis* vocatur, circa verum practicum. *Aquisiti* dicuntur, qui acquiruntur consuetudine et repetitis actibus ; *infusi*, qui nobis divinitus communicantur. — 2) Ratione subjecti, distinguuntur in *habitus intellectus*, *voluntatis* et *sensibilitatis*. — 3) Ratione objecti, in bonos et malos.

49. Dividuntur speciatim, seu *specificantur*, sicut actus correspondentes, et sicut objecta eorum formalia. Habitus enim tendit in actum ut in terminum : at per objectum formale, tanquam medium, seu finem proximum. Quare ex objecto formali speciem sumit, quæ species etiam ex actu dignoscitur. Ideo, ubi occurrit specialis actus, vel objectum formale specie diversum, ibi necesse est ponere specialem habitum. Sic, actus Charitatis et actus Spei, utpote diversi, a diverso habitu producuntur. Sic, Deus amandus qua bonus *in se*, et Deus amandus qua bonus *nobis*, utpote objectum formaliter diversum, a diverso habitu attingitur.

50. Sicut habitus potest acquiri, ita concipitur posse augeri vel minui, aut etiam extingui. Augeri concipitur dupliciter : *extensive*, seu ex parte objecti : quatenus ad plura potest extendi, ut in scientia patet ; *intensive*, seu ex parte subjecti : quatenus habitus, tanquam forma, potest perfectius a subjecto participari, adeoque intendi, seu intensior fieri : ut ex. gr. in habitu charitatis manifestum est.

51. Q. 5° *Quid est virtus?* — R. Virtutis nomen, a *vi* vel *viro* derivatum, aliquid forte et virile sonat ; at diversimode usurpari solet. Nam 1) virtus communissime dicitur quæcumque perfectio rei, et facultas efficiendi aliquid : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis* VIRTUS *eorum*. Ps. XXXII.—2) Accipitur pro effectu facultatis, atque adeo pro operatione et fructu alicujus rei, ut Joel. II, 22 : *Lignum attulit fructum suum, ficus et vinea dederunt* VIRTUTEM

suam. Et Marc. VI, 5: *Non poterat ibi ullam* VIRTUTEM *facere*. — 3) In proposito nostro *virtus* sumitur pro perfectione quadam, potentiæ rationali superaddita, ex qua redditur operatio recta et naturæ rationali conveniens, ut Ps. LXXXIII: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion*. Quo sensu quoque S. Gregorius Nyss. ait, hominis animam *regiam Dei imaginem esse, pro regia purpura, virtute amictam: quo cultu nihil magis regium esse potest*. De opif. hominis, c. 4 Cui consonat illud Horatii, I. Epist. I, 52:

Vilius est argentum auro, virtutibus aurum.

52. Virtus, hoc postremo sensu accepta, definiri potest: *Habitus, afficiens bene potentiam hominis aliquo modo rationalem, in ordine ad eliciendam operationem naturæ humanæ consentaneam et rectam*. Dicitur *habitus;* i. e. qualitas seu dispositio stabilis, differens proinde a potentia, ab actu, et ab affectu vel æstu transitorio. — Afficiens *bene*; est enim habitus bonus, a quocumque alio, sive pravo, sive indifferente essentialiter distinctus. — *Afficiens*, i. e. inhærens potentiæ, inclinans, disponens *potentiam:* quo virtus, etiam supernaturalis et infusa, distinguitur a gratia habituali, quæ animæ *essentiam* immediate afficit. — *Aliquo modo rationalem:* quo designatur subjectum virtutis, quod est intellectus, voluntas, et appetitus sensitivus, tum concupiscibilis, tum irascibilis. Sunt enim etiam virtutes, ut temperantia, modestia, etc., residentes in potentia sensitiva, quæ aliquo modo per participationem rationalis est. — *Ad eliciendam operationem rectam:* quo declaratur, ad rationem virtutis pertinere, ut sit *habitus operativus;* quapropter tria, quæ ad habitum operativum pertinent, in virtute quoque distinguuntur: *subjectum*, *objectum* et *actus*.

53. Ad hanc definitionem revocari facile possunt virtutis descriptiones, quæ aliis verbi tradi solent: ut 1) *habitus qui bonum facit habentem* (1); —2) *habitur bonæ operationis*, quæ scilicet convenit naturæ entis rationalis; —3) *dispositio perfecti ad optimum* (2), i. e. ad rectam operationem, et per hanc ad

(1) Arist. 2 Ethic. c. 2 et 6. — (2) Arist. 7 phys. text. 17.

beatitudinem;— 4) *bona qualitas mentis*, *qua recte vivitur*, *qua nemo male utitur* (1). Illud: *qua recte vivitur*, indicat virtutem esse essentialiter principium operationis rectæ. Unde argumentari licet, animum adulti virtutibus esse destitutum, si eas non ostendat in opere; et de virtutibus singulis dici potest, quod de Charitate dicit S. Gregorius: *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Homil. 30 in Evang. Huc quoque pertinet illud Domini: *A fructibus eorum cognoscetis eos,* Matth. VII, 16. Porro virtus est habitus dupliciter operativus: *affectu*, i. e. proposito, seu præparatione animi; et *actu*, seu *effectu*, ipso nimirum virtutis exercitio, pro rerum ac temporis opportunitate. — In eadem descriptione additur: *qua nemo male utitur*; quo virtus differt ab aliis habitibus, ut sunt scientiæ et artes, quæ tam boni quam mali usus possunt esse principia.

54. *Nota.* Quoniam virtus est essentialiter *habitus*, sequitur, bonos *actus*, qui ab habitu virtutis non procedunt, stricte vocari non posse actus virtutis; communi tamen usu, virtutis cujuspiam nomine vocantur, quando ex motivo formali illius virtutis perficiuntur, Deo ut auctore gratiæ, si de actibus supernaturalibus sermo sit, vices habitus supplente (2). Quare catechumeni dicuntur elicere actum Fidei et Spei, etiamsi forte harum virtutum habitus nondum possideant.

55. Q. 6° *Quomodo virtutes generatim distinguuntur?* — R. Distinguuntur 1) ratione causæ efficientis, in virtutes *ingenitas*, *acquisitas*, *infusas*. 2) Ratione principii, in *naturales*, quæ etiam humanæ et philosophicæ dicuntur; et *supernaturales*, quæ et christianæ vocantur. 3) Ratione perfectionis, in *formatas* et *informes*, seu *perfectas* et *imperfectas*. 4) Ratione subjecti, in *intellectuales*, quæ sunt in parte apprehensiva; et *morales*, quæ in appetitiva. 5) Ratione objecti, in *theologicas*, quæ Deum, et *non theologicas*, quæ honestatem secundum rationem pro objecto habent.

56. Virtutes *ingenitæ*, seu cum natura congenitæ, in homine nullæ sunt; nisi hoc nomine appellare juverit habitus primorum principiorum, vel etiam bonam indolem, bonas prædispositiones, quæ, ceu virtutem semina, in certis natu-

(1) S. Thom. 1, 2, q. 55, a. 4. — (2) Supra, *De gratia*, c. 1, art. 1, n. 89.

ris inveniuntur : quemadmodum terræ incultæ, aliæ aliis aptiores sunt ut fiant fertiles, si excolantur. — Virtus *acquisita* frequentatione actuum enascitur. — Virtus *infusa* nobis a Deo supernaturaliter communicatur, et est vel infusa *per se :* quæ videlicet natura sua nequeat esse nisi infusa; vel infusa per *accidens*, quæ nempe aliunde etiam acquiri possit, ut ex. gr. scientia rerum naturalium infusa primo homini.

57. Virtus *naturalis* illa est, quæ ex naturali vi honestatis ad finem mere naturalem procedit : v. g. liberalitas in pauperes, orta ex naturali philanthropia, et impendens solamen mere temporale miseris. — Virtus *supernaturalis* ea est, quæ procedit ex principio supernaturali, et tendit ad supernaturalem finem : h. e. quæ cum gratia elevante elicitur, et ad bonum spirituale, adeoque ad salutem, dirigitur; ut charitas in pauperes, seu liberalitas procedens ex gratia, et directa ad exercendam charitatem christianam, ad peccata redimenda, etc.

58. Virtus *formata*, seu *perfecta*, est illa, quæ cum charitate habituali conjungitur; quia charitas est forma (1), finis et perfectio cæterarum virtutum. Virtus dicitur *informis*, quando est in subjecto charitate habituali destituto, seu peccati mortalis reo. — Alio quoque sensu virtus *perfecta* dicitur illa, quæ, moraliter loquendo, permanet omni eventu et tentatione superior; *imperfecta* vero, quæ tantum aliquatenus persistit.

59. Virtutes *intellectuales* sunt quinque : *ars*, *scientia*, *prudentia*, *sapientia*, *intellectus*. — Virtutes *morales*, quæ scilicet ad ordinandos mores pertinent, dividuntur in *cardinales* et *secundarias*, cardinalibus annexas.

60. Inter hæc virtutum genera, ad christianum hominem præcipue pertinent virtutes *Theologicæ* et *Morales :* quapropter de his duabus classibus, pro nostro instituto, præcipue tractabimus.

(1) *Extrinseca* hæc forma intelligitur. Cf. t. I, *De Trin.* n. 13 seqq. ; ubi, licet potissimum sermo sit de forma *intrinseca* materiæ, seu subjecto illi quod ipsa forma determinat; potest tamen ob analogiam satis percipi, quid sit forma *extrinseca* subjecto per eam determinato.

61. Q. 7° *Quid sunt virtutes Theologicæ et Morales?* — R. 1) Virtutes theologicæ respiciunt immediate Deum; morales vero tantum mediate Deum intendunt, mediante scilicet honestatis ordine. 2) Theologicæ feruntur in actus, quibus ad beatitudinem supernaturalem homo ordinatur; morales vero *acquisitæ*, in actus, quibus ordinatur ad beatitudinem naturalem. *Sunt scilicet superaddita homini divinitus aliqua principia, per quæ ita ordinetur ad beatitudinem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem, non tamen sine adjutorio divino; et hujusmodi principia virtutes dicuntur theologicæ : tum quia habent Deum pro objecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum; tum quia a solo Deo nobis infunduntur; tum quia sola divina revelatione in S. Scriptura hujusmodi virtutes traduntur* (1).

62. Virtus theologica describi potest : *Virtus per se infusa, quæ pro objecto formali, et materiali primario, habet Deum, supernaturaliter cognitum.* — Virtus vero moralis, ut divisa contra theologicam, ea est *quæ pro objecto formali habet honestatem, cuique virtuti specialiter propriam; et pro objecto materiali, rem creatam, cui illa honestas inhæret.*

63. Tres sunt virtutes theologicæ : Fides, quæ Deum respicit ut veracem; Spes, ut bonum nobis; Charitas, ut bonum in se.— Morales vero reducuntur ad quatuor præcipuas, quæ sunt : Prudentia, Justitia, Fortitudo et Temperantia. Dicuntur *cardinales*, similitudine ducta a cardine ; eo quod in his virtutibus, velut in cardinibus, tota humanæ vitæ probitas et honestas vertatur.

64. Q. 8° *Quomodo virtutes inter se connectuntur?*—R. Quædam virtutes ita sunt connexæ ex parte subjecti, ut una sine altera esse non possit; quædam ita connexæ non sunt (2).

65. Connexæ sunt 1) morales infusæ et dona Spiritus S., quæ conjuncta sunt cum charitate; non enim acquiruntur sine charitate, et qui charitate caret, omnibus prædictis caret : qui vero charitatem amittit, omnia prædicta amittit (3). — 2) Virtutes morales, etiam acquisitæ, si perfectæ fuerint,

(1) S. Thom. 1, 2, q. 62, art 1. — (2) S. Thom. 1, 2, q. 65.
(3) Cfr Trid. Sess. 6, cap. 7, 16.— Item Cf. supra Tract. *De gratia*, c. 2, art. 3, quæst. 1, n. 346. — Item Dens, *De virtut. in gen.* n. 6, 7.

connexæ sunt inter se, quatenus mutua associatione et auxilio juvari debent. Hoc præcipue verum est de virtutibus quæ dicuntur *solidæ, fundamentales*, quales sunt: humilitas, obedientia, christiana abnegatio, simplicitas seu intentionis puritas, et cum divina voluntate conformitas. 2) Inter virtutes theologicas hæc est connexio, ut, in statu viæ, charitas non possit haberi sine fide et spe, nec spes sine fide: et vicissim, fides et spes sine charitate non includant rationem perfectæ virtutis, quæ scilicet habentem simpliciter bonum efficiat.

66. Non sunt connexæ, 1) virtutes acquisitæ, quamdiu perfectæ non sunt: harum enim una sine alia acquiri, existere et amitti potest. 2) Charitas, aliæque virtutes infusæ, non sunt connexæ cum virtutibus acquisitis; ita ut acquisitæ haberi possint sine infusis, et amissis infusis manere possint acquisitæ: et contra, virtutes infusæ haberi possint sine acquisitis, ut patet in parvulis baptizatis. 3) Fides haberi potest sine spe, ut patet ex Trid. Sess. 6, cap. 7: *Fides neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, nisi ad eam spes accedat et charitas.* — 4) Fides et spes haberi possunt sine charitate, ut patet ex I Cor. XIII, 2; Trid. Sess. 6. can. 28; Quesnelli propp. damn. 51, 52, 57, 58.

67. Q. 9° *Quis est virtutum ordo inter se?* — R. Ordo virtutum varius est, pro vario respectu sub quo considerantur. Distinguuntur præcipue triplex: ordo generationis, ordo excellentiæ seu dignitatis, ordo acquisitionis (1).

68. Ordo *generationis* virtutum christianarum respectu actuum earum consideratur; et talis est, ut primo in actum erumpat fides, ex fide procedat spes, ex utraque præcedenti nascatur charitas, quæ mater est omnium aliarum virtutum.

69. Ordo *dignitatis* inter virtutes theologicas est, ut prima sit charitas, secunda spes, tertia fides; inter morales vero, prima prudentia, secunda justitia, ad quam refertur religio; tertia fortitudo, ad quam pertinet martyrium; quarta temperantia.

70. Ordo *acquisitionis* virtutum christianorum est, ut prima sit humilitas, secunda abnegatio et triplex mortificatio,

(1) Cf. S. Thom. 1. 2, q. 62, a. 4.

tertia cognitio et amor Dei. Homo enim spiritualis, ad imaginem Christi formatus, in humilitate nascitur, abnegatione et mortificatione roboratur, cognitione et amore Dei perficitur. — Figura hujus processus habetur in ædificio: *Vos enim estis templum Dei vivi*. II Cor. VI, 16. In ædificio ponitur primo fundamentum, deinde parietes et columnæ, demum tectum, quod totum coronat. Ita in ædificio sanctitatis, primo ponitur ut fundamentum humilitas et fides; secundo abnegatio cum spe ac fiducia; tertio accedit viva Dei cognitio et charitas, quæ totius operis est corona. — Hujusce ordinis ratio detegitur in natura lapsa, quæ a sepulcro peccati, et a corruptione concupiscentiæ, ad amorem Dei rerumque cœlestium est erigenda.

71. *Notandum*. Licet *theoretice* ordo acquisitionis ille sit quem diximus; *practice* tamen, non semper hujusmodi successio servatur. Etenim illa spiritualis ædificatio efficitur, non sicut opus artificiale, quod *successive* et *per partes;* sed sicut opus naturale, quod *simul omni ex parte* accrescit et augetur: ut videre est in plantarum et animalium incrementis.

ARTICULUS II.

DE VIRTUTUM CAUSIS INTERNIS, SEU CONSTITUTIVIS.

QUÆSTIONES

1° *Quodnam est virtutis subjectum?* — 2° *Quid est virtutis objectum?* — 3° *Quid et quotuplex est virtutis actus?* — 4° *Quid est medium virtutis?*

72. QUÆR. 1° *Quodnam est virtutis subjectum?* — R. Uti ex modo tradita notione virtutis colligitur, subjectum virtutis remotum, est ipsa anima rationalis; proximum vero, est illa potentia animæ, quæ actus certæ virtutis proprios elicit. Sic, subjectum fidei est intellectus. — De subjecto proximo tantum sermo erit.

73. Duplex proprie datur virtutis subjectum, duæ nempe supremæ animi potentiæ, intellectus et voluntas.

74. Etenim virtus est propria perfectio naturæ rationalis, qua rationalis est; quia virtus est recta operatio naturæ

rationalis, et recta operatio naturæ cujuslibet est propria perfectio ejus. Atqui natura hominis est rationalis, quatenus principium intellectionis et volitionis; ergo tota ratio virtutis ad perfectionem harum duarum functionum immediate ordinatur. Hæc autem perfectio consistit in attingendo vero et bono; *honestum* bonum intelligo, quod naturæ rationalis proprium est. Tunc enim intelligentia perfecta est, quando in qualibet re veritatem clare et certo, quantum fas est et convenit, assequitur; et voluntas, quando bono honesto firmiter adhæret. Quandoquidem sic utraque potentia, et utriusque potentiæ operatio finem suum, ac veluti formam ad quam instituta est, consequitur (1).

75. Facultates inferiores, imaginatio, appetitus sensitivus sive concupiscibilis sive irascibilis, et potentia executiva, *secundum se* non sunt subjectum virtutis: quare in brutis nulla virtus esse potest. At *quatenus* eædem facultates in homine *participant* aliquo modo *rationem*, i. e. ratione moventur, ejusque imperio prompte obediunt, subjectum quarumdam virtutum v. g. temperantiæ, fortitudinis, dici solent (2).

76. Q. 2° *Quid est virtutis objectum?* — R. Objectum virtutis aliud est materiale, aliud formale. Juxta notiones supra (3) explicatas, objectum *materiale* virtutis est id, circa quod virtus versatur: sic, objectum materiale Fidei est veritas a Deo revelata. Objectum materiale respondet quæstioni *quid?* Videlicet, *quid credis, speras?* etc. — Objectum *formale* est ratio *propter quam* virtus versatur circa objectum materiale: sic, objectum formale Fidei est infallibilitas Dei revelantis. Objectum formale respondet quæstioni *propter quid?*

77. Q. 3° *Quid et quotuplex est virtutis actus?* — R. Actus virtutis est exercitium habitus in suum objectum. — Actus hic distinguitur duplex, alius *elicitus*, alius *imperatus*. Elicitus dicitur, qui *immediate* a certa virtute procedit; imperatus, qui ab alia virtute producitur, sed ex imperio vel deside-

(1) Lessius, *De jure et just.* Procem. — (2) S. Thom. 1, 2, q. 56, art. 4 — Cf. supra, art. 1, n. 52. — (3) Art. 1, n 36.

rio prioris : sic jejunium ex amore Dei, est actus elicitus quidem abstinentiæ, sed imperatus charitatis.

78. Q. 4° *Quid est virtutis medium?* — R. Est justa quædam mensura rei faciendæ, consistens inter duo vitia, quorum unum ab ea mensura deficit, alterum eam excedit. Sic, virtus liberalitatis media inter avaritiam et prodigalitatem esse cernitur.

79. Medium virtutis est duplex : medium rationis et medium rei. Medium *rationis* est illud, quod recta ratio respective ad personam operantem, aliasque circumstantias determinat. Medium *rei* illud est, quod respicit æqualitatem rei ad rem : quale medium habet justitia commutativa ; quippe quæ spectat æqualitatem rei ad rem, ut cuique, sive diviti sive pauperi, quod suum est tribuat. — At aliarum virtutum medium est rationis. Respiciunt enim qualitatem personæ, loci, temporis, etc. ; ex quibus omnibus definitam ratione mensuram fideliter tenent. Videre hoc est in temperantia quoad cibum et potum : etiam, quænam quantitas et qualitas alimenti sit rectæ rationi commensurata, determinari nequit, nisi qualitatis personæ aliorumque adjunctorum habita ratione.

80. Omnes virtutes consistunt in medio, exceptis theologicis et virtute Religionis : quæ (1) in medio non consistunt secundum se, ex parte objecti ; sed tantum par accidens, ex parte nostra : quia nos, licet non possimus in Deum ferri, quantum debiti Deo condigni postulat ratio ; debemus tamen ferri *secundum conditionis nostræ mensuram :* ex. g. sperare ita debemus, ut spes nostra inter præsumptionem et desperationem sit media.

ARTICULUS III.

DE VIRTUTUM CAUSIS EXTERNIS ET EFFECTIBUS.

QUÆSTIONES.

1° *Quomodo virtutes acquiruntur, augentur, minuuntur, amittuntur ; et quamdiu permanent ?* — 2° *Quis est virtutum finis ?*

81. QUÆR. 1° *Quomodo virtutes acquiruntur, etc. ?* — R. Virtutes *acquiruntur* alterutro ex his duobus modis : infusione

(1) S. Thom. 1, 2, q. 64, art. 4.

vel actuum exercitio.— Priori modo acquiruntur virtutes supernaturales et dona Spiritus S., atque etiam eorum augmentum : scilicet in justificatione, qua, ut Catechismus Rom. ait (1), *nobilissimus omnium virtutum comitatus in animam cum gratia divinitus infunditur.* Unde patet, virtutum infusarum causam esse solum Deum; qui tamen, juxta legem suam ordinariam, illas in nobis non operatur, nisi vel per Sacramenta ut causas instrumentales, vel prævia adultorum cooperatione cum gratia; et hæc quidem cooperatio ut causa dispositiva aut meritoria requiritur (2). — Posteriori modo, scilicet per actuum exercitium, virtutes naturales acquiri, conservari et augeri solent. Per unum enim actum habitus non acquiritur; nisi forte adeo foret intensus et diuturnus, ut pluribus æquivaleret.

82. *Minui* possunt virtutes, sed non omnes. Virtutes naturales, tam quoad intensitatem habitus quam quoad fervorem actus, diminui possunt. — Charitas minui non potest quoad intensitatem habitus; atque idem de cæteris virtutibus infusis videtur dicendum. Licet enim remissio virtutum per se infusarum, absolute loquendo, non repugnet; in hac tamen providentia, hujusmodi remissionis causa assignari nequit. Per peccatum mortale non remittuntur, sed amittuntur; per veniale autem, sicut non remittitur gratia sanctificans, utpote cui non est oppositum, sic neque virtutes. — Virtutes infusæ tamen minui possunt quoad exercitium et fervorem actus; atque adeo contrahi possunt quædam dispositiones ad illarum corruptionem conducentes (3) : fere sicut homo postquam adolevit, licet repuerascere nequeat, debilitari tamen et mori potest.

83. *Amitti* virtus potest dupliciter : directe et indirecte : *directe* per actus ei directe et graviter contrarios, vel per diuturnam illius exercendæ negligentiam. Hoc modo amittuntur virtutes tum acquisitæ tum infusæ. — *Indirecte*, per amissionem alterius virtutis, quæ ejus fundamentum et principium sit : hoc modo amittuntur præsertim infusæ. Sic, amissa fide, amittitur spes; amissa charitate, amittuntur

(1) *De Bapt.* — (2) Trid. Sess. 6, cap. 7.
(3) Cfr supra, *De Grat.*, c. 2, art. 3, n. 350.

dona spiritus S., omnesque virtutes morales infusæ. Hinc, peccans mortaliter, v. g. peccato injustitiæ, non tantum virtutem justitiæ, sed etiam morales reliquas infusas, temperantiam, castitatem, etc., amittit.

84. Quod attinet ad *permanentiam* virtutum post hanc vitam : in damnatis nulla virtus manebit. In Beatis remanent eæ, quæ nullam important imperfectionem statui eorum repugnantem : unde manent charitas, dona Spiritus S., atque etiam virtutes morales, quoad aliquos, non tamen quoad omnes actus ; sed evacuabitur fides et spes. — In purgatorio manent tres virtutes theologicæ, dona Spiritus S., ac virtutes morales, quoad aliquos et multo plures actus, quam in Beatis ; v. g. fortitudo manet quoad actum patientiæ (1).

85. Q. 2° *Quis est virtutum finis?* — R. Finis et effectus virtutum est, hominem perficere, qua homo est : i. e. quatenus est animal ratione et voluntate præditum ; atque eum, per rectas, tum rationis, tum voluntatis operationes, ad beatitudinem ordinare. — Quod si sermo sit de virtutibus christianis, earum finis ultimus est ordinare hominem ad beatitudinem supernaturalem ; proximus vero, perficere hominem qua christianus, seu qua discipulus est Jesu Christi Filii Dei. Hæc autem perfectio in eo consistit, ut homo similis evadat divini illius exemplaris, secundum illud Rom. VIII, 29 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Est igitur tendentia et finis virtutum christianarum, ut in homine terreno, interiorem atque cœlestem hominem, ad imaginem Filii Dei (2) efforment. Id autem efficiunt reformando et sanctificando intellectum, voluntatem et sensus : scilicet intellectum fides, voluntatem spes et charitas, sensus vero virtutes morales infusæ emendant atque sanctificant. Cf. Coloss. III, 3, 9, 10 ; et Phil. IV, 7, 8.

(1) Cfr S. Thom. ibid. q. 67. — (2) II Cor. XV, 49.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

86. In disputatione de virtutibus theologicis proceditur per quatuor articulos, qui sunt hujusmodi :

Articulus I, *de virtutibus theologicis in genere.*
Articulus II, *de Fide.*
Articulus III, *de Spe.*
Articulus IV, *de Charitate.*

ARTICULUS I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS IN GENERE.

QUÆSTIONES.

1° *Quomodo virtus Theologica a qualibet alia distinguitur ?* — 2° *An de ratione virtutis theologicæ est Deo adhærere super omnia ?* — 3° *Quænam circa virtutes theologicas ex fide deducimus ?*

87. QUÆR. 1° *Quomodo virtus Theologica a qualibet alia distinguitur?* — R. Virtus theologica et moralis specie distinguuntur ab invicem. *Habitus enim*, ait S. Thomas (1), *specie distinguuntur secundum formalem differentiam objectorum. Objectum autem theologicarum virtutum est ipse Deus, qui est ultimus rerum finis, prout nostræ rationis cognitionem excedit. Objectum autem virtutum moralium... est aliquid, quod humana ratione comprehendi potest. Unde virtutes theologicæ specie distinguuntur a moralibus.* — Ergo etiam distinguuntur virtutes theologicæ a virtute Religionis, cujus objectum non est ipse Deus, sed cultus ut Deo *debitus ;* quod facile apparet hac formula : *Credo* verbum Dei propter Deum, *spero* Deum

(1) 1, 2, 9, 62, art. 2

propter Deum; *amo* Deum propter Deum; *colo* autem Deum propter justitiam et æquitatem, quæ in tali cultu relucet.

88. Q. 2° *An de ratione virtutis theologicæ est Deo adhærere super omnia?* — R. De ratione hujusce virtutis est, ut adhæreat *appretiative* Deo *super omnia* repugnantia illi prædicato divino, quod est objectum formale actus theologici. — Adhæsio scilicet actus ad objectum alia est *intensiva*, alia *appretiativa;* unde et concipitur adhæsio una quam alia major, vel intensive vel appretiative. *Intensive major* est adhæsio, si quis, vi actus, majore conatu, applicatione et sensu delectationis, adhæreat uni præ altero objecto; *appretiative major* est, si quis, vi æstimationis objecti, eidem magis adhæreat quam alteri. Unde *appretiative summa* erit adhæsio, si vi æstimationis intellectualis, voluntas eligit objecto adhærere super omnia *ea, quæ ipsam possint in contrarium sollicitare* (1).

89. Jam vero, sicut de ratione virtutis cujuslibet est, objecto suo tantum adhærere, quantum illud meretur; ita, et a fortiori, virtutis theologicæ erit, objecto suo, Deo, tantum adhærere quantum meretur Deus, et quantum decet id atque oportet. Debebit igitur ei adhærere super omnia, quæ Deo credendo, aut sperando, aut diligendo repugnant. Non enim adhæret Deo, quantum decet, qui illi non adhæret præ aliis omnibus repugnantibus : qui, ubi de Fide agitur, non adhæret auctoritati divinæ, præ qualibet ei repugnante sive auctoritate, sive ratione superba; qui, ubi de Spe agitur, divinæ omnipotentiæ, misericordiæ ac fidelitati non adhæret, præ quacumque specie in contrarium; qui demum, ubi de Charitate agitur, non adhæret divinæ bonitati, præ omni bonitate creata, cujus amor cum dilectione Dei nequeat conciliari. Quo spectat illud Matth. X, 37 : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

90. Q. 3° *Quænam circa virtutes theologicas ex Fide deducimus?* — R. Primo, *tres esse omnino virtutes theologicas, Fidem, Spem et Charitatem.* Etenim 1) dicit Apostolus, I Cor. XIII : *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc; major autem*

(1) Cf. supra *De Pœnit.* cap. 2, art. 2, *de contrit.* n. 154.

horum est Charitas. Porro has singulas vere esse virtutes theologicas, infra ostendetur.— 2) Homo vocatur a Deo ad beatitudinem supernaturalem, ad quam disponi ac tendere debet per proportionatas intellectus voluntatisque operationes. Sed hæ duæ facultates *deficiunt ab ordine beatitudinis supernaturalis, secundum illud* I *ad Cor.* II, 9 : OCULUS NON VIDIT, NEC AURIS AUDIVIT, NEC IN COR HOMINIS ASCENDIT, QUÆ PRÆPARAVIT DEUS DILIGENTIBUS SE. *Unde oportuit, quod, quantum ad utrumque, aliquid homini supernaturaliter adderetur ad ordinandum ipsum in finem supernaturalem. Et primo quidem quantum ad intellectum, adduntur homini quædam principia supernaturalia, quæ divino lumine capiuntur: et hæc sunt credibilia, de quibus est* FIDES. *Secundo vero est voluntas, quæ ordinatur in illum finem, et quantum ad motum intentionis in ipsum tendentem, sicut in id quod est possibile consequi: quod pertinet ad* SPEM ; *et quantum ad unionem quamdam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem: quod fit per* CHARITATEM (1). Porro quoniam *ad appetitum* (voluntatem) *duo pertinent, scilicet motus in finem, et conformatio ad finem per amorem ; sic oportet quod in appetitu humano duæ virtutes theologicæ ponantur, scilicet spes et charitas* (2). — 3) Tria hæc christianam vitam consummant; unde Origenes (3) ait : *Prima salutis initia, et ipsa fundamenta, Fides est; profectus vero et augmenta ædificii Spes est; perfectio autem et culmen totius operis Charitas est: et ideo major omnium dicitur Charitas.*—Porro tria hæc, fidem, spem et charitatem, esse inter se distincta, inde patet, quod licet pariter habeant pro objecto Deum, non eodem tamen modo illum respiciunt: fides respicit Deum ut primam veritatem ; spes, ut beatitudinem nostram ; charitas ut summam bonitatem.

91. Secundo, *fidem ac spem, vel earum augmentum, infundi in justificatione; et,* uti communius docent TT., *nunquam seorsim a gratia sanctificante et charitate* (4). Tridentinum enim dicit: *In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem.* Sess. 6, cap. 7. Porro hic

(1) S.Thom. 1, 2, q. 62, a. 3.—(2) Ibid. ad 3.—(3) In epist. ad Rom. c. 4. — Cf. August. *Enchirid.* c. 3 et 4.— (4) Cf. Wirceb. *De vir. theol.* n. 47, 48.

agitur de ipsis habitibus; cum actus virtutum hujusmodi jam ante justificationem requirantur, ibid. cap. 6.

92. Tertio, *virtutes theologicas augeri ac intendi posse.* Etenim *justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum.* Trid. Sess. 6, cap. 10; cfr. et can. 24.

93. Quarto, *easdem augeri illis actibus quibus augetur gratia sanctificans.* Etenim, ex citato Trid. cap. 10, patet, idem esse incrementum virtutum theologicarum, quod est incrementum justitiæ; ergo et utrumque per eosdem actus fieri, sequitur.

94. Quinto, *charitatem amitti per quodvis peccatum mortale; fidem vero et spem, non per quodcumque, sed per mortale directe iis contrarium.* Patet ex Trid. Sess. 6, cap. 15 (1).

95. Sexto, *in Beatis remanere charitatem, cessare autem fidem ac spem.* I Cor. XIII : *Charitas nunquam excidit;* in quem locum S. Hieronymus ait : *Id est, ipsa sola permanet in futuro.* Et S. Chrysostomus : *Fides et Spes, creditis speratisque rebus advenientibus, cessant.* Scilicet evacuabitur fides, quia involvit objecti obscuritatem ; item spes, quia negat objecti præsentiam.

96. Septimo, *in animabus purgantibus manent virtutes theologicæ omnes; in damnatis autem nulla.* Hæc est communis Theologorum cum S. Thoma (2) sententia. Difficultas esse posset circa fidem in damnatis existentem : quia *et dæmones credunt, et contremiscunt*, Jac. II, 19; — verum dicendum, in dæmonibus ac damnatis fidem infusam et supernaturalem non remanere : cum donis gratuitis et pia motione voluntatis plane careant. Credunt igitur fide naturali, orta tum ex evidentia signorum, tum ex misera experientia, qua Deum vindicem sentiunt.

(1) Cf. supra, tract. *De grat.* n. 342.
(2) Cfr *Supplem.* q. 98, art. 1 ; et *append.* q. 2, art. 4 ad 4.

ARTICULUS II.

DE FIDE.

97. Quoniam materia hic uberior occurrit, ut in ea tractanda sine confusione procedamus, articulum dividemus in quatuor sectiones.

Sectio I, *de definitione et divisione Fidei.*
Sectio II, *de objecto materiali Fidei.*
Sectio III, *de objecto formali Fidei.*
Sectio IV, *de actu Fidei.*

SECTIO I.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE FIDEI.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est Fides ? — 2° Quomodo Fides differt a scientia ? — 3° Quænam est Fides ad salutem requisita ? — 4° Quomodo Fides salutaris definitur ? — 5° Quomodo Fides theologica dividitur ? — 6° Quodnam est Fidei subjectum ? — 7° Qua ratione Fides dicitur a Concilio Trid. humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis? — 8° An Fides est prima gratia ?*

98. QUÆR. 1° *Quid est Fides?* — R. Nomen *fidei* aliquando sumitur, 1) pro fidelitate in promissis, ut Rom. III, 3: *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit?* — 2) Pro ipsis promissis, et pro voto: *Primam fidem irritam fecerunt.* I Tim. V. 12.—3) Pro dictamine conscientiæ: *Quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. XIV, 23.—4) Pro fiducia: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Jac. I, 6. — 5) Pro objecto Fidei, ut in Symbolo Athanasiano: *Hæc est Fides catholica...*—6) Denique et principalius, pro assensu intellectuali propter auctoritatem loquentis, sive attestantis, elicito; ut Hebr. XI, 3: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.*

99. Q. 2° *Quomodo Fides differt a scientia?* — R. Duplici modo quæstio hæc intelligi potest: nimirum, de habitu scientiæ et fidei, vel de earum actu.

100. — I. *Si quæratur de habitu*, quæstionis sensus hic esse solet: quomodo fides, qua doctrinam ab Ecclesia propositam sine disquisitione admittimus, differt a scientia, que verita-

tes ratione demonstratas cognoscimus? — Porro nomine *scientiæ*, quod in præsenti quæstione latiore sensu accipitur, modo intelligunt auctores omnium generatim humanarum scientiarum complexum, modo philosophiam, modo demum ipsam humanæ rationis vim, qua, tanquam instrumento, variæ cognitiones acquiruntur et demonstrantur.

101. Jam vero, quacumque acceptione quæstionis sensus definiatur, generatim responderi potest: 1) scientia differt a fide præcipue *ratione objecti:* nam scientia in naturæ veritate investiganda versatur, fides vero respicit veritates supernaturaliter a Deo revelatas (1). — 2) *Ratione certitudinis*, scilicet objectivæ, scientia a fide non differt, nisi *quoad modum.* Etenim certitudo scientiæ fundatur quidem in ratione divina ac prima veritate, sed *mediate* tantum: immediate autem in lumine rationis humanæ; at fides *immediate* nititur in auctoritate Dei ac prima veritate.

102. Hinc patet, scientiam, vel rationem, etsi contra fidem distinguitur, eidem nequaquam adversari posse. Quin potius, obsequium fidei prorsus rationi consentaneum est. Non enim cæco quodam impulsu et imprudenti fides ad credendum cogit; sed prævie permittit et vult, ut humana ratio, in adultis, qui nondum fidem susceperint, divinæ revelationis factum diligenter inquirat, quo illi certo constet Deum esse locutum. Quod postquam ratio certo agnovit, illico etiam cernit Deo loquenti fidem esse habendam; nihilque sibi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhærere, quæ a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit.

103. Nec timendum, ne fides objecta quædam admittenda proponat, quæ rationis principiis repugnent: *Etsi enim,* ut Pius IX loquitur, *fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest; cum ambæ ab uno eodemque immutabilis æternæque Veritatis fonte, Deo Optimo Maximo, oriantur; atque ita sibi mutuo opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat: fides vero rationem ab omnibus erroribus*

(1) Cf. tom. 1, tract. *De princip. theol.* c. 1, art. 2, n. 18.

liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat (1).

104. — II. *Si quæratur de actu* scientiæ et fidei, discrimen inter utrumque præsertim oritur *ex objecto formali*, seu motivo assensus intellectivi, quod in scientia est naturalis evidentia veri; in fide autem, auctoritas Dei revelantis. Etenim, ex. gr. demonstrationi geometricæ assentior, quia rem ita esse *video;* dogmati autem fidei adhæreo, quia Deus, infallibilis *Veritas*, illud ita esse *testatur.*

105. Q. 3° *Quænam est Fides ad salutem requisita?*—R. Est *supernaturalis assensus intellectus, libere elicitus, et veritati revelatæ præstitus, propter auctoritatem Dei revelantis.* Hanc veram esse fidei justificantis notionem, non solum Conc. Trid. indicat, Sess. 6. can. 12, nec non Vaticanum Constit. *Dei Filius*, cap. III *de fide;* sed etiam Scriptura et Traditio demonstrat. Heb. XI, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (2).

106. Q. 4° *Quomodo Fides salutaris definitur?*—R. Duæ sunt præcipue definitiones, una descriptiva, altera essentialis. *Prima* datur ab Apostolo, Hebr. XI, 1: *Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur *substantia*, ὑπόστασις, id est, basis et fundamentum spei nostræ. — Dicitur *rerum sperandarum;* quia Deus, quem speramus, est præcipuum fidei objectum, ad quod cætera revelata reducuntur. — Dicitur *argumentum non apparentium:* id est *convictio*, quia intellectus per fidem convincitur de veritate rerum, quæ nec sensu, nec ratione percipiuntur.

107. *Secunda* datur a Theologis: Fides, prout dicit actum, est *assensus supernaturalis, firmus et certus, auctoritate Dei obscure revelantis fundatus;* — prout vero dicit habitum, fides est *virtus theologica, divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis, quæ a Deo revelata sunt, propter auctoritatem revelantis* (3).

(1) Encyclica 9 nov. 1846. Cfr Constit. Vatic. *Dei Filius*, cap. IV *de fide et ratione.* — (2) Cf. ibid. v. 3 seqq.; Rom. X, 9; Joan. XX, 31. — Supra, *De grat. habit.* n. 323. — (3) Cf. Constit. Vatican. *Dei Filius*, cap. III *de fide.*

108. Addi potest et tertia definitio, a Canisio data (1), qua explicatius objectum materiale describitur, quæque ita fere sonat: *Fides est donum Dei, ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint, sive non sint.*

109. Ex hisce definitionibus patet, fidem salutarem esse fidem supernaturalem et infusam, quæ a naturali et acquisita toto genere differt. — Fides porro infusa et supernaturalis, secundum latitudinem suam spectata, varios *habitus* et *actus* comprehendit: scilicet habitum intellectus et habitum voluntatis; deinde actus, tum intellectus, quibus assensus perficitur: tum voluntatis, pias nempe affectiones, quibus fides in ratione virtutis honestæ et meritoriæ completur. Uterque ille habitus, et utrique illi actus conflant unam virtutem integram fidei, constantem ex elementis partialibus specie diversis (2).

110. Q. 5° *Quomodo Fides theologica dividitur?*—R. Dividitur — 1) in *objectivam*, QUÆ creditur, *et subjectivam*, QUA creditur.

111.—2) Subjectiva iterum subdividitur in *theologicam* seu simpliciter *divinam*, et *catholicam*; — in *habitualem* et *actualem*; — in *explicitam* et *implicitam*; — in *internam* et *externam*; — in *vivam* et *mortuam*; — in *formatam* et *informem*.

112. Fides *theologica*, restrictive sumpta, et ut contradistinguitur a *catholica*, ea est, qua creditur id, quod quocumque modo revelatum est a Deo; *catholica* vero ea, qua creditur id quod ab Ecclesia proponitur ad credendum ut divinitus revelatum. Hæc duo sese habent ut includens et inclusum: omnis enim fides catholica est theologica, non vero vicissim.

113. Fides *actualis* est actus, quo intellectus, ex imperio voluntatis per gratiam excitatæ, firmiter assentitur rebus a Deo revelatis propter auctoritatem Dei revelantis. *Habitualis* vero, est habitus nobis a Deo infusus, actuum fidei, cum auxilio gratiæ actualis, elicitivus (3).

114. Fides *explicita* est, qua assentimur alicui fidei articulo, in se et in propriis terminis cognito. *Implicita* est, qua

(1) *Summa doctrinæ christ.*, de fide, c. 4 et 22.
(2) Cf. Lugo, t. 1, *De fide*, disp. 8, sect. 1.—(3) Supra, *De grat.* nn. 86, 88.

creduntur quædam veritates, non in se, sed in alia tanquam universali vel principali contentæ. Sic, qui explicite credit, duas esse in Christo naturas distinctas, *implicite* etiam credit, duas esse in ipso voluntates et operationes, ex utraque natura profluentes. Item, qui explicite credit quidquid Deus revelavit, vel quidquid Ecclesia credendum proponit, implicite credit septem esse N. L. sacramenta, etiamsi eorum explicitam cognitionem, imo ne actualem quidem confusam habeat.

115. Fides *interna* est assensus fidei mente conceptus; *externa* vero est internæ fidei externa professio.

116. Fides *viva* est ea, quam observatio mandatorum comitatur, seu quæ *per charitatem operatur*, Gal. V, 6;—*mortua* vero est ea, quam mandatorum observatio non comitatur: *Fides sine operibus mortua est.* Jac. II, 20. — Aliquando etiam sumitur fides *viva* pro *intensa*, et opponitur fidei *debili*, sive hæc sit, sive non sit charitate formata.

117. Fides *formata* est ea, quæ in homine adjunctam habet charitatem, qua, tanquam extrinseca sui forma (1), perficitur; *informis* vero est ea, quæ sine charitate manet.

118.—3) Fides objectiva similiter subdividitur in *privatam* et *catholicam*, *definitam* et *definibilem*, *obligantem* et *liberam*, *necessariam de medio* et *necessariam de præcepto*. Hæc autem explicabuntur infra, ubi de *objecto Fidei*.

119. Q. 6° *Quodnam est Fidei subjectum, seu, in qua animæ potentia Fides existit?* — R. In intellectu; quandoquidem objectum fidei est *verum* ut tale: adeoque *credere* est actus ad intellectum, ut causam elicientem, pertinens. Hinc dicitur Hebr. XI, 3: *Fide intelligimus aptata esse sæcula.* — Fides tamen in voluntate quoque est, ut imperante. Hinc Augustinus ait: *Credere nemo potest nisi volens.* Tract. 20 in Joan. Ratio est, quod intellectus, ad præstandum assensum fidei, non convincitur per evidentiam objecti; est enim fides argumentum non apparentium. Requiritur igitur quædam pia affectio, et obedientia voluntatis erga primam Veritatem, intellectum in obsequium fidei, efficaci sed libero imperio, captivantis.

(1) Supra *De virt.* c. 1, n. 58.

Unde Apostolus ait: *Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad* OBEDIENDUM FIDEI. Rom. I, 5.

120. Q. 7° *Qua ratione dicitur a Concilio Trid.* Sess. 6, cap. 8, *Fides humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis?* — R. Quia fides, ordine generationis prima est inter supernaturales virtutes. Nam finis ultimus prius debet esse in intellectu, quam a voluntate desiderari vel amari possit. — Potest tamen per accidens alia virtus fidem præcedere, v. g. aliqua humilitas, removens superbiam quæ a fide retrahit; sed erit hæc naturalis ordinis virtus.

121. Q. 8° *An fides est prima gratia?* — Resp. negative: patet ex propp. 27 et 29 Quesnelli, in Bulla *Unigenitus* damnatis: *Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum; et extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.* — Ratio est, quod infideles et hæretici sæpius gratias sufficientes recipiunt, quibus saltem *negative* disponantur ad fidem; et præterea, qui faciunt, imo, sæpissime, qui non faciunt quod in ipsis est, per gratiam *prævenientem* miserentis Dei: ii ad amplectendam fidem, pro loco ac tempore, gratuito alliciuntur, seu *positive* vocantur: quemadmodum ostensum est in tractatu de Gratia (1), et colligitur ex damnata propositione ista: *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti* (2).

SECTIO II.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI.

QUÆSTIONES.

1° *Quodnam est Fidei objectum materiale in genere?* — 2° *Quodnam est idem objectum in specie?* — 3° *Quomodo objectum materiale Fidei dividitur?* — 4° *Quid est Symbolum?* — 5° *An Fidei articuli successu temporis creverunt?* — 6° *An Fidei articuli sunt evidenter credibiles?* — 7° *An sunt evidenter veri?* — 8° *An sunt evidenter credendi?* — 9° *An omnes articuli æque sunt necessarii ad salutem?* — 10° *Quinam Fidei articuli sunt explicite credendi necessitate medii?*

122. QUÆR. 1° *Quodnam est Fidei objectum materiale in ge-*

(1) Cap. 1, art. 4, n. 223 seqq. — (2) Prop. 5 inter 31 damn. ab Alex. VIII, 7 dec. 1690.

nere? — R. Objectum materiale fidei theologicæ est, generatim, omnis ac sola veritas a Deo revelata. Ratio est, quod, ex notione fidei supra tradita, objectum hujus virtutis sit omne ac solum id, quod propter solius Dei auctoritatem creditur vel credi potest.

123. Q. 2° *Quodnam est objectum materiale Fidei in specie?* — R. Prænotanda quædam. — 1) Potest aliquid esse objectum fidei tantum *secundum se*, vel etiam *quoad nos:* prout est, vel præcise a Deo revelatum, — vel etiam ita revelatum, ut nobis sufficienter innotescat.

124. 2) Aliquid potest esse revelatum *explicite* vel *implicite:* explicite, quod ipsis locutionis terminis clare et signanter exprimitur ; — implicite, quod in explicite revelato continetur.

125. 3) Potest contineri aliquid in explicite revelato *formaliter* vel *virtualiter:* formaliter, quando inest plene formatum, sicut pars in toto, singulare in collectivo, nucleus in fructu; — virtualiter, quando tantum inest inchoate, et quasi in semine aut radice: sicut effectus in causa, proprietas in essentiâ, particulare in universali.

126. 4) Id quod est *implicite* revelatum, deduci potest ex revelatione explicita per ratiocinium triplicis generis : scilicet, vel ex duabus præmissis revelatis ; — vel ex una universali revelata, et altera particulari, quæ naturaliter cognita sit certitudine metaphysica vel physica ; — vel demum, ex una universali revelata, et altera singulari, quæ naturaliter cognita sit certitudine morali.

127. His positis, ad quæsitum respondeo. Objectum fidei sunt omnia quæcumque revelata sunt *explicite.* — Circa revelata vero *implicite*, cum Lugo (1) et plerisque TT. videtur dicendum :

128. 1) Conclusio, quæ continetur formaliter in una vel pluribus propositionibus revelatis, est ipsa revelata, atque objectum fidei quoad nos : quoniam per meram explicationem nobis innotescit. — Illa vero, quæ includitur in revelata virtualiter tantum, et quasi in radice, probabilius, licet

(1) Tom. 3, *De fide*, disput. 1, sect. 13, § 1-5.

sit revelata et objectum fidei *secundum se*, non tamen talis est *quoad nos:* cum nobis non innotescat, nisi vi illationis discursivæ; adeoque admittenda sit assensu discursivo, qui actus fidei non est. Per accidens tamen, si ab Ecclesia, infallibili verbi Dei interprete, hujusmodi propositio ut revelata declaretur, eo ipso, ut patet, efficitur etiam objectum fidei quoad nos. — Juxta hæc principia, cum Lugo videtur addendum:

129. 2) Si propositio ducitur ex duabus revelatis, existimanda est in ipsis formaliter contineri, adeoque objectum fidei (1) esse quoad nos; ut ex. gr.: *Omnes Apostoli receperunt Spiritum S.; atqui Petrus erat unus ex Apostolis;* ergo *Petrus recepit Spiritum S.* Hæc enim conclusio æquivalet huic revelatæ: *Omnes Apostoli, quorum unus erat Petrus, acceperunt Spiritum S.*

130. 3) Si conclusio ducitur ex universali revelata, et singulari naturaliter, sive *metaphysice* sive *physice, certa;* communis sententia tenet, eam esse objectum fidei, quia universalis revelata æquivalet collectivæ. Ex. gr. *Christus est verus homo; atqui verus homo habet veram carnem; ergo Christus habet veram carnem.— Omnes parvuli, rite baptizati, sunt in gratia; atqui, a me ipso hic parvulus rite baptizatus est: ergo hic parvulus est in gratia. — Omnes homines peccaverunt in Adam; atqui Petrus est homo; ergo Petrus peccavit in Adam.—Omnis doctrina, quam Ecclesia ut hæreticam damnat, vere hæretica est; atqui ita damnat Ecclesia doctrinam Jansenii; ergo doctrina Jansenii vere hæretica est.*

131. 4) Si conclusio ducitur ex universali revelata, et singulari, quæ *certitudine tantum morali* cognoscitur, distinguendum est: si adest proprie dicta et rigorosa certitudo moralis, conclusio est objectum fidei; secus vero, si certitudo sit moralis late dicta, seu magna tantum probabilitas.

132. Scilicet certitudo vel evidentia *moralis*, ratione duplicis præsertim gradus quem admittit, distinguenda est duplex: *a*) certitudo moralis *rigorosa et propria*, quæ excludit

(1) Est scilicet objectum fidei, non quatenus *deducta* per ratiocinium ex præmissis; sed præcise quatenus *explicata* per præmissas, atque nobis applicata, seu proposita ut revelata.

non solum prudens dubium, sed etiam prudentem formidinem, quia nunquam accidit subesse falsum, ut v. g. *existit Jerusalem, exstitit Julius Cæsar. b*) Certitudo moralis *minus propria*, quæ non excludit formidinem prudentem, sed solum dubitationem prudentem de objecto ; quia, licet raro vel rarissime, aliquando tamen accidit, ei subesse falsum : ut, v. g. *testimonium viri gravis atque jurati, verum est.*

133. Jam vero hæc quibusdam casibus applicemus. *a*) *Omne Concilium œcumenicum, legitime congregatum, Spiritus S. assistentia munitur; atqui tale fuit Concilium Tridentinum; ergo Conc. Trid. Spiritus S. assistentia munitum est.— Omnis Pontifex Romanus legitime electus, etc., est Christi Vicarius; atqui* PIUS IX *est Pontifex Rom. legitime electus, etc.; ergo* PIUS IX *est Christi Vicarius.* — Hæ conclusiones merito ut fidei objectum habentur: utraque enim est, non tantum moraliter certa lato sensu, sed rigoroso; imo falsa nequaquam esse potest : quandoquidem evidentissimum est, et Concilium Trid., et electionem PII IX ab Ecclesia esse acceptata ; adeoque utrumque esse certissime legitimum. — *b*) *Omnis puer rite baptizatus, est in statu gratiæ ; atqui puerum hunc vidi baptizari; ergo hic puer est in statu gratiæ.—Omnis hostia, rite consecrata, est corpus Christi, atqui hæc determinata hostia est rite consecrata : ergo est corpus Christi.* Hujusmodi conclusiones sequuntur naturam debilioris partis præmissarum, quæ non habet nisi certitudinem secundi gradus. Hæc tamen certitudo, cum excludat prudens dubium, sufficit, ut et illi puero postmodum cætera sacramenta absolute administrentur, et illa determinata hostia adoretur absolute, sicut Ecclesia præcipit (1). Certitudo enim hujusmodi sufficiens est ad fundandum judicium prudentiæ, quod est regula proxima agendorum (2).

134. Q. 3° *Quomodo dividitur objectum materiale Fidei?* — R. Dividitur 1) in primarium et secundarium. *Primarium*, seu principale, est Deus, et omnia in Deo contenta quæ nobis revelata sunt: ut divina attributa ; *secundarium* consti-

(1) Trid. Sess. 13, can. 6.— (2) De Lugo, loc. cit.; item Theol. Wirceb. *De virtutib. theol.* disput. 2, art. 2 et 3 ; —Suarez, tom. XI, tract. 1, disp. 3, sect. 11.

tuunt cætera omnia, a Deo nobis revelata; ut humanitas Christi, sacramenta, etc. — 2) In privatum et catholicum. Revelatio *privata* est ea, quæ particulari alicui personæ proponitur; quales sunt revelationes S. Birgittæ. Hæc est objectum fidei respectu illorum, quibus revelatio facta est. Revelatio catholica, et objectum *catholicum* fidei, est id omne, quod Deus Ecclesiæ suæ commisit proponendum fidelibus universis. — 3) In definitum et definibile. *Definitum* est id, quod Ecclesia distincte proposuit explicita fide credendum; *definibile*, id omne, quod, cum in thesauro revelationis existat, Ecclesia ut fide explicita credendum proponere posset.

135. Porro dogmata generatim appellantur *puncta fidei*: definita vero, etiam *articuli fidei* vocari solent. Puncta fidei continentur in Scriptura et Traditione; articuli vero, non tantum in Scriptura et Traditione; sed et in Conciliorum canonibus, ac definitionibus RR. Pontificum, præcipue vero in Symbolo. Etenim, licet omnia definita vocentur articuli fidei; speciatim tamen hoc nomine ea dogmata veniunt, quæ primarium quemdam locum obtinent, et sunt velut quædam fidei capita, in quibus alia dogmata continentur: quales sunt articuli Symboli.

136. Q. 4° *Quid est Symbolum?* — R. Est summa quorumdam præcipuorum fidei articulorum, omnibus fidelibus ad expresse credendum proposita, quorum professio eos ab infidelibus discernit. — Tria dantur præcipua Symbola: Apostolorum; Patrum seu Nicænum aut Nicæno-Constantinopolitanum; Athanasianum.

137. Primum ab Apostolis ipsis conditum est; nec scripto, sed ore, cordibus et memoriæ fidelium traditum, uti S. Hieronymus (1), Ruffinus (2) et S. Chrysologus (3) docent. Hujusce Symboli primis jam sæculis mentionem faciunt Tertullianus (4) et S. Irenæus (5). — Alterum Symbolum a Patribus Conc. Nicæni I inchoatum, in Conc. CP. I auctum atque perfectum est. Incipit his verbis: *Credo in unum Deum.* — Tertium,

(1) *Epist.* 61. — (2) *In exp. Symb.* — (3) *Serm.* 62. Cfr et S. Ambros. l. I, ep. 7; Concil. Ephesin. in *relat. ad Theod.* — (4) *Contra Praxeam.* — (5) *Hær.* l. 1, c. 2.

quod ita incipit: *Quicumque vult salvus esse*, attributum fuit S. Athanasio; ab aliis, solidiore fundamento, Vigilio Tapsensi, Episcopo Africano (480) adscribitur (1).

138. Q. 5° *An articuli Fidei successu temporis creverunt?* — R. 1) Principales, de Deo nempe Creatore et Christo Redemptore, nunquam creverunt. 2) Minus principales, ab Adamo usque ad Christum et Apostolos inclusive, creverunt *simpliciter*. 3) A tempore autem Christi et Apostolorum, non creverunt simpliciter, sed tantum *secundum quid*. Scilicet, non creverunt secundum substantiam, quia Ecclesiæ non fit nova revelatio; omnia enim credenda Apostolis revelata sunt, juxta illud Christi: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, Joan. XV, 15; et ibid XVI, 13: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

139. Dixi *secundum substantiam;* quia constat articulos fidei secundum majorem explicationem crevisse. Ecclesia enim, occasione insurgentium hæresum, varias propositiones definivit, expliciteque credendas fidelibus exhibuit, quæ in Scriptura et Traditione implicite tantum et quoad substantiam continebantur.—Hinc patet, quomodo aliquid possit incipere esse de fide, scilicet *obligante*, etiam catholica seu universali: non quasi mutatio fieret in revelatis; sed quia revelatum, quod, *ut tale*, nondum propositum ab Ecclesia est, potest nunc *ut tale* proponi; prout sæpius a Conciliis factum esse novimus.

140. Q. 6° *An Fidei articuli sunt* EVIDENTER CREDIBILES? — R. Credibilitas articuli cujuspiam describi potest: *Aptitudo articuli ad hoc, ut prudenter credi, seu actu fidei admitti possit, orta ex motivis, quæ credibilitatis nuncupari solent.* Hæc motiva credibilitatis, respectu Ecclesiæ fideique catholicæ, ad tria capita referri possunt. Primum est triplex *doctrinæ*, quam Ecclesia profitetur, proprietas: veritas nempe, sanctitas et efficacia.—Secundum, *testium* auctoritas, consensus ac multitudo. — Tertium, *miracula* fere innumera, quæ in fidei confirmationem sæculis omnibus patrata sunt (2).

(1) Hoc tertium symbolum, cum ab utraque Ecclesia Orientali et Occidentali sit adoptatum, eadem ac duo priora auctoritate pollet.—(2) Cf. tom. I, tract. *De relig. christ.* cap. 4, n. 277 seqq.; et *De Eccles.* c. 2, nn. 301, 302.

141. Credibilitas fidei catholicæ considerari potest, vel *absolute*, ac nulla comparatione instituta; vel *respective*, seu comparatione instituta cum oppositarum sectarum, scilicet hæresis cujuscumque, Judaismi ac Paganismi, credibilitate.

142. *Evidenter* credibilis est ea religio cujus credibilitatis motiva non tantum certa sunt, sed tanta etiam claritate splendent, ut intellectum vel reluctantem, dummodo ea, ut par est, perpenderit, convincant; nec sinant dicere: *probabiliter hæc religio non est divina; et forte imprudens essem, si crederem.*

143. *Evidentia* est quasi *videntia* seu visio objecti, quod intellectui proponitur, perinde ac si illud præ oculis haberetur: unde, præter certitudinem, specialem claritatem importat; ex cujus defectu actus mentis, licet maxime certus, non est tamen evidens. Communius tenent auctores, de ratione evidentiæ esse, intellectum ita convincere, ut vi claritatis excludat omnem formidinem, etiam imprudentum, de opposito, *dummodo termini vel motiva expendantur ac penetrentur.* Quo differt evidentia a probabilitate et certitudine; posita enim probabilitate, possum prudenter formidare de opposito; posita sola certitudine, possum adhuc formidare imprudenter; posita autem evidentia, ne imprudenter quidem formidare de opposito possum.

144. His præmissis ad quæsitum respondeo: fides catholica, seu ejus articuli sunt evidenter credibiles (1), assensu firmissimo, tanquam a Deo revelati, sive considerentur in se, sive comparative ad alias sectas. Etenim 1) quoties moraliter certum est, Deum aliquid revelasse, evidens est illud prudenter credi posse; sed ex signis credibilitatis moraliter certa est revelatio fidei catholicæ; ergo. 2) Nulla secta, catholicæ religioni comparata, remanet prudenter credibilis: nec tanta habet signa credibilitatis, quanta habet religio catholica, ut evidenter constat; ergo articuli catholicæ religionis, non tantum absolute, sed comparative sunt evidenter credibiles. 3) Confirmatur auctoritate: *Testimonia tua*, ait Propheta, *credibilia facta sunt nimis.* Ps. XCII. — *Clara est*, *et quæ*

(1) Ad solam catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ *ad evidentem fidei christianæ credibilitatem* tam multa et tam mira divinitus sunt disposita Constitut. Vatic. *Dei Filius*, cap. III.).

nunquam marcescit, Sapientia, ac facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Sap. VI. 13. -- S. Chrysostomus : *Nullus his contradixerit, nisi qui valde insanus et totus stupidus sit.* Orat. quod Christus sit Deus.

145. Q. 7° *An articuli Fidei sunt* EVIDENTER VERI? — R. Res evidenter vera tunc est, quando vel in se ipsa ac immediate, vel in motivo infallibili ac mediate, ita se habere clare cognoscitur, ut reapse se habet ac menti repræsentatur. Evidentia prior dicitur *rei attestatæ*, posterior vocatur evidentia *in attestante*, seu *de revelatione*; quia illud motivum, quo articulus fidei verus esse cognoscitur, est testimonium Dei loquentis ac revelantis.

146. Evidentia *rei attestatæ*, circa plures articulos juris naturalis ; nullatenus vero circa articulos juris supernaturalis, haberi potest.

147. De evidentia *in attestante* hic præcipue questio est: utrum ex signis credibilitatis, sicut evidens fit *credibilitas*, ita etiam evidens fiat *veritas* revelationis ac religionis catholicæ: adeo ut quis, ne imprudenter quidem, de ea veritate formidare possit; sed absque voluntatis imperio, intellectus, evidentia signorum convictus, cogatur ad hoc efformandum judicium: Religio catholica est a Deo revelata. — Quibus prænotatis, ad quæsitum respondeo: Fidei nostræ articuli, *communiter loquendo*, non sunt evidenter veri, evidenter revelati, seu evidentes in attestante, evidentia *stricte* tali, quæ formidinem etiam imprudentem excludat. Rudes enim et indocti signa credibilitatis neque considerant, neque penetrare possunt. Et quamvis auctoritas Ecclesiæ ac sacerdotum plurimum apud illos valeat, strictam evidentiam tamen non parit. — Doctiores autem, cum ob defectum omnimodæ claritatis, arduum semper obsequium fidei soleant experiri, ne ipsi quidem evidentia gaudere dicendi sunt (1).

148. Q. 9° *An articuli Fidei sunt* EVIDENTER CREDENDI ? — R. *Credendum* illud est, quod non tantum prudenter possumus, sed etiam tenemur credere. Sumitur vel *negative* vel *positive*. —*Negative credendum* est, quod negare non possumus; *positive* vero illud, circa quod elicere assensum fidei tenemur.

(1) Cf. Wirceb. Theol. *De fide*, n. 97.

149. Porro fides elicienda potest esse *explicita* vel *implicita*, prout articulus aliquis credi debet in particulari et in se, aut in communi et in alio. — Fides explicite elicienda subdividitur in necessariam necessitate medii, et necessariam necessitate præcepti.

150. His præmissis, ad quæsitum respondeo: articuli fidei nostræ sunt evidenter credendi assensu firmissimo. Etenim quoties moraliter certum est, Deum aliquid revelasse ut credatur ab hominibus, hoc evidenter credendum est assensu firmissimo; sed ex signis credibilitatis moraliter certum est, Deum ita revelasse articulos fidei nostræ; ergo hi evidenter credendi sunt assensu firmissimo. Hinc quoque sequitur, vanam esse distinctionem protestanticam in articulos fundamentales et non fundamentales (1).

151. Q. 9° *An omnes articuli æque sunt ad salutem necessarii?* — R. Si sermo sit de fide implicita, omnes æque necessario credendi sunt. Si de fide explicita, alii sunt necessarii necessitate medii, alii necessitate præcepti.

152. Q. 10° *Quinam Fidei articuli sunt necessarii necessitate medii?* — R. Fuit omni tempore ad justificationem et salutem necessaria necessitate medii, fides *explicita* de Deo, ut existente et remuneratore; non vero, juxta probabilem sententiam, fides explicita de Christo aut de SS. Trinitate. — Etenim: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit.* Hebr. XI, 6. — S. Thomas: *Qui salvati inter eos quibus revelatio non fuit facta, non fuere salvati absque fide Mediatoris... quia habuere ejusdem fidem implicitam in divina Providentia.* 2. 2, q. 2, a. 7 ad 3.

(1) Cf. tom. I, *De Eccl. Introduct.* n. 28.

SECTIO III.

DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

QUÆSTIONES.

1° *Quodnam est objectum formale Fidei divinæ ? — 2° Quomodo objectum formale Fidei enuntiari potest ? — 3° Qualis est assensus, quo intellectus objectum formale apprehendit ? — 4° An ipsum objectum formale Fidei creditur ?*

153. QUÆR. 1° *Quodnam est objectum formale Fidei divinæ?*— R. Objectum, seu motivum de quo quæritur, non est motivum quodpiam impulsivum potentiæ, quod est prævium et extrinsecum actui; sed est motivum formale, quod proprie et immediate potentiam ad actum pertrahit.

154. Jam vero dicendum est, objectum formale fidei non esse omnipotentiam Dei, neque voluntatem Dei, neque auctoritatem Ecclesiæ, neque lumen rationis, neque lumen fidei sive habituale sive actuale, ut varii contenderunt; sed esse *testimonium Dei*, quod in tria elementa : *omniscientiam*, *veracitatem* et *locutionem*, vel etiam in duo : *veritatem* et *locutionem*, resolvitur. — *Veritas* in Deo distingui potest triplex : in *essendo*, quæ dicitur veritas transcendentalis, et est ipsa Dei essentia, qua verus Deus est, a falsis diis distinctus; in *cognoscendo*, quæ est infinita Dei sapientia, qua omnia prout sunt comprehendit; in *dicendo*, quæ est summa Dei veracitas, ita ut fallere nolit, sicut ratione sapientiæ suæ falli non potest. — Porro veritas Dei, quatenus pertinet ad objectum formale fidei, est veritas in cognoscendo simul et in dicendo, quæ et omnimoda *infallibilitas* vocatur. — *Locutio* Dei, seu revelatio, hic sumitur pro ipso actu loquendi, cui necessario inhæret divina auctoritas. Dividitur communiter in *immediatam*, qua Deus per se ipsum; et *mediatam*, qua per angelos aut alios ministros loquitur. — Immediata subdividitur in *intellectualem*, *imaginariam* et *sensibilem*. Intellectualis est, qua Deus loquitur per signa spiritualia, soli intellectui perceptibilia; imaginaria, qua loquitur per signa materialia phantasiæ propria; sensibilis, qua loquitur per signa materialia propria sensuum externorum.—Jam vero ad objectum

formale fidei sufficit quæcumque locutio, dummodo sit *locutio Dei proprie dicta.*

155. Q. 2° *Quomodo enuntiari potest objectum formale Fidei?* — R. Enuntiari potest hac formula : Objectum formale fidei est *testimonium Dei; seu complexus ex omniscientia, veracitate, et locutione divina proprie dicta :* quæcumque demum hæc sit, sive privata, sive communis, sive immediata, sive mediata.—Dico, *est testimonium Dei :* ideo enim intellectus credit, quia movetur *auctoritate loquentis :* auctoritas autem loquentis, non est aliud quam *locutio vestita auctoritate*, quod est *testimonium.* Ergo fidei divinæ objectum formale est testimonium Dei. — Dixi deinde, *testimonium Dei, seu complexus ex omniscientia*, etc. Resolvitur scilicet testimonium divinum in tria elementa, quæ sunt : scientia, veracitas et locutio. Etenim testimonium Dei est *locutio Dei vestita auctoritate divina*; auctoritas autem includit et scientiam et veracitatem. Nam ideo me movet alicujus dictum, quia loquens simul et *scit, et vult manifestare veritatem*; seu *quia scientiam habet et veracitatem.* Porro scientia et veracitas infinita Dei præstant, ut nec falli possit nec fallere, et absolutam *infallibilitatem* constituunt : quod objecti formalis principale elementum est; ipsa vero locutio, secundarium. Conjuncta ambo, pene dixerim concreta, *adæquatum objectum formale fidei* perficiunt, quod est *testimonium Dei.*

156. Q. 3° *Qualis est assensus, quo intellectus objectum formale apprehendit?* — R. Variæ sunt Theologorum sententiæ. Dicendum videtur (1), hunc assensum esse immediatum, supernaturaliter elicitum, analogum illi assensui immediato, quem naturaliter primis rationis principiis præstamus.

157. Scilicet duæ propositiones, quibus objectum formale fidei constituitur, se habent ad fidem, sicut principia se habent ad conclusionem rationis.

158. Assensus enim fidei non immediatus est, sed mediatus, seu virtualiter discursivus ; v. g. dum assensu fidei dico : *Verbum est incarnatum*, virtualiter dico : *Verbum est incarnatum, quia Deus revelavit, et revelatio Dei est infallibilis;* est

(1) Cf. De Lugo, t. 3. *De fide*, disp. 1, sect. 6, 7 seqq.; Item Haunold, *De fide*, cap. 1.

itaque unicus ille judicii actus virtualiter triplex, atque hoc modo resolvitur :

> Revelatio divina fallere nequit;
> Atqui Deus revelavit Verbum esse incarnatum;
> Ergo Verbum est incarnatum.

In quo discursu conclusio est adæquatus fidei assensus, virtualiter continens præmissas; ipsæ vero præmissæ sunt objectum formale, constans duplici principio, cui, prout dictum est, assentimur assensu immediato.

159. Quid autem est assensus *immediatus?* Est ille, quo veritati, seu veritatis propositioni assentimur sistendo in ipsa : quod contingit, dum veritas per se innotescit : v. g. *summa Veritas est infallibilis;* aut etiam, si dico : *Petrus loquitur*, dum Petrum loquentem audio. — Assensus *mediatus* e contra elicitur, dum veritas non per se, sed per aliam innotescit; seu, dum propositioni assentior propter aliam mihi notam, in qua illa formaliter vel virtualiter continetur : v. g. huic propositioni : *Deus est trinus*, assentior non propter se, seu quia revera Deus trinus est; sed propter aliud, nimirum propter testimonium certum, seu propter hanc aliam propositionem : *testimonio certo perhibetur Deum esse trinum.*

160. Assensus porro immediatus non est cum assensu *evidenti* confundendus. Assensus enim evidens tunc solum habetur, cum veritas ita menti resplendet, ut dummodo termini vel motiva expendantur, assensus denegari non possit. Quod si tanta claritas non affulgeat, etiamsi assensus alioquin *certissimus* sit, inevidens seu *obscurus* appellatur.

161. His positis, ut naturam assensus de quo inquiritur, nitidius definiamus, utrumque objecti formalis elementum spectemus necesse est.

162. Prior propositio : *revelatio divina fallere nequit*, quæ æquivalet huic : *Deus est summe verax*, *Deus est prima Veritas*; hæc inquam propositio est nota per se, et independenter a revelatione, saltem sub conceptu conditionali : *si Deus loquitur, verum dicit;* et huic propositioni intellectus, gratia juvante, assentitur *assensu immediato*, *certo*, *non tamen semper evidenti.*

163. Propositio altera : *Deus hoc revelavit*, itidem per se, et ipsa sua veritate, nec alia mediante, innotescit; sicut dum audio Petrum loquentem, ipso facto immediate innotescit mihi hæc propositio : *Petrus loquitur;* et huic propositioni immediate assentior. Ita etiam facto et veritati divinæ revelationis rite mihi propositæ, assentior *assensu immediato et certo* licet *non evidenti* sed semper *obscuro*, ut infra ostendetur (1).

164. Ut autem intelligatur, quo pacto immediate assentiamur divinæ revelationis veritati, quam tamen per testimonium, adeoque mediate, cognoscere videmur; animadvertendum est, quemadmodum duplex datur loquendi modus, immediatus nempe et mediatus, ita revelationem esse duplicem : unam immediatam, mediatam alteram. — Modus loquendi *immediatus* est, v. g. dum rex ad suos ministros coram loquitur; *mediatus* vero, dum v. g. ministri verbum regis promulgant subditis. In hoc secundo casu, rex loquitur ad subditos vere, quamvis mediate; nam licet *materialiter* loquela sit ministrorum, *formaliter* tamen adeoque *vere*, id quod dicitur est verbum regis. — Simili modo *revelatio immediata* illa est, quam Apostoli v. g. vel ab ore Christi acceperunt, vel Spiritus S. instinctu, qui docuit eos omnem veritatem, didicerunt. — *Mediata revelatio* est illa ipsa revelatio, olim Apostolis immediate data, et per Apostolos eorumque adjutores ac successores, Dei nomine ad nos transmissa.

165. Jam vero hæc mediata revelatio, 1) non tantum est vera locutio Dei; sed 2) insuper ita mihi proponitur, ut qua talis, i. e. qua locutio Dei, certo a me et immediate agnoscatur.

166. — 1) Est vera locutio Dei. Etenim cum Dei nomine ac voluntate ad me per homines transmittatur, etsi materialiter sit locutio hominum, formaliter tamen est verbum Dei; non secus ac ministri locutio, dum regis edictum promulgat, est materialiter quidem vox ministri, formaliter vero verbum regis.

167. — 2) Hæc Dei locutio, qua talis, a me certo et immediate cognoscitur. Etenim, postquam catholicam Ecclesiam,

(1) Sect. 4, quæst. 8°, n. 179.

majestate signorum circumdatam, et credibilitatis motivis tot ac tantis stipatam, tanquam divinam agnovi; cum eam audio prædicantem : *Hæc locutus est Deus... Hæc dixit Dominus; —* hanc *certo* percipio esse vere locutionem Dei ad homines : non secus ac subditi, dum promulgari a ministris edictum regus audiunt, hoc esse ipsius regis verbum percipiunt. — Et quemadmodum Apostoli ab ore Christi, quem, signis virtutibusque divinis fulgentem, Filium Dei vivi esse agnoverant, Evangelium accipientes, hoc esse verbum summi Regis formale et materiale immediate perceperunt ; ita fideles subsequentes, ab ore Apostolorum vel successorum eorum, vel quocumque medio idoneo, Evangelium accipientes, hoc esse verbum Dei, licet formale tantum, *immediate* quoque cognoscunt. — Ergo hæc veritas : *Deus locutus est*, in ipsa divini verbi propositione *rite facta*, se ipsam propria luce manifestat; quia vere Dei vocis resonantia, per apostolicam tubam, in generationes et generationes reboat toto orbe terrarum : *Deus dedit vocem suam, mota est terra*. Ps. XLV. — Unde et Apostolus, ad Romanos scribens, ait : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico : Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*. Rom. X, 17. Et I Thess. II, 13 : *Gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam, quum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei*.

168. Q. 4° *An ipsum objectum formale Fidei creditur?* — R. Quæritur, utrum assensus immediatus, quo *veracitati Dei* et *revelationi* assentimur *exercite*, sit assensus *fidei* dicendus, an potius *scientiæ*. Respondendum videtur, item ad mentem De Lugo (1), esse potius assensum fidei : 1) quia ea non gaudet claritate, quæ in assensu scientiæ inveniri solet; 2) et præsertim, *quia ex fidei habitu elicitur*. Habet enim habitus fidei virtutem eliciendi assensum, non solum circa mysteria revelata, quæ se habent sicut conclusiones ; sed etiam circa principia ipsa, quæ objectum formale constituunt.

(1) Ibid. disp. 1, sect. 6, n. 106.

SECTIO IV.

DE ACTU FIDEI.

169. Hactenus de fidei notione abstracta egimus, deque elementis hanc virtutem constituentibus; nunc de ipsa fide in actum prodeunte, seu de actu fidei disserendum est. Hic tria consideranda veniunt: *prærequisita*, seu actus secundarii actum fidei præcedentes; *natura* ipsius actus fidei; demum ejusdem *necessitas*.

QUÆSTIONES

1° *Quinam actus prævii ad Fidei actum requiruntur, an iidem supernaturales esse debent ?* — 2° *An judicia speculativa, quæ actum Fidei præcedunt, debent esse evidentia ?* — 3° *An judicium practicum de dogmatis propositi credenditate debet esse evidens ?* — 4° *An, ut veritates catholicæ credantur, absolute necessaria est Ecclesiæ propositio ?* — 5° *Quid circa naturam actus Fidei inquirendum est ?* — 6° *An actus Fidei est necessario verus et certus?* — 7° *An, et quomodo, assensus Fidei alios quosvis assensus certos certitudine superat ?* — 8° *An, et quomodo, actus Fidei est obscurus ?* — 9° *In quid ultimo actus Fidei resolvitur?* — 10° *Qualis Fidei actus necessarius est necessitate medii ad justificationem et salutem?*

170. QUÆR. 1° *Quinam actus prævii ad Fidei actum requiruntur, et an iidem supernaturales esse debent?* — R. Actus fidei adæquate spectatus (1), plures actus partiales, tum intellectus tum voluntatis, involvit ac prærequirit. Quod ut distincte percipiatur, meminisse oportet, assensum fidei, cum virtualiter discursivus sit, includere realiter vel virtualiter assensus tres; qui hoc modo, v. g. in fide de Incarnatione, explicari possunt: *Deus est prima veritas, — Deus revelat Incarnationem,—ergo Incarnatio facta est.* Præterea, cum assensus fidei sit actus liber, a voluntate imperari debet; cui voluntatis imperio judicium practicum præire necesse est. Igitur numerari omnino possunt judicia sequentia:

judicium directum et speculativum de veracitate Dei,
judicium directum et speculativum de revelatione mysterii,

(1) Supra, sect. 1, n. 208.

judicium reflexum et practicum de credenditate mysterii,

judicium fidei proprie dictum, quo mysterio assentior illudque credo.

171. Quod ad voluntatem attinet, in prædicta judicia omnia influxum aliquem exercere videtur (1), quatenus sunt libera; præcipuus vero actus ipsius est, ut imperet assensum fidei, ad credendum mysterium quod proponitur.

172. Porro actus hujusmodi tum voluntatis tum intellectus, quatenus fidei supernaturalis partes vel initia constituunt, supernaturales esse, et per gratiam elici debent (2). Cfr. constitut. Vatic. *Dei Filius*, cap. III, ubi dicitur: *Licet fidei assensus nequaquam sit motus animi cæcus, nemo tamen evangelicæ prædicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti.*

173. Q. 2° *An judicia speculativa, quæ actum Fidei præcedunt, debent esse evidentia?* — Resp. negative. Judicium de Dei veracitate, licet evidens esse possit, sufficit tamen ut sit certum. — Judicium de existentia revelationis, sicut *probabile tantum* non sufficit, ita *evidens* non requiritur. — Non sufficit judicium probabile, seu cognitio probabilis: non enim stare potest *assensus fidei supernaturalis cum notitia solum probabili revelationis; neque cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus* (3). — Non requiritur judicium evidens, sed sufficit certum certitudine morali. Etenim evidentia stricta a fidelibus non habetur de revelationis existentia; et ex altera parte, per certitudinem moralem, formido ac dubium prudens de revelationis existentia excluditur, et voluntas satis habet fundamenti, ut prudenter assensum fidei imperet.

174. Q. 3° *An judicium practicum de dogmatis propositi* CREDENDITATE *debet ese evidens?* — R. Ut hic accipitur, *credenditas* cujuspiam objecti est: ejus aptitudo ad hoc, ut prudenter *possit et debeat* credi certissime, atque super alia omnia: hinc *credenditas* a mera *credibilitate* (4) discrepat,

(1) Cf. De Lugo, *De fide*, disp. 10, sect. 2.— (2) Cf. supra, tract. *De grat.* cap. 1, art. 2, n. 105. — (3) Propos. 21ª damn. ab Innoc. XI, 2 mart. 1679. (4) Supra, n. 140.

quod hæc tantum possibilitatem prudentis fidei, illa obligationem hujusce fidei eliciendæ præterea supponat. — Quæritur itaque, utrum possibilitas et obligatio ita credendi debeat, non utcumque, sed evidenter cognosci? — Huic quæstioni, ex communi Theologorum sententia, respondetur affirmative, cum S. Thoma, qui ita loquitur : *Non enim quis mysteria crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi* (1). Huc spectant hæc verba Ps. XCII : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis;* et hæc Pauli : *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem.... contestante Deo signis et portentis?* Hebr. II. 3. — Quod et ratio omnino confirmat. Etenim ad credendum fide divina mysterium propositum, requiritur, ut prudenter a voluntate imperetur assensus omnino certus et firmus; atqui *talis* assensus nequit prudenter imperari, nisi adsint argumenta irrefragabilia, quibus fiat evidens, illud mysterium prudenter posse credi tanquam a Deo revelatum, et *non nisi imprudenter* posse talem fidem omitti : proindeque adesse tum possibilitatem prudentis fidei eliciendæ, tum obligationem. Ergo possibilitas obligatioque credendi, id est, *credenditas*, debet esse evidens, ad mysterium propositum fide divina credendum. — Verum evidentia illa intelligenda est capacitati credentium proportionata. Pueri enim, rudes, et vulgus fidelium, eamdem quam eruditi habere non debent evidentiam ; sufficere iis potest sola christianorum parentum, vel parochi auctoritas, cum *lumine interno fidei*, quod in illis plerumque credibilitatis motiva supplet. Cæterum evidentiæ, de qua agimus, communiter viam ad animum non aperit, nisi bonus voluntatis affectus ; nam mens haud recte disposita potest clarissima pro obscuris, aut etiam pro falsis, rejicere.

175. Q. 4° *An propositio Ecclesiæ absolute necessaria est, ut catholicæ veritates Fide divina credantur?* — Resp. negative. Ecclesiæ propositio non est conditio ex natura rei requisita ad credendum ; sed sufficit interdum propositio hominis privati, proponentis objectum cum debitis circumstantiis, ut illud reddatur evidenter, ideoque prudenter credibile

(1) 2. 2, q. 1, art. 4 ad. 2.

atque credendum. Regulariter tamen, et juxta communem modum, ut evidentia credenditatis affulgeat, aliqua Ecclesiæ propositio interveniat necesse est (1); atque hoc sensu Augustinus dicit: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas.* Lib. contra epist. fund. cap. 5.

176. Q. 5° *Quid circa naturam actus Fidei inquirendum est?* — R. Naturæ nomine, tum rei essentia, tum proprietates intelligi hic solent. De essentia fidei, hoc est, de ejus objecto materiali, formali, et modo tendendi proprio, supra disputavimus; superest, ut de proprietatibus dicamus. Proprietates actus fidei sunt: libertas, honestas, supernaturalitas, meritum, veritas, certitudo et obscuritas. De tribus ultimis, utpote quæ præcipue explicatione indigent, agemus.

177. Q. 6° *An actus Fidei est necessario verus et certus?* — R. *Ad veritatem* quod attinet: falsitas in fide oriri posset, vel ex objecto formali, propter quod nimirum creditur, non existente; vel ex objecto materiali, non ita se habente ut creditur. Unde duplex quæstio: prima, an res a Deo revelata, eo ipso infallibiliter vera sit? et respondetur affirmative; — secunda, an ad actum fidei supernaturalis sufficiat revelata apparens tantum, et existimata? et respondetur negative (2): talis enim est fidei natura, cui, teste Tridentino, *falsum subesse non possit.* Sess. 6, cap. 9. — *Ad certitudinem* quod attinet, assensus fidei ita certus est, ut necessario omnem dubitationem ac formidinem excludat. Nec certitudini obstat, quod assensus fidei non sit evidens; latius enim patet certitudo quam evidentia. — Certitudo porro fidei duo includit; 1) necessariam cognitionis cum veritate connexionem, qua excluditur falsitas; 2) firmam adhæsionem intellectus, qua excluditur formido. Ad hanc autem adhæsionem requiritur talis objecti propositio, ut cognosci et judicari evidenter possit, assensum aliquo modo cum prudenti dubitatione pugnare (3).

(1) De Lugo, *De fide*, disp. 1, sect. 12. — Cfr Constitut. Vatican. *Dei Filius*, cap. III, circa finem: *Ut officio veram fidem amplectendi satisfacere possemus*, etc.

(2) Cfr De Lugo, ibid. disput. 4. — (3) De Lugo, ibid. disp. 6, sect. 1.

178. Q. 7° *An, et quomodo, assensus Fidei alios quosvis assensus certos certitudine superat?* — R. Etsi fides non ea, qua scientia, claritate et evidentia pollet ; aliunde tamen ita cognitionem naturalem vincit, ut fidei assensus simpliciter omnium certissimus sit existimandus. Assensus enim, etiam naturaliter evidentem, excedit magis firma adhæsione ; excedit necessario cum veritate dogmatis nexu, orto ex nobiliore radice ; excedit demum majori exclusione prudentis formidinis, et majori repugnantia cum illa. — Major autem illa firmitas adhæsionis, non in majori intensione potentiæ, sed potius in majori appretiatione objecti consistit. Sicut, dum ægrotus actu *æque intenso* vult medicinam et sanitatem, *magis* tamen vult sanitatem ; ita, dum quis etiam per actum remissum verbo Dei credit, tali modo fertur ejus assensus in veritatem, ut in actu exercito aliis veritatibus illam præferat, et se ostendat paratum ad omnes alias relinquendas, quæ, si fieri posset, huic veritati contradicerent. Et sicut charitas infusa fertur in Deum, non utcumque, sed adhærendo illi præ cæteris bonis, seu super omnia ; sic etiam fides christiana assentitur Deo, non quidem vi evidentiæ, sed ex imperio voluntatis, firmius adhærendo illi objecto quam aliis omnibus scitis ; quia tanta adhæsione prima Veritas digna est. —Quod si fides non excludit potentiam dubitandi physicam, antecedentem, seu formidinem in actu primo ; ipsam tamen formidinem actualem, et in actu secundo, magis excludit quam evidentia : quatenus ita facit intellectum objecto fidei adhærere, ut facilius de objecto evidenti, si fieri posset, quam de illo formidaret (1).

179. Q. 8° *An, et quomodo, actus Fidei est obscurus?* — R. Fides essentialiter obscura est, et *quasi lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat.* II Petr. I, 19. — Obscuritas autem fidei est defectus, seu carentia evidentiæ. Hæc carentia evidentiæ intelligenda est, vel ratione objecti materialis, vel saltem ratione motivi proprii et objecti formalis, quod non est visio sed testimonium ; ita ut essentialis obscuritas fidei adsit, quatenus assensus præstatur formaliter

(1) Cf De Lugo, ibid. disput. 6, sect. 2, 3.

propter Dei testimonium. Quare Suarez docet (1), obscuritatem fidei consistere posse cum evidentia *in attestante*, dummodo motivum assensus sit testimonium. Testimonium enim, ut testimonium est, non ostendit rem testificatam in se, sed sub auctoritatis velamine latentem. — Est igitur fides eo sensu obscura, quod, licet summam præstet intellectui certitudinem, non tamen præbet evidentiam, nec visionem rerum secundum se ipsas ; sed manet *argumentum nou apparentium*. Heb. XI, 1.

180. Quæres præterea, utrum Fidei obscuritas consistere possit cum evidentia *de re attestata;* sive hæc evidentia ex visione beatifica, sive ex scientia vel visione naturali oriatur? — Respondetur: 1) Fides non stat cum visione beatifica. Si enim visio aut scientia adæquet vel superet certitudinem fidei, objectum fidei, *secundum modum ordinarium*, non potest ab eodem subjecto esse scitum vel visum eodem tempore; quia tunc fides evacuatur et absorbetur clariore lumine, ac redditur inutilis: sicut lux lucernæ inutilis est, dum clare lucet sol meridianus. Ita in cœlis fides evacuatur per visionem Dei, juxta illud I Cor. XIII, 9, 10: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*—2) Quod attinet ad quæstionem : utrum Fides de re quapiam, scientiam seu evidentiam naturalem de eadem re secum patiatur? videtur, cum Suaresio contra Thomistas, affirmative respondendum. Nam *a*) fides motivum formale omnino distinctum et sufficiens habet, majoremque certitudinem affert, quam visio aut scientia naturalis; ergo fides, præsente scientia, non impeditur; sed adhuc utilis ac necessaria esse perseverat. *b*) Incommoda ex contraria opinione sequerentur : admittere deberemus, in B. Virgine et Apostolis non fuisse fidem eorum, quæ de Christo oculis conspexerant, v. gr. de ressurrectione; cum tamen dicatur, Joan. II, 22: *Quum resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus quia hoc dicebat, et crediderunt Scripturæ et sermoni quem dixit Jesus* (2). Similiter sequeretur, philosophum gentilem, qui Deum esse evidenter novit,

(1) Tom. XI, tract. 1, disp. 3, sect. 7, 8.
(2) Cfr Joan. XX, 29.

si ad fidem convertatur, veritatem hanc non posse credere; cum tamen Apostolus dicat: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est*, Hebr. XI; et quidem credendum *quia est*, etiam ut auctor naturæ : sicut patet ex Symbolo : *Credo in Deum... creatorem cœli et terræ.*

181. Q. 9° *In quid ultimo resolvitur actus Fidei?*— R. Analysis hæc, quæ vocatur *ultimum resolutivum fidei*, est reductio fidei ad rationem motivam, in qua credens ultimato conquiescat, et ex quæ sciens et prudens rationem de fide sua possit reddere, juxta illud I Pet. III, 15 : *Parati semper ad satisfaciendum omni poscenti vos rationem, de ea, quæ in vobis est, spe.* — Tota hic difficultas in eo sita est, ut roganti quare credamus, sine petitione principii et circulo vitioso ita respondeatur, ut prudenter, dubitari non possit, quin actus credendi sit et prudentissimus et certissimus. — Quoniam vero in fidei negotio plures actus interveniunt, illa interrogatio : cur credis ? æquivoca est. Intelligi enim potest de fide, secundum hunc vel illum actum, hoc vel illo modo accepta. Sensus quæstionis esse potest : quare huic mysterio *assentiris,* illudque certum esse affirmas ? et sic fides sumitur prout est in intellectu, seu *intellective;*—vel : quare *vis* credere ? aut, cur *imperas* hunc assensum certissimum ? et sic fides accipitur prout in voluntate est, seu *affective;*—vel : quare *judicas* hoc mysterium esse credibile, atque credendum, ut a Deo revelatum ? et sic fides accipitur, prout est in dispositionibus nostris ad illam, seu *dispositive.*

182. Jam vero, fides *intellective* sumpta, resolvitur in divinam auctoritatem et locutionem ; et hoc suggerit priori quæstioni responsum : *Credo hoc mysterium, quia Deus summa veritas illud revelavit.* Hæc ultima, sufficiens et adæquata responsio est. — Si alio sensu quæratur : cur credis *affective*, seu cur vis elicere hunc actum ? responsio est : *Quia actus fidei honestissimus est, et a Deo præscriptus.*—Si demum quæratur : cur credis *dispositive?* seu, quare judicas, et undenam nosti, hoc mysterium esse prudenter credibile atque credendum ut revelatum ? responsio erit : *Credo propter credibilitatis motiva.*—Si quis autem, uti rudioribus accidit, respondeat : *Propter auctoritatem Ecclesiæ, parochi, parentum meorum....*

id credo; nihil aliud his verbis indicat, nisi Ecclesiæ auctoritatem humanam, vel quamcumque aliam quæ in illam resolvitur, esse ipsi loco motivi credibilitatis. Dixi: auctoritatem Ecclesiæ *humanam;* si enim intelligeretur Ecclesiæ divina auctoritas, quæstio non solveretur, sed rediret, aut soluta præsupponeretur. — Porro *humana auctoritate* Ecclesia pollet, quatenus secundum se consideratur, seu, ut est congregatio hominum, unam rerum divinarum doctrinam perpetua traditione profitentium; in qua plurimi fuere viri, sanctitate, sapientia et miraculis clari; in qua plurimi martyres, etc.

183. Ex his postremo loco notatis apparet, non fieri circulum vitiosum ab iis qui dicunt, revelationem propter auctoritatem Ecclesiæ; et rursus, auctoritatem Ecclesiæ propter revelationem se credere; quandoquidem diversa acceptione Ecclesiæ auctoritatem intelligunt: primo loco, prout humana est; secundo, prout divina.

184. Q. 10. *Qualis Fidei actus necessarius est, necessitate medii, ad justificationem et salutem?* — R. Quæstio non jam est de fide objectiva, seu de articulis qui sunt de necessitate medii; sed de fide subjectiva, seu de qualitate actus requisiti. — Ad quæstionem itaque respondetur: non sufficit fides naturalis, neque virtualis, neque imperfecta, sed requiritur supernaturalis, formalis et perfecta.

185. *Naturalis* fides foret illa, quæ naturæ viribus absque gratiæ concursu eliceretur: hæc, ut patet, insufficiens est, cum nullus actus sine gratia elicitus, sit salutaris.—*Virtualis* fides esset, quæ tantum in voto seu desiderio credendi existeret, et etiam *inchoata* vocari posset. Ne ista quidem ad justificationem sufficit, cum Scriptura requirat actum formalem: *Qui crediderit, salvus erit.* Marc. ult.—*Fides ex auditu.* Rom. X, 17.— Fides *imperfecta* est, cum quis articulos revelatos nonnullos quidem credit, alios vero culpabiliter rejicit: sive dicat eos non esse revelatos, cum tamen revelatos esse satis constet; sive dicat non esse ex obligatione credendos, quia forte fundamentales non videntur: cum tamen de obligatione dubitari prudenter nequeat. Hujusmodi fides sigillum auctoritatis divinæ, articulis propositis quodammodo

impressum, respuit atque contemnit. Quare rationem non habet fidei theologicæ, cum de hujus essentia sit, auctoritati divinæ adhærere *super omnia*, ita ut eam *ubique omnibus aliis momentis præferamus*; neque sufficit ad salutem, cum requiratur fides vere theologica, fides illa perfecta, quæ credit *ex toto corde*. Act. VIII. 37 (1).

ARTICULUS III.

DE SPE.

186. Disputatio de virtute Spei, tum circa hujus virtutis naturam, tum circa ejus actum versatur. Hinc duæ sectiones:

Sectio I, *de natura Spei.*
Sectio II, *de actu Spei.*

SECTIO I.

DE NATURA SPEI.

187. Ad Spei naturam introspiciendam, ejusdem notionem, subjectum, objectum tam formale quam materiale perpendemus. Unde

QUÆSTIONES.

1° *Quid est Spes?* — 2° *Quodnam est subjectum Spei?* — 3° *Quodnam est objectum Spei materiale?* — 4° *Quodnam est objectum Spei formale?*

188. QUÆR. 1° *Quid est Spes?* — R. *Spes*, in genere sumpta, definiri potest (2): *Desiderium efficax boni futuri, ardui, possibilis adipisci.*

189. In specie, *spes theologica*, ut *actus*, est *desiderium efficax et fiduciale, boni ardui, ut a Deo obtinendi* (3). — Dicitur: *desiderium boni*, ut denotetur aliquis amor, qui in spe essentialiter continetur, — et *amor spei*, vel castæ concupiscentiæ nuncupatur. — *Ut a Deo obtinendi:* quo ratio actus theologici designetur, juxta S. Thomam dicentem (4): *In quantum speramus aliquid, ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cujus auxilio innititur.*

(1) Cf. Theol. Wirceb. *De actu fidei*, cap. 3, n. 220 seqq. — Cfr Constitut. Vatic. *Dei Filius*, cap III.
(2) Cfr S. Thom. 1, 2, q. 40, a. 2. — (3) Cf. Wirceb. Theol. *De Spe*, cap. I.
(4) 2. 2, q. 17, a. 1.

190. Spes theologica, considerata ut *habitus*, est ***virtus per se infusa, disponens et elevans potentiam ad actus spei supernaturales.***

191. Q. 2° *Quodnam est subjectum Spei?* — R. Subjectum ***proximum*** est voluntas, cum objectum spei sit bonum; ***remotum***, persona, quæ virtute spei prædita est. Hujusmodi non sunt Beati, nec damnati; sed animæ purgantes, et homines viatores ii, qui spem receptam conservant.

192. Q. 3° *Quodnam est objectum Spei materiale?* — R. ***Primarium*** est Deus, ut summum nostrum bonum, ejusque beata possessio; *secundarium*, quidquid ad illam possessionem conducit.

193. Est autem Deus objectum primarium spei, non tantum ut objectum beatitudinis est, seu ut potens nos beare; sed etiam ut pertinet ad formalem beatitudinem nostram, seu ut actu nos beaturus, communicando nobis semetipsum possidendum, per visionem intuitivam et amorem fruitivum. Objectum primarium spei itaque est complexio beatitudinis nostræ, tum objectivæ tum formalis; et enuntiari potest: *Deus a nobis beate possidendus.* — Objectum secundarium constituunt bona supernaturalia omnia, beatitudini subordinata; imo etiam bona naturalia et temporalia, quoad hæc ad consequendam beatitudinem nostram aliqua ratione conferunt.

194. Dicitur ad beatitudinem ***nostram*** : controversum namque est inter auctores, num et aliena beatitudo formalis possit esse objectum materiale spei theologicæ. Communior et probabilior sententia negat; nisi aliena beatitudo intendatur ut ad propriam sperantis beatitudinem conducens (1). Ratio est, quia spes theologica est actus, quo quis concupiscit bonitatem divinam respectivam, *ut sibi* concupiscenti bonam; in hypothesi autem facta, homo non concupisceret beatitudinem ut *sibi*, sed ut *alteri* bonam; ergo desiderium ejusmodi ad amorem benevolentiæ vel amicitiæ, non autem ad spem theologicam pertineret.

195. Q. 4° *Quodnam est objectum Spei formale?* — R. Est Deus ut nobis summe bonus, et simul auxiliator omnipo-

(1) Cfr S. Thom. p. 3, q. 7, a. 4 ad 2.

tens, atque ad subveniendum paratissimus. — Sunt, qui objectum formale simplex, nimirum, vel arduitatem objecti sperati, vel bonitatem Dei respectivam, vel ejus misericordiam aut omnipotentiam statuant. Alii autem probabilius docent, illud esse complexum, eo quod actus spei complexus sit. Hic enim formaliter vel æquivalenter triplex est: *amoris, conatus, fiduciæ*. Nam cum objectum sperandum debeat habere rationem *boni absentis, ardui, possibilis;* his rationibus in actu spei respondent *amor* et *desiderium ;* erectio animi, seu efficacia volitionis, voluntatisque *conatus; fiducia* seu animi alacritas, quæ sit conjuncta cum certitudine aut saltem quiete, atque inordinatum timorem excludat difficultatis non superandæ, et desiderati boni non consequendi.

196. Ex his porro tria posteriora actui spei essentialia sunt; *amor* autem, vel præsupponitur, vel in desiderio tanquam genus in specie, continetur. Itaque, cum actus spei saltem æquivalenter triplex sit, tres quoque diversas rationes formales potest ac debet habere. Prout ergo spes dicit formalitatem *desiderii*, ejus objectum formale est *bonitas Dei respectiva;* prout dicit formalitatem *erectionis animi* seu *conatus*, est *virtus Dei auxiliatrix*, seu omnipotens misericordia; prout dicit formalitatem *fiduciæ*, est *fidelitas Dei in promissis*, seu omnipotens misericordia per promissionem obligata (1).

SECTIO II.

DE ACTU SPEI.

QUÆSTIONES.

1° *Quænam circa actum Spei quæri possunt ?* — 2° *Quænam Fides prærequiritur ?* — 3° *Quænam est Spei certitudo seu firmitas ?* — 4° *An actus Spei est bonus et honestus ?* — 5° *An datur Spei præceptum ?*

197. QUÆR. 1° *Quænam circa actum Spei quæri possunt?* — R. In actu spei considerari possunt *prærequisita, proprietas, qualitates*. Prærequisitum est *fides* supernaturalis circa duplicem Dei promissionem; *proprietas* est *certitudo*, quæ ex parte

(1) Cf. Wirceb. Theol. *De Spe*, cap. 1, art. 3.

nostra timorem non excludit; *qualitates* sunt *honestas* et *necessitas*. De his quatuor, quæstiones institui solent.

198. Q. 2° *Quænam Fides prærequiritur?*—R. Fides requiritur circa duplicem Dei promissionem, alteram *absolutam*, de auxiliis supernaturalibus saltem sufficientibus suppeditandis; alteram *conditionatam*, de beatitudine adultis conferenda, si nempe hi serio et efficaciter auxiliis ejusmodi cooperentur.

199. Q. 3° *Quænam est Spei certitudo seu firmitas?*—R. Certitudo alia est *infallibilitatis*, alia *firmitatis*. *Certitudo*, inquit S. Thomas (1), *invenitur in aliquo dupliciter, scilicet essentialiter et participative: essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem, in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum*. Itaque certitudo *infallibilitatis* non invenitur nisi in intellectu; *firmitatis* vero etiam in voluntate inveniri potest: et hæc est spei certitudo, quæ etiam *infrustrabilitas* vocari posset. Hæc excludit *timorem* et fluctuationem a voluntate, sicut certitudo infallibilitatis excludit *dubium* et fluctuationem ab intellectu.

200. Jam vero ad quæsitum respondetur: actus spei est omnino certus et firmus; quæ tamen certitudo ac firmitas timorem ex parte nostra minime excludit. — Dicitur *ex parte nostra;* quia licet Dei promissiones firmissimæ sint, tamen simul sunt conditionatæ: conditio autem pendet a nobis, qui valde labiles sumus. Quare spes, licet firmissima ex parte Dei, timorem compatitur respectu nostri; ac propterea ab Apostolo per symbolum auchoræ significatur, quæ, licet ipsa sit immobilis, non tamen omnem naviculæ fluctuationem impedit: *Per duas res immobiles*, ait, *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis*. Hebr. VI, 19.

201. Q. 4° *An actus Spei est bonus et honestus?*—R. Spei toties commendatæ in Scriptura tam evidens est honestas, ut quæstio prorsus otiosa foret, nisi novatores tam splendidæ veritati tenebras offundere tentassent. Calvinus enim, *Institut*, l. 3, c. 16, negat, operandum esse mercedis intuitu. Item

(1) 2. 2, q. 18, a. 4.

Baius, prop. 38, amorem concupiscentiæ, sive spei, reprobat. At hæc propositio a S. Pio V merito damnata est; ut etiam ista ab Alexandro VIII: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.* Prop. 13ª inter 31 damn. 7 Dec. 1690.

202. Abhorrent novatores ab amore illo, qui in spe includitur, et *amor castæ concupiscentiæ* vocatur. Amor *concupiscentiæ* est, eo quod spes versetur circa Deum ut concupiscibile bonum; at concupiscentiæ *castæ*, quia amor ille nihil nisi honestum et ordinatum habet.

203. Q. 5° *An datur Spei præceptum?*—R. Spei præceptum ac necessitatem negarunt, sæculo XVII, novi mystici, a falsa quiete ac indifferentia animæ dicti *Quietistæ;* qui certum perfectionis statum confinxerunt, ubi spes locum habere nec possit nec debeat. Hæc doctrina, cujus auctor exstitit Michael Molinos, presbyter hispanus, ab Innoc. XI (1687) damnata est.

204. Porro, ut quæstioni propositæ respondeamus: datur præceptum spei, qua firmissime, et super omnia spei repugnantia, beatitudinem æternam prosequamur; quamvis interea de ejus consecutione salutaris timor a nobis postuletur. — Illud enim debemus sperare, quod debemus a Deo petere; atqui debemus petere a Deo beatitudinem et gaudia æterna; ergo eadem sperare debemus. Quod et expresse multis in locis Scriptura testatur: *Quæ domus* (Dei) *sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Hebr. III, 6. — *In fide fundati, et stabiles, et immobiles, a spe Evangelii.* Col, I, 23. — *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Phil. II, 12. — *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri; spe enim salvi facti sumus... Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Rom. VIII, 23. Cfr. S. Bern. *De dilig. Deo*, cap. 15.

205. Unde merito hanc propositionem (1) damnavit Innotius XII: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque*

(1) 1ᵃᵐ inter 23 Episcopi Camerac. damn. 12 mart. 1699.

timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam. — Ex qua propositione damnata sequitur, statum amoris puri, in quo actus spei theologicæ locum non habeat, in præsenti vita nequaquam dari. Cujus rei ratio facile percipitur. Quamdiu enim vivimus, tentationes premunt, corpus aggravat animam, caro concupiscit adversus spiritum; ergo scuto fidei opus est, et galea spei salutis, quam sequitur timor ne vincamur; donec tandem victoriæ palmam securi teneamus.

206. *Objiciunt Quietistæ.* Spes imperfecta res est, Charitas autem perfecta virtus; quare hanc sectari et in ea manere debemus. Joan. XV, 9; I Cor. XIV, 1. — Porro, qui manet in charitate, non potest manere in spe; quia charitate spes excluditur. — R. *Dist. maj.* Imperfecta est, *negative:* hoc est minus perfecta quam charitas, *conc.;* imperfecta est *positive*, seu *vitiosa*, *neg.*—Deinde, debemus in charitate manere, i. e. in habitu charitatis, *concedo;* in actu, *dist.* : in actu, aliquoties, aut etiam frequenter eliciendo, *conc.;* in actu continuo, seu statu, et quasi spiratione continua charitatis, *neg.* Hujusmodi status, ut dictum est, non datur in hac vita; et etiamsi daretur non ideo excluderet spem, ut clarius patebit infra (1), expositis iis, quæ pertinent ad virtutem charitatis.

ARTICULUS IV.

DE CHARITATE.

207. Tertia virtus theologica est Charitas, quæ virtutum divinarum divinissima vocari potest, secundum illud Apostoli, I Cor, XIII. 13: *Major horum est charitas.* De qua iterum Apostolus: *Æmulamini charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro... Sectamini charitatem... Super omnia... charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (2).

(1) Cf. infra, art. 4, sect. 4, n. 293.
(2) I Cor. XII, 31; XIV, 1; Coloss. III, 14.

Stopped here for the first examination which took place Tuesday Jun. 25 1876. for written — in Dogma.

208. Quatuor sunt præsentis disputationis sectiones:

Sectio I, *de notione Charitatis.*
Sectio II, *de ejus objecto.*
Sectio III, *de ejus subjecto.*
Sectio IV, *de ejus actu.*

SECTIO I.

DE NOTIONE CHARITATIS.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est Charitas?* — 2° *Quid est amor?* — 3° *Quomodo amor dividitur?* — 4° *Quænam sunt causæ, quæ remedia, et qui effectus amoris?* — 5° *Quid est Charitas theologica?* — 6° *Quomodo distinguuntur hæc tria: amor, dilectio, charitas?* — 7° *Quomodo Charitas dividitur?* — 8° *Quid est Charitas perfecta et imperfecta?* — 9° *An Charitas est vera amicitia hominis cum Deo?* — 10° *Estne Charitas aliquid creatum in anima?*

209. QUÆR. 1° *Quid est Charitas?*—R. *Charitas*, vi vocis, est amor quidam specialis et perfectior, cujus objectum est *res chara*, seu quæ magni pretii æstimatur. — Quod si acceptionem vocis spectemus, charitas generatim varie accipitur. Et primo quidem, *apud profanos scriptores*, sumitur pro affectu erga liberos, parentes, vel patriam. — Secundo, *apud scriptores ecclesiasticos*, sumitur, vel sensu lato, vel sensu scripturistico. Sensu lato adhibetur ex. gr. ab Augustino, pro quacumque bona voluntate, etiam pro amore creaturarum, tantum naturaliter honesto. — Tertio, *sensus scripturisticus* vocis charitatis est varius: accipitur enim, 1) pro familiaritate et amicitia naturali, ut II Machab. XIV, 26: *Videns charitatem illorum ad invicem.* — 2) Pro amore essentiali et increato, ut I Joan. IV, 8: *Deus charitas est.* — 3) Pro amore personali, seu Spiritu S., ut in hymno: *Fons vivus, ignis, charitas....* —4) Pro ipso actu dilectionis, quo Deus nos diligit, ut Jerem. XXXI, 3: *In charitate perpetua dilexi te.* — 5) Pro amore hominis erga Deum, et erga proximum propter Deum, ut I Joan. IV, 10 seqq.: *In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.... Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos... Et hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat et fra-*

trem suum... Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. Hoc ultimo sensu charitatem spectare debemus, scilicet quatenus est amor erga Deum et proximum.

210. Q. 2° *Quid est amor?* — R. Amor universim describi potest : *motus appetitivæ potentiæ in bonum* (1).

211. Dicitur *motus appetitivæ potentiæ:* ut indicetur subjectum amoris, qui est appetitus, sive naturalis, ut in rebus cognitione carentibus; sive sensitivus, qui hominibus communis est cum brutis; sive rationalis, vel intellectivus, i. e. voluntas, qui proprius est Deo, angelis et hominibus.

212. Dicitur *motus in bonum :* ut indicetur objectum, quod est bonum solum. — Bonum est *id quod omnia appetunt:* et distinguitur triplex : *honestum*, quod est per se appetibile: *utile,* quod est appetibile propter aliud, tanquam medium propter finem; *delectabile*, quod est appetibile ut afferens quietem quamdam seu suavitatem appetitui. — Quod si consideretur bonum *respectu hominis*, dividitur etiam in bonum rectæ rationi consentaneum, quod et *honestum* antonomastice, *morale* ac *verum bonum* appellatur ; sive id propter se, sive propter aliud, sive propter delectationem licitam appetatur; et in bonum cum recta ratione pugnans, quod et *turpe*, *apparens* ac *falsum* vocatur.

213. Diximus, objectum amoris esse *bonum solum.* Non enim obstat, quod non tantum *bonum*, sed etiam *pulchrum* dicatur *amabile;* nam, ut S. Thomas ait, *pulchrum est idem bono*, *sola ratione differens.* Pulchrum quippe nihil est nisi ipsum bonum, quatenus dicit ordinem ad vires cognoscitivas: unde dicimus pulchra intelligibilia, pulchra visibilia, pulchros sonos; non vero pulchros sapores aut odores; *ita quod* BONUM *dicatur id*, *quod simpliciter complacet appetitui*: PULCHRUM *autem dicatur id*, *cujus ipsa apprehensio placet* (2).

214. *Nota.* Amor universim sumptus, non est confundendus cum amore sumpto pro actu speciali : pro actu nempe primo in appetitionum serie, seu periodo, quæ initium habet, progressum et terminum. Terminus autem in ipsum initium recidit; unde effatum : *Appetitivus motus circulo agitur.* —

(1) Cf. S. Thom. 1, 2, q. 26, art. 1 ; et q. 25, a. 2. — (2) 1, 2, q. 27, a. 1.

Appetibile enim movet appetitum, et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum; ut sit ibi finis motus, ubi fuit principium. Jam vero prima immutatio appetitus ab appetibili vocatur AMOR, *qui nihil est aliud quam complacentia appetibilis; et ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est* DESIDERIUM, *et ultimo quies, quæ est* GAUDIUM (1).

215. Q. 3° *Quomodo amor dividitur?* — R. Dividitur præcipue dupliciter: 1) in amorem naturalem, animalem, rationalem; 2) in amorem concupiscentiæ et amorem amicitiæ seu benevolentiæ.

216. Amor *naturalis*, qui valde improprie amor dicitur, est indita ab auctore naturæ entibus tendentia in id, quod illis convenit. Sic tendentia corporis gravis ad centrum æquilibrii sui (2), sic animalium instinctus, sic hominis tendentia ad bonum in genere, amor naturalis appellari possunt.

217. Amor *animalis* est motus appetitus sensitivi in bonum vel pulchrum sensibile.

218. Amor *rationalis*, vel intellectivus, ille est, qui sedem habet in appetitu intellectivo seu voluntate: hic amor per se non est sensibilis; potest tamen in partem sensitivam redundare. — Aliquando etiam amor intellectivus vocatur *speciali sensu rationalis*, i. e. rationi conformis; cum nempe objectum, in quod tendit, est bonum rationale seu honestum.

219. Amor *concupiscentiæ* ille est, quo aliquid amamus propter bonum nostrum: ut cum pauper divitem propter eleemosynam amat. Vocatur quoque amor *mercenarius* (*amour intéressé*).

220. Amor *amicitiæ vel benevolentiæ* ille est, quo aliquam personam amamus propter ipsius bonum, et ut ei bene sit. Vocatur quoque amor *gratuitus* (*amour désintéressé*).— Porro amor *amicitiæ* dici solet. quia veræ amicitiæ fundamentum est.

221. Differentia inter amorem concupiscentiæ et amorem amicitæ, oritur ex differenti modo apprehendendi objectum. Amor scilicet concupiscentiæ objectum apprehendit

(1) 1. 2, q. 26, a. 2.—(2) *Amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur.* Aug. De civit. l. 2, c. 28.

ut aliquid sui : *Cum aliquis amat aliquid quasi concupiscens illud, apprehendit illud quasi pertinens ad suum bene esse. Similiter, cum aliquis amat aliquem amore amicitiæ, vult ei bonum sicut et sibi vult bonum; unde apprehendit eum ut alterum se; et inde est quod amicus dicitur* ALTER IPSE ; *et Augustinus dicit in* 4 *Confess. c.* 6 *: Bene quidam dixit de amico suo*, DIMIDIUM ANIMÆ MEÆ (1).

222. Q. 4° *Quænam sunt amoris causæ, quæ remedia, qui effectus?* — R. 1° Causæ amoris sunt potissimum tres. *Prima* et præcipua est ipsa rei bonitas, per cognitionem percepta ; bonitatis nomine etiam intelligendo rei pulchritudinem. Etenim, ut Dionysius ait: *Pulchrum ac bonum omnibus est desiderabile et amabile ac diligibile.* De div. nom. c. 4. Quo porro melius bonitas cognoscitur atque percipitur, eo magis amor excitatur : potentiæ namque appetitivæ sequuntur apprehensivas.

223. *Secunda causa amoris* est ex parte amantis : nimirum similitudo, sive convenientia ejus aliqua cum re amata, qua fit, ut amans in rem illam tanquam in seipsum inclinetur. Hinc illud Eccli. XIII : *Omne animal diligit simile sibi: sic omnis homo proximum suum.*—Quæ tamen causa, *per se* conducens ad amorem, *per accidens* interdum invidiam parit ; quare Prov. XIII, legitur : *Inter superbos semper sunt jurgia.*

224. *Tertia causa*, ad quam plurimæ revocantur, censeri potest ipsemet amor. Nam amor unius rei procreat amorem alterius, quæ cum illa connexionem aliquam habeat. Huc spectat, quod dici solet, beneficentia conciliari amorem : quia scilicet amor beneficii accepti, ad amandum benefactorem excitat. Quinimo amor alterius amorem mutuum parit. Vere enim Seneca, epist. 9 : *Monstrabo*, inquit, *tibi amatorium sine medicamento, sine ullius veneficæ carmine :* SI VIS AMARI, AMA. Cui consonat illud Martialis ad Marcum : *Hoc non fit verbis, Marce :* UT AMERIS, AMA.—Quod ipse Spiritus S. indicat, I Joan. IV : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.*— Est autem duplex ratio, cur is qui alterum amat, ab hoc vicissim facile ametur : 1) quia vel maxime etiam ipse amor est quiddam amabile, quod proinde amantem reddit

(1) S. Thom. 1, 2, q. 28, art. 1.

amabilem ; 2) quia unit quodammodo amantem amato, atque adeo efficit, ut bonum amantis sit quodammodo amati, ideoque ut ab amato diligatur.

225. His addi potest *quarta amoris causa* : nimirum vitæ sanctitas, et erga Deum pietas, juxta illud Tob. I, 13 : *Quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis ; et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.*

226.—2° Præter intellectivum seu rationalem amorem inter homines, existit quoque ut comes ejus vel pedisequus, imo sæpissime ut dominans tyrannus, amor sensitivus, qui facillime in passionem, et quidem vehementissiman atque efficacissimam desinit. *Fortis ut mors dilectio*, Cant. VIII ; et poeta canit : *Quis enim modus adsit amori?* — Quapropter, si perversus et inordinatus fuerit amor, innumera mala affert, et ideo opportunis remediis reprimendus. — *Remedia* autem sunt contraria causis, ad amorem incitantibus. 1) Cogitationem atque adeo etiam sensus avertere ab objecto prave alliciente (1). — 2) Proderit *quandoque* ea mala disquirere et ponderare, quæ in re amata sub fallaci specie latent.— 3) Incommoda etiam perpendenda sunt, quæ affert homini perversus amor.—4) Occupanda mens aliis in rebus est, desidiaque vitanda. Nam merito Diogenes (2) dicebat, *amorem esse otiosorum negotium.* — 5) Ad alia, quæ vere amabilia sunt, convertendus est amor ; et imprimis ad Deum, qui ut summe bonus est, ita summe est amabilis.

227. — 3° Amoris *effectus* sunt præcipue sex sequentes : unio, mutua inhæsio, extasis, zelus, perfectio amantis, beneficentia. 1) *Unio :* est enim amor virtus *unitiva*, amantem cum amato, re vel affectu, conjungens. Unde Augustinus, de Trinit. 8, c. 10, ait : *Amor est quasi junctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens.* — Hinc amantes simul conversari delectantur, simul colloqui, et in aliis hujusmodi conjungi.

228. 2) *Mutua inhæsio*, secundum illud I Joan. IV, 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*—Inhæret scilicet amans amato, tum mente, per cogitationem et cognitionem intimam ; tum corde, per affectum et voluntatem,

(1) Cf. Gen. III, 6.—(2) Apud. Laërt. lib. 6.

in quantum reputat bona vel mala amici sicut sua, et voluntatem amici sicut suam; ut quasi ipse in suo amico videatur bona vel mala pati, et affici. Et propter hoc, proprium est amicorum EADEM VELLE, ET IN EODEM TRISTARI ET GAUDERE (1). Hinc illud Tullii: *Amicorum est, idem velle et nolle.*

229. 3) *Extasis:* etenim amor quodammodo rapit amantem extra seipsum, sive secundum mentem, sive secundum affectum cordis: unde illa amantis exclamatio: *Tenear amore, vadens supra me, præ nimio fervore et stupore* (2).

230. 4) *Zelus* provenit ex intenso amore: est enim quidam vehemens appetitus removendi ea, quæ amori et rei amatæ contraria sunt. Unde in illud Joan. II, 17: *Zelus domus tuæ comedit me*, dicit Augustinus: *Bono zelo comeditur, qui quælibet prava quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat et gemit*. Tract. 10 in Joan.

231. 5) *Perfectio amantis:* dummodo illud amet, quod vere bonum est; unde et hoc effatum: *Si terram diligis, terra es; si Deum,* (*prope dixerim*) *Deus es.*

232. 6) *Beneficentia*, qui effectus amoris benevolentiæ proprius est. Etenim amor benevolentiæ bonum vult, adeoque *bonum* amato *facit*. Amoris porro beneficentia varios admittit gradus, prout amans amato bona externa, vel obsequia ac labores præstat, vel etiam dolorum perpessiones, imo ipsam mortem ejus causa suscipit; qui summus est amoris effectus, secundum illud: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Joan XV, 13. — His amoris effectibus addi possunt quædam aliæ animi affectiones ut *languor*, *liquefactio*, *fervor* (3).

233. Q. 5° *Quid est Charitas theologica?* — R. 1) Describi potest: *Virtus divinitus infusa, qua nosmetipsos ex animo tradimus Deo tanquam summo Bono, ut per impletionem voluntatis ejus ipsi placeamus, et ad unionem cum ipso perveniamus* (4). Qua descriptione duo continentur: substantia actus charitatis et ejus terminus. Terminus est unio cum Deo: nam, ut Suarez ait (5), *objectum benevolentiæ, quamvis propter se amatum,*

(1) 1, 2, q. 28, a. 2. — (2) Cf. *De Imit. Christi*, l. 3, cap. 5. — Phil. II, 7,
(3) Cf. Valentia, t. 2, disp. 3, q. 2. — (4) De Harbe, *Die Liebe Gottes*, c. 1.
(5) Tom. XI, *De charit.* disp. 1, sect. 2, n. 6.

ita tamen amatur charitate, ut simul appetatur conjunctio et unio cum tali objecto. Actus substantia est amorosa sui traditio Deo, quæ ipsa quoque *unio* vocatur. *Ad charitatem pertinet*, ait S. Thomas, *quod homo tradat seipsum Deo, adhærendo ei per quamdam spiritus unionem* (1), i. e. per affectum et voluntatem, *ut scilicet homo non sibi vivat, sed Deo* (2). Sanctus vero Bonaventura: *Quid est,* inquit, *charitas? Vita copulans amantem cum amato* (3).

234. 2) Charitas, considerata ut habitus, definiri potest: *Virtus per se infusa, voluntatem ad actus charitatis eliciendos disponens et elevans.*—Considerata ut actus: *Amor, quo Deum propter se et proximum propter Deum diligimus;* vel etiam: *Amor benevolentiæ, quo Deum diligimus super omnia, et proximum sicut nos ipsos propter Deum.* Quæ definitio continet objectum materiale, tum primarium, tum secundarium; item objectum formale, quo præcipue charitas ab amore spei distinguitur; demum gradum proprium veræ charitatis, ut scilicet Deus ametur super omnia.

235. R. 6° *Quomodo distinguuntur hæc tria: amor, dilectio, charitas?* (4). — R. Amor latius patet quam dilectio, et dilectio latius quam charitas. — *Amor* accipitur in bonam et malam partem, etiam pro amore appetitus sensitivi; *dilectio* plerumque pro amore honesto appetitus rationalis, eoque benevolo; *charitas* tantum in bonam partem usurpatur, et est amor quidam excellentior, in justa æstimatione fundatus.

236. Q. 7° *Quomodo Charitas dividitur?* — R. Dividitur 1) in *habitualem* et *actualem.* 2) Ratione objecti, in charitatem *Dei* et charitatem *proximi.* 3) Ratione triplicis sui gradus dicitur *incipiens*, *proficiens* et *perfecta* (5).—4) Ratione status, in charitatem *viæ* et *patriæ.* 5) Ratione ejus perfectionis essentialis, in charitatem *perfectam* et *imperfectam.*

237. Q. 8° *Quid est Charitas perfecta, et imperfecta?*—R. Nomine charitatis *perfectæ*, hic intelligitur charitas vera ac *proprie dicta,* quæ per se justificat; *imperfecta* vero et *improprie dicta*, est ea, quæ per se ad justificationem dispositio

(1) 2. 2, q. 82, art. 2 ad 1.— (2) Ibid. q. 17, art. 6 ad 2.
(3) *Comp. theol. veritat.* l. 5, c. 23.
(4) Cf. S. Thom. 1, 2, p. 27, a. 2.— (5) Infra, n. 270 seqq.

sufficiens non est. — Jam vero, in assignanda ratione perfectæ et imperfectæ charitatis, magnæ exstiterunt inter TT. disputationes (1). Secundum sententiam communem ac tenendam, charitas *imperfecta* ea est, quæ Deum quidem propter se et gratuito, sed *non super omnia* diligit; *perfecta* vero ea, quæ Deum diligit propter se *super omnia*, ita tamen, ut dilectio *non* requiratur super omnia, sive summa, *intensive*, sed sufficiat summa *appretiative*, quæcumque sit ejus intensio (2); quo spectat illud I Joan. II, 5: *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est.*

238. Porro, in hac perfecta charitate, triplex distinguitur gradus: primus, cum Deus propter se diligitur super omnia *graviter ipsi displicentia*. Hic gradus, cum excludat omnem erga peccatum mortale affectum, omnino ad salutem requiritur et sufficit. — Secundus est, cum Deus diligitur super omnia, *etiam leviter displicentia:* seu cum homo ita animo est comparatus, ut potius carere velit quolibet bono, vel quodlibet malum pati, quam Deum leviter offendere. Hic gradus ad perfectionem christianam necessarius est. — Tertius est, cum Deus diligitur super omnia, non tantum leviter displicentia, sed etiam *minus grata aut accepta;* ita ut homo, quod judicat esse acceptabilius Deo, illud ex charitate eligat. Hic gradus est summus, gradus meræ perfectionis, ad quam nullum præceptum obligat, sed consilium Domini, ejusque specialis gratia suaviter invitat atque allicit.

239. Q. 9° *An Charitas est vera amicitia hominis cum Deo?* — Resp. affirmative. Cujus responsi demonstratio ex ipsa ratione veræ amicitiæ est petenda. Ut autem penitus amicitiæ ratio intelligatur, quædam sunt prænotanda.

240. — 1° Amicitia mere naturalis, probabilius non est per se aliqua peculiaris virtus; sed, cum laudabilis existit inter bonos, est quiddam conjunctum cum aliis virtutibus, et quasi illarum accidens.

241. — 2° Amicitiæ nomen usurpatur, modo pro relatione inter amicos significanda, modo pro fundamento hujus re-

(1) Supra, *De pœnit.* cap. 2, art. 2, n. 152 seqq.
(2) Cf. supra, n. 88.

lationis, quod est certus quidam amor mutuus, præsertim habitualis. Secundo sensu in hac quæstione adhibetur.

242. — 3° Quatuor sunt conditiones veræ amicitiæ. 1) Ut sit amor, non concupiscentiæ, sed *benevolentiæ*. Hinc etiam sequitur, veram amicitiam constantem esse. Sicut enim amicitia improprie dicta, *utilis* scilicet et *delectabilis*, facillime solet dissolvi, quia multis modis potest accidens illud, i. e. voluptas vel utilitas, mutari : ita e contra, amicitia illa, qua amicus secundum se, aut etiam propter virtutes, amore benevolentiæ diligitur, non facile mutatur. 2) Secunda conditio est, ut sit amor mutuus, sive, ut sit cum redamatione et quidem utrinque, ex electione quadam, i. e. certa cum ratione atque judicio. Ob defectum namque hujus conditionis, non dicimur habere amicitiam erga bruta, ac multo minus erga res inanimes. Hæc secunda conditio importat etiam æqualitatem inter amicos, saltem secundum proportionem quamdam; ut scilicet amicus amico vicem, eum redamando, possit rependere. 3) Tertia conditio est, ut mutuus hic amor nitatur aliqua bonorum inter amicos communione : nempe aut communione sanguinis, ut inter consanguineos ; vel ejusdem instituti sive officii, ut inter commilitones ; vel virtutis, ut inter probos, etc. 4) Quarta conditio est, ut hic amor mutuus non lateat ipsos amicos, sed aliquibus officiis vel signis utrique illorum sit cognitus : *Amicitia est redamatio non latens*. Aristot. l. 3 Ethic. c. 2.

243. His præmissis, PROB. ASSERTUM. Ille amor habitualis est vera amicitia, cui conveniunt omnes amicitiæ conditiones ; sed ex Scriptura constat, eas reipsa convenire charitati nostræ erga Deum ; ergo charitas est vera amicitia. *Prob. min.* 1° Ratione theol. 1) Nostra charitas erga Deum est amor cum benevolentia : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*. Matth. XXII, 37. — 2) Est cum redamatione : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*. Joan. XIV, 21. Et Ps. 145 : *Dominus diligit justos*.—3) Nititur hic amor inter nos et Deum, communione alicujus boni. Nam justi, tum per dona gratiæ, tum per jus adoptionis filiorum, quodammodo ipsum bonum infinitum participant. II Pet. I, 4 : *Maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*.

— Rom. VIII, 15: *Accepistis spiritum adoptionis filiorum... Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* — 4) Existit cum mutua cognitione. II Tim. II, 19: *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* — Rom. VIII, 16: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.*— Apoc. II, 17: *Vincenti dabo manna absconditum,... quod nemo scit, nisi qui accipit.* Unde patet, justo amorem Dei erga ipsum, quantum ad rationem amicitiæ satis est, innotescere.

244. PROB. 2° Expressis Scripturæ testimoniis. Sap. VII, 14: *Infinitus thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt* AMICITIÆ *Dei.* — Joan. XV, 14: *Vos* AMICI *mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.*

245. OBJIC. 1° Amicitia non est nisi inter æquales; atqui inter Deum et hominem summa est inæqualitas. — R. *Dist. maj.* Inter æquales, vel *simpliciter*, vel *secundum quamdam proportionem*, *C.*; necessario inter æquales *simpliciter*, *N.* Quare datur amicitia inter parentes et liberos, inter principem et subditos, quæ amicitia *supereminentiæ* dicitur. *Dist. min.* Est inæqualitas, ita ut nequeat esse ulla æqualitas secundum aliquam proportionem, *N.*; ita, ut possit esse aliqua æqualitas, *C. Amicitia vel æquales invenit vel facit* (1); charitas autem Deum hominemque æquales reddidit, efficiendo, ut Deus sese ad hominem demitteret, et homo ad divinam quasi dignitatem eveheretur.

246. *Obj.* 2° Homo est natura servus Dei; atqui non potest servus esse amicus heri sui. — R. *Conc. maj. Dist. min.* Si agatur de servis hominum, *trans.*; de servis Dei, *nego.* Licet enim apud homines dominium et servitus excludere veram amicitiam soleant, nihil tamen alioquin obstat, quominus mutuus amor inter dominum aliquem et servum, possit iis conditionibus insigniri, quibus vera amicitia continetur.

247. *Obj.* 3° Ad amicitiam requiritur communicatio aliqua bonorum, quæ vicissim alter amicorum impertiat alteri; atqui talis communicatio non est inter Deum et hominem; ergo nec vera amicitia. — R. *Dist. maj.* Requiritur, ut amici in aliquo vel aliquibus bonis communicent, *conc.*; requiritur etiam, ut hujusmodi bona ab altero in alterum deriventur,

(1) Hieron. in Mich. VII.

subd.: id requiritur *essentialiter* et *per se* ad amicitiam, *neg.*; requiritur *per accidens*, quando videlicet hæc mutua derivatio fieri potest inter amantes, vel necessaria est ad amicitiam fovendam, *transeat.* Sufficiens igitur est, ad amicitiam inter Deum et hominem, illa bonorum communicatio, quam supra exposuimus existere inter utrumque, tametsi sit absque mutua utriusque largitione. Adde, quod etiam homo impertit Deo honorem et obsequium, seseque totum illi potest offerre: quod munus ab homine ipsemet Deus requirit juxta illud Prov. XXIII, 26: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.*

248. *Obj.* 4° Ad amicitiam maxime pertinet quasi convictus, et societas quædam amicorum: *absentia* enim et *inaffabilitas solent multas amicitias dissolvere*; atqui, inter Deum et hominem, non est in hujus vitæ statu talis societas, siquidem, *dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* II Cor. V. 6.— R. *Dist. maj.* Pertinet aliquis convictus et præsentia mutua, late hæc intelligendo, *transeat;* stricte accepta. *subd.*: pertinet, ut conditio *essentialis*, *N.*; ut conditio *utilis*, *trans.*—*Dist. min.* Non est convictus hujusmodi, *sticto sensu* et perfectus, *conc.*; *lato sensu* et imperfectus *N.* Convictus ille amicorum non est conditio essentialis amicitiæ, tametsi non parum amicitiam fovere soleat. Contingit enim, aliquos, qui nunquam se viderunt, colere veram amicitiam; modo per litteras, vel alia ratione, constet utrique de amore mutuo. Constat autem homini, quantum satis est, de Dei erga ipsum amore. Adde, quod justi et amici Dei, sic a Domino, dum sunt in corpore, peregrinantur, ut illorum *conversatio* magna ex parte sit *in cœlis* cum Deo, ut Paulus ait, Phil. III, 20.

249. Q. 10° *Estne Charitas aliquid creatum in anima?* — R. Quæstio non est de charitate actuali, quam esse aliquid creatum facile intelligitur, cum sit actus a creata nostra voluntate elicitus. — Quæritur igitur de charitate habituali, num ea sit ipse Deus, qui *Charitas* vocatur et est. Respondent fere unanimiter Theologi, cum S. Thoma, contra Petrum Lombardum (1), charitatem esse aliquid creatum in anima, productum quidem a Spiritu S., sed ab Eo distinctum sicut

(1) Cf. supra, *De gratia*, nn 312, 313.—Item, tom. I, *De Trinit.* n. 172 et n. 173 nota (2).

effectum a causa : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S., qui datus est nobis.* Rom. V, 5.

250. Quod si, I Joan. IV, 16, dicitur : *Deus charitas est*, hoc de illa charitate non est intelligendum, qua nos formaliter sumus Dei dilectores; sed de Charitate increata, quæ Deus ipse est. — Dicitur autem Deus charitas multiplici sensu : 1) *essentialiter* in se ipso, sicut dicitur sapientia, bonitas, etc., per essentiam. 2) *Causaliter et efficienter*, quia charitatem nobis infundit. 3) *Objective*, quia est nostræ charitatis objectum. — Nec obstat quod Joannes subjungat : *Qui maneat in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, nam sensus est, eum, qui charitatem proximi servat, in Deo manere et Deum in eo; fere sicuti dicitur in sole manere, qui manet in lumine a sole diffuso, et sol vicissim in loco manere quem illuminat. — Præterea hæc quoque ratio addi potest, cur manens in charitate dicatur in Deo manere: quia scilicet per charitatem maxime Deo similis efficitur, ac divinæ consors naturæ; constituitur amicus Deo cum quadam unione affectus, ratione cujus amicus dici solet *alter ego.* — Adde, per gratiam sanctificantem, quæ semper cum charitate conjuncta est, fieri, ut Deus substantiali præsentia sua, peculiari titulo, animæ adsit (1).

251. Ille autem creatus effectus in anima, qui charitas habitualis dicitur, est qualitas quædam in omnibus justis permanens, et etiam in baptizatis parvulis latens; ut connaturaliter, per gratiam tamen, Deum propter se, et cætera propter Deum diligere possint (2). — Utrum, et quomodo charitas distinguatur a gratia habituali, supra diximus in Tractatu de Gratia (3).

(1) Cf. t. I, *De Trin.* n 172.
(2) S Thom. 2. 2, q. 23, a. 2. — (3) Cap. 2, art. 3, n. 313.

SECTIO II.

DE OBJECTO MATERIALI ET FORMALI CHARITATIS.

QUÆSTIONES.

1° *Quodnam est objectum Charitatis materiale?*—2° *Quomodo objectum Charitatis diligendum est?* — 3° *Quodnam est Charitatis objectum formale?* — 4° *Quomodo Charitas est virtus una?* — 5° *An, et quomodo, est virtus maxime excellens?*

252. QUÆR. 1° *Quodnam est objectum Charitatis materiale?*— R. Duplex est, juxta S. Thomam (1), objectum materiale charitatis, sicut amicitiæ: *indirectum*, seu objectum *quod*, et *directum*, seu objectum *cui*, quod subdistinguitur in *primarium* et *secundarium*.

253. Etenim dupliciter imprimis potest aliquid ex charitate diligi: 1) ut objectum *cui* volumus bonum, quodque secundum se diligimus, et vocamus *amicum*; 2) ut objectum *quod* per charitatem volumus amico, e. g. sanitatem, gratiam, etc.

254. Jam vero, ut *priori modo* aliquid per charitatem diligatur: oportet, *a*) aliquo modo in eo relucere divinam bonitatem, seu bonum ipsum divinum, quod est objectum formale charitatis; *b*) illud etiam esse capax supernaturalis beatitudinis, in cujus communicatione fundatur dilectio charitatis. — Ut *posteriori modo* aliquid diligatur per charitatem, satis erit, illud habere aliquem ordinem ad objectum, quod priori modo, i. e. ut amicus, per charitatem diligitur; ita nimirum, ut ad amicum aliquo modo pertineat, puta ad amici dignitatem, utilitatem, etc.

255. Hinc sequitur, 1) secundum se, et ut *objectum cui*, diligendos esse primario Deum, secundario nos ipsos, et proximos omnes, tum angelos tum homines, qui quidem beatitudinis, sive in re, sive in spe, capaces sint.

256. Sequitur 2) quamcumque etiam rem aliam, quæ ullo modo pertineat ad Deum vel proximum, diligi posse ex charitate, tanquam *objectum quod:* id est, tanquam *rem amici*, Dei nempe vel proximi; ac proinde, tum res irrationales,

(1) 2. 2, q. 25, art. 2.

tum gratiam ipsam et charitatem, quam debemus velle et nobis et proximis, hoc modo esse objectum charitatis. Item corpus proprium et proximi : quanquam corpus aliqua ratione potest et debet, etiam ut *objectum cui*, *et secundum se* diligi ; idque duplici titulo : *a*) quia corpus de ratione hominis est, licet inadæquate, utpote pars ejus ; *b*) quia est aliquo modo capax beatitudinis, secundum illas gloriæ dotes, quæ ex beatitudine animæ ad ipsum redundabunt.

257. Q. 2° *Quomodo objectum Charitatis diligendum est?* — Q. Quæstio est de *objecto cui*, seu quod amandum est secundum se, ut amicus. Dupliciter est diligendum : *negative*, ita ut a volendo vel inferendo illi malo semper abstineamus ; *positive*, ita ut aliquo modo, pro tempore et loco, bonum illi velimus atque faciamus. Porro malum et bonum hic intelligitur non quodvis, aut *secundum quid*, ut est bonum et malum temporale ; sed bonum *simpliciter*, quale est præsertim æternum, et quæ ad æternum pertinent.

258. Q. 3° *Quodnam est Charitatis objectum formale?* — R. Est bonitas Dei absoluta, seu in se, non respectu nostri, spectata : hoc est, sive cumulus omnium divinarum perfectionum ; sive quælibet Dei perfectio, ut misericordia, sapientia, etc., per mentalem præcisionem ab aliis attributis seorsim considerata : cum ex parte rei quævis divina perfectio cum aliis omnibus, adeoque cum divina essentia, identificetur (1).

259. Etenim, 1) bonitas absoluta, qua Deus est super omnia bonus et amabilis, est ratio formalis Deum amandi super omnia, simulque amandi ejus filios, amicos, domesticos, i. e. proximos omnes, juxta gradum quo ad Deum pertinent. 2) Bonitas absoluta Dei, non tantum charitatem specificat ut virtutem theologicam, sed eam etiam ab aliis theologicis distinguit (2).

260. *Nota.* Ex eo quod charitas Deum diligit propter bonitatem absolutam, non sequitur, bonitatem Dei respectivam, seu divina beneficia, nullo modo ad charitatem theologicam

(1) Cf. t. I, *De Deo*, c. 2, art. 1, n. 70.
(2) Cf. Wirceb. Theol. *De charit.* cap, 1, art. 3, n. 286.

pertinere aut conferre. Possumus enim charitate theologica Deum diligere propter beneficia, tanquam propter motivum, non quidem immediatum et intrinsecum charitatis qua talis; sed mediatum, extrinsecum et inductivum. Nimirum sicut motiva credibilitatis ad fidem; ita immensa Dei erga nos beneficia ad bonitatem Dei et cognoscendam et amandam, adeoque ad puræ charitatis actum, remote quidem et extrinsece, at valde efficaciter, inducunt.

261. Q. 4° *Quomodo Charitas est virtus una?* — R. Licet duplex sit charitatis objectum, Deus et proximus, non tamen duplex, sed una tantum specie virtus est. Nam Scriptura ubique de illa tanquam de una virtute loquitur, quam aliis virtutibus annumerat; et S. Joannes docet, amorem Dei perfici dilectione proximi : quia nimirum una et eadem virtute, et nos invicem, et Deum diligimus : *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est.* I Joan. IV, 12. — Præterea charitas Dei et proximi una eademque virtus est, quia unum idemque habet objectum formale : bonum divinum, sive in Deo existens, sive in proximo relucens.

262. Q. 5° *An et quomodo Charitas est virtus maxime excellens?* — R. Charitas præstantissima est margarita evangelica, pretiosissimam quamque virtutem, etiam Fidem et Spem, excellentia superans, teste Apostolo : *Major autem horum est Charitas.* I Cor. XIII, 13. — Etenim 1) charitas plenius et excellentius Deum attingit, scilicet ut in eo sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Charitas enim attingit Deum ut in se bonum : fides autem et spes, quatenus ab ipso nobis provenit vel cognitio veri, vel adeptio boni. 2) Charitas pura perfectio est; fides autem et spes aliquam imperfectionem involvunt : nimirum, vel obscuritatem, vel boni absentiam atque arduitatem. 3) Fides et spes evanescunt in luce Patriæ; charitas vero ibidem permanet, imo ratione objecti præsentis et intuitive visi, perfectior evadit. 4) Charitas sola virtus est, cui per se justificatio et salus annexa sit. 5) Charitas virtutum quasi Regina est, omnibus aliis imperans; imo ad omnes humanæ vitæ actus, per modum imperii, se extendens. 6) Charitas omnium virtutum est

quasi forma extrinseca, qua non existente, reliquæ vel existere desinunt, vel *de condigno* mereri non possunt (1).

SECTIO III.

DE SUBJECTO CHARITATIS.

QUÆSTIONES.

1° *Quodnam est Charitatis subjectum?* — 2° *An, et quomodo potest Charitas augeri?* — 3° *An, et quomodo perficitur?* — 4° *Quomodo minuitur et amittitur?* — 5° *An in homine non justificato potest esse aliqua Charitas?* — 6° *Quænam sunt signa præsentis in anima Charitatis?*

263. QUÆR. 1° *Quodnam est Charitatis subjectum?* — R. Subjectum *remotum* est persona charitatem habens; *proximum*, est appetitus rationalis, seu voluntas : quia charitatis objectum est Deus, i. e. bonum non sensibile, sed intelligibile et spirituale.

264. Producitur autem charitas et in *cordibus nostris diffunditur*, *per Spiritum sanctum*, quando gratia sanctificans, cui habitus charitatis annexus est, nobis confertur.

265. Q. 2° *An, et quomodo potest Charitas augeri?* — R. 1) Charitas habitualis augeri non potest *extensive*, i. e. ratione objecti, quod secundum se diligatur; quia vel minimus veræ charitatis gradus ad objectum totum extenditur : Deum et omnes proximos.

266. 2) Potest augeri *intensive*, et quidem semper in hac vita. Eph. IV, 15 : *Veritatem, facientes in charitate, crescamus in illo per omnia.* — Apoc. XXII, 11 : *Qui justus est, justificetur adhuc.* Est autem justitia, vel ipsa charitas, vel cum ea inseparabiliter connexa; ut ex Trid. fit evidens, Sess. 6, cap. 10 : *Justitiæ incrementum petit S. Ecclesia, cum orat : Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum.* — Prov. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.*

267. 3) Licet semper crescere possit nostra charitas, et, quo magis anima amat, eo fiat ad ardentius amandum aptior;

(1) Supra, *De gratia*, n. 380.

caritas crescere per additionem non potest.

tamen ad gradum illum, quo Christi aut B. V. charitas fulget, nec pervenire, nec, nisi immenso, ut ita dicam, intervallo, accedere unquam potest. Divino enim decreto constitutum est, ut gratia et charitas Christi esset omnium summa, B. Virginis vero, secundum Christum, omnium hominum et angelorum charitatem superaret (1).

268. 4) Charitas in anima augeri et crescere videtur per modum formæ, subjectum intimius penetrantis, magisque sibi subjicientis; fere sicut calor in ferro, aut vita in plantis accrescit. Quemadmodum scilicet videmus arborem novellam paulatim crescere, magis magisque formam substantialem participando ; et postquam adolevit, vi formæ plenius participatæ, fructum producere : ita, quum plenius anima charitatem participat, per eam, tanquam formam, majores effectus, actus nempe ferventiores elicit.

269. 5) Augmenti causa efficiens est Deus : meritoria et dispositiva, est ipse justus, per charitatis actus, imo per quævis opera bona in gratia facta (2).

270. Q. 3° *An, et quomodo Charitas perficitur?* — R. 1) Non est capax perfectionis ex parte objecti, quod est Deus : nunquam enim Deus a nobis tantum diligi potest, quantum dignus est qui diligatur (3).

271. 2) Ex parte subjecti, charitas potest plus minusve perfecte participari, *secundum mensuram donationis Christi*, Eph. IV, 7 ; et nostram quoque dispositionem.

272. 3) Ex parte sui *actus eliciti*, puta dilectionis Dei et proximi, quantitatem quamdam perfectionis habere potest, in qua tres gradus distinguuntur : *summus*, competens solis Beatis, qui sine ulla intermissione Deo per amorem purissimum inhærent; — *medius*, eorum, qui in hac vita ita se expediunt terrenis impedimentis, ut quam frequentissime charitatis actibus vacare possint : ad hunc gradum pertinet status Episcopalis et status religiosus (4); — *infimus*, eorum qui, terrenis negotiis implicati, Deo per amorem actualem non adeo assidue inhærent; illum tamen habitualiter amant

(1) Cf. supra, *De gratia*, n. 391. Item t. I, *De Incarn.* n. 265 seqq. — (2) Supra, *De gratia*, n. 380. — Cf. S. Thom. 2. 2, q. 24 — (3) 2. 2, q 24, art. 8. — (4) Infra, cap. 3, art. 3, *De religione*, n 387.

plus quam cætera omnia, nullam rem ejus amicitiæ anteponentes. Hanc postremam charitatis perfectionem omnes tenentur habere : I Joan. II, 5 : *Qui servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est*. Et Matth. XXII, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

273. 4) Considerata ex parte sui *actus, sive eliciti, sive imperati*, charitas tres alios gradus perfectionis admittit : *incipientium*, qui facile resistunt passionibus et tentationibus ad peccatum mortale incitantibus ; — *proficientium*, qui student vitare venialia, et in virtutum exercitio progrediuntur ; — *perfectorum*, qui anhelant ad unionem beatificam cum Dilecto suo, in patria ; et interim, dum peregrinantur in terra, charitatis spiritu moventur, aguntur, atque ita animati sunt, ut dicere possint : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus ;* et : *Charitas Christi urget nos*, ad laborandum, ad patiendum, ad moriendum : *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* (1). — *Notandum* interim, triplex illud genus bonorum actuum *practice* permisceri ; et qui cuique gradui charitatis assignantur ut actus proprii, eos esse, qui solent in eo gradu dominari.

274. Q. 4° *Quomodo Charitas minuitur et amittitur ?* — R. (2) Minui charitatis habitus, nisi quoad exercitium et fervorem, non potest. Venialibus enim peccatis, utcumque gravibus et numerosis, non destruitur charitatis habitus : sed quædam dispositio ad tam pretiosæ virtutis corruptionem in anima inducitur. Quod etiam fit per nimiam ab actibus charitatis cessationem. Hoc sensu intelligi possunt quædam loca Scripturæ, ut Matth. XXIV, 12 : *Refrigescet charitas multorum.*—Sic, ex. gr. vita per *morbum* proprie non minuitur, sed tantum *morte* exstinguitur. Etenim, donec morbus est, vita, i. e. anima, manet in corpore integra : at dispositio ad mortem inducitur.

275. Amittitur charitas et gratia habitualis, non solum infidelitate, sed etiam quocumque alio peccato mortali : Trid. Sess. 6, cap. 15 (3).

(1) Gal. II, 20 ; II Cor. V, 14 ; Phil. I, 23. — (2) S.Thom 2. 2, q. 24, a. 10.
(3) Supra, *De gratia*, n. 342.

276. Q. 5° *An in homine non justificato potest esse aliqua Charitas actualis, quin justificationem recipiat?* — R. Dari potest in eo, præter amorem spei, quædam dilectio Dei in se, sive amor benevolus, qui non sit super omnia, quo Deus tam tenui affectu ametur, ut contrarii affectus, nempe ad peccatum mortale, adhuc prævaleant. Hæc est charitas imperfecta et improprie dicta, de qua supra egimus, et quæ potius *dilectio Dei* quam *charitas* videtur esse appellanda.

277. Actum charitatis etiam perfectæ, homo nondum justificatus, gratia tamen excitatus atque adjutus, elicere potest. Verum hoc ipso actu justificationem immediate suscipere meretur de congruo infallibili (1).

278. Q. 6° *Quænam sunt signa præsentis in anima Charitatis?* — R. Licet in hac vita nemo, sine speciali revelatione, possit esse certus certitudine fidei, nec alia certitudine physica aut morali stricte dicta, se charitate habituali esse ditatum; potest tamen id nosse certitudine quadam conjecturali, quæ lato sensu moralis vocatur, et anxietatem perturbationemque animi excludit : dignosciturque ex quibusdam signis et indiciis (2), qualia sunt sequentia : 1) Frequens et libens cogitatio de Deo: *Ubi est thesaurus tuus ibi est et cor tuum.* Matth. VI, 21. — 2) Frequenter et libenter loqui et audire de Deo, ac de cultu divino: *Qui ex Deo est verba Dei audit.* Joan. VIII, 47. — 3) Observantia mandatorum Dei : *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Joan. XIV, 21. — 4) Sincerus proximi amor, atque adeo opera charitatis in proximum : *Charitas patiens est, benigna est*, etc. I Cor. XIII, 4. — 5) Intime delectari de Deo rebusque spiritualibus, delectatione animi, quæ non necessario est sensibilis. — 6) Honorem ac reverentiam Ecclesiæ et ministris Dei exhibere : *Qui vos audit, me audit.* Luc. X, 16. — 7) Propriæ conscientiæ testimonium: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* I Joan. III, 21. Et: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Rom. VIII, 16.

(1) Supra, *De grat.* n. 374. — (2) Cf. quæ supra, *De grat.* n. 339, 250.

SECTIO IV.

DE ACTU CHARITATIS.

279. Inter varias quæstiones, quæ de charitatis actu institui possunt, præcipua est de hujus actus necessitate: utrum scilicet, et quatenus actus charitatis sit obligatorius et necessarius.

QUÆSTIONES

1° *An existit præceptum Charitatis?* — 2° *An omnis actus humanus, ne peccatum sit, debet esse ex Charitate elicitus aut imperatus?* — 3° *An saltem ut sit meritorius, necesse est, illum ex Charitate vel elici vel imperari?* — 4° *An sine Charitate potest esse aliqua vera virtus?* — 5° *Quomodo Charitas est aliarum virtutum forma?* — 6° *Quinam sunt Charitatis actus et effectus?* — 7° *Quænam sunt vitia Charitati opposita?* — 8° *Quo sensu Charitas est plenitudo legis?* — 9° *Quomodo Deus a nobis diligendus est?* — 10° *An amor Charitatis excludit amorem Spei?*

280. QUÆR. 1° *An existit præceptum Charitatis?* — R. Existit præceptum divinum Charitatis, quod Christus, Matth. XXII, 38, tanquam maximum et primum mandatum commendat.

281. Hoc præceptum, prout *negativum* est, ac præter odium omnem Dei offensam prohibet. *semper et pro semper* obligat. — Prout est *affirmativum*, et actum amoris erga Deum præcipit, non quidem obligat pro semper, sed tamen plus vice simplici, ut ex propp. 5, 6 et 7 damnatis 2 Mart. 1679, constat.

282. Q. 2° *An omnis actus humanus, ne peccatum sit, debet esse ex Charitate elicitus aut imperatus?* — R. Non est necesse ut *ex charitate sit elicitus;* secus enim sequeretur, inter charitatem et vitiosam concupiscentiam non dari medium, et actum a charitate non elicitum, ex prava cupiditate necessario oriri; quod damnatum est in prop. 38 Baii et 44 Quesnelli; unde hæc pars responsionis ad fidem pertinet. — Altera pars pro certa quoque a TT. statuitur, nempe

non sub peccato requiri, ut actus omnis a charitate sit *imperatus*.

283. Hic autem, quod supra innuimus, notare juvat contra Jansenianos, a Patribus quibusdam, maxime a S. Augustino, vocem *charitatis* frequenter usurpari minus stricte ac minus proprie, pro amore quocumque recto, bona voluntate, vel amore boni; ut patet ex comment. in Ps. IX, n. 15, ad illa verba : *Comprehensus est pes eorum*. — *Pes animæ*, inquit, *recte intelligitur amor, qui, cum pravus est, vocatur cupiditas aut libido; cum autem rectus, dilectio vel charitas* (1).

284. Notandum quoque, quæstionem hanc de necessitate operandi ex charitate imperante, confundendam non esse cum hac : *utrum actus humanus, ut sit ex omni parte bonus, debeat referri ad Deum;* quæ quæstio pertinet ad Tractatum de actibus humanis, et præscindit a motivo charitatis.

285. Q. 3° *An saltem ut actus sit meritorius, necesse est, illum elici vel imperari a Charitate?* — R. Notandum imprimis, damnatas esse propos. 55 et 56 Quesnelli, quibus asserebatur, *Deum non coronare nec remunerari nisi charitatem*. — Præterea, convenit inter plerosque Catholicos, 1) actus etiam infidelium, naturaliter tantum honestos, sæpius in hac vita a Deo retributionem temporalem obtinere; 2) actus quoscumque peccatorum bonos ac supernaturales, etiam ante justificationem elicitos, gratiam de congruo mereri; 3) actus justorum, ex virtutibus sive infusis sive acquisitis, et gratiæ auxilio profectos, licet a charitate nec elicitos nec imperatos, de condigno mereri gloriam, saltem *accidentalem* ac etiam *aureolas* (2). — Dissentiunt tamen, circa meritum condignum gloriæ essentialis ac præmii substantialis; quia alii, præsertim Thomistæ, hoc tribuunt aut solis actibus a charitate *elicitis:* aut actibus quidem aliarum virtutum, sed saltem a charitate *imperatis*; alii vero, ad ejusmodi meritum, nec physicum charitatis influxum, nec imperium aut motivum exigunt : et hæc opinio, spectatis rationibus quibus innititur, probabilior videtur (3).

(1) Cf. supra, *De grat.* n. 142.
(2) Infra, *De Novissimis*, cap. 1, art. 3, n. 98. — (3) Cfr supra, *De gratia*, n. 385.

286. Q. 4° *An sine Charitate potest esse aliqua virtus vera?* — R. Nulla virtus potest esse *vera*, i. e. *perfecta*, si sit a charitate saltem habituali sejuncta. *Absit*, ait Augustinus, *quod sit vera virtus, nisi in homine justo* (1). — Scilicet virtutis bonitas et perfectio *theologice* æstimatur in ordine ad ultimum finem, qui est æterna felicitas et salus. Non enim reputanda sunt vera bona, nisi ea, quæ nos ad salutem conducunt; atqui ad salutem nulla virtus sine charitate nos conducere valet (2), cum sine charitate non simus in salutis via; ergo. — Sensu tamen latiore, sine charitate potest esse vera virtus *in se spectata*, v. g. vera ac divina fides, vera temperantia ordinis naturalis, veram scilicet rationem talis virtutis habens.

287. Q. 5° *Quomodo Charitas est aliarum virtutum forma?* —Est forma virtutum christianarum, non quidem *essentialis*, sed *accidentalis* et *analogica*. Recte enim velut virtutum forma statuitur illa virtus, a qua cæteræ vim et valorem suum habent in ordine ad ultimum finem; atqui talis est charitas. Nam 1) charitas *habitualis* per sanctificantem gratiam, quacum intime connectitur, aliis virtutibus tribuit quasi vitam et dignitatem; qua fit, ut per illas actus de condigno meritorios possimus elicere. 2) Charitas *actualis* omnes alias virtutes immediate ordinat ad Deum, iisque simul, ad actus suos perfectius eliciendos, splendorem addit ac robur (3).

288. Q. 6° *Quinam sunt Charitatis actus et effectus?* — R. *Actus* charitatis elicitus, internus ac principalis, est actus amandi, seu dilectio. Non est autem dilectio charitatis nuda ac simplex benevolentia, sed benevolentia cum quadam affectus unione erga rem amatam: quæ unio in eo consistit, ut velimus bonum rei dilectæ, illud æstimantes tanquam aliquo modo ad nos pertinens, ac proinde quodammodo nostrum.

289. *Effectus*, actum hunc principalem consequentes, alii interiores sunt, alii exteriores. Interiores numerantur: 1) *gaudium*, et quidem purum: *Non habet amaritudinem conversatio illius*, Sap. VIII, 16. — 2) *Pax:* nam *Pax multa diligentibus*

(1) Cont. Julian. l. 4, c. 3. — (2) I Cor. XIII, 3. — (3) Cf. Valentia, tom. 3, disp. 3, quæst. 1, punct. 3.

legem tuam. Ps. CXVIII. — 3) *Misericordia.*— Exteriores actus charitatis sunt: 1) *Beneficentia*, quæ ab ipsa benevolentia charitatis, nisi sicut actus exterior ab interiore, non differt. 2) *Eleemosyna.* 3) *Correctio fraterna*, quæ veluti eleemosyna spiritualis est.

290. Q. 7° *Quæ sunt vitia Charitati opposita?*—R. Sunt hæc: *odium*, quod ipsi dilectioni opponitur; *acedia* et *invidia*, quæ gaudio charitatis: *discordia* et *schisma*, quæ paci; *offensio* et *scandalum*, quæ beneficentiæ et correctioni fraternæ adversantur (1).

291. Q. 8° *Quo sensu Charitas plenitudo legis dicitur?* — R. 1) Quia charitas est causa efficiens, et imperans, ut omnes reliquæ leges implcantur; licet homo possit ex alio quoque motivo operari. 2) Quia charitas est finis et scopus legis; tota enim lex eo spectat, ut nos ad charitatem ejusque perfectionem perducat. 3) Quia charitas effcit, ut homo perfecte legem adimpleat, et implendo perfectissime mereatur. *Omne mandatum*, ait S. Greg. homil. 27 in Evang., *de sola dilectione est: et omnia unum præceptum sunt; quia, quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.*

292. Q. 9° *Quomodo Deus a nobis diligendus est?*—R. 1) Secundum se et *immediate;* tametsi in hac vita non cognoscatur a nobis nisi imperfecte, quasi per speculum et in ænigmate. —2) *Totaliter: a*) ex parte ipsius Dei, quia et ipse totus, et omnia quæ ad ipsum pertinent, sunt diligenda ex charitate; *b*) ex parte diligentis, quia ex tota anima debet diligere; *c*) non autem ex parte modi, ita ut, quantum Deus diligibilis est, tantum a nobis diligatur: sic enim ipse solus potest se totaliter amare. —3) *sine mensura*, ita ut nunquam tam perfecte, quin perfectius amare conemur: *Causa diligendi Deum Deus est: modus, sine modo diligere.* S. Bern. Lib. de dilig. Deo. —4) *Propter se*, i. e. propter propriam ipsius bonitatem atque amabilitatem, tanquam propter ultimum rerum omnium

(1) Cf. S. Thom. 2. 2, q. 34 seqq. — Valentia, tom 3, *De Charit.*, disp. 3, q. 6.

finem. — 5) *Super omnia*, seu charitate appretiative summa : quatenus nempe Deum ejusque amorem cæteris omnibus, etiam nobismetipsis, præferamus oportet; quemadmodum docet Christus, Luc. XIV, 26 : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.*

293. Q. 10° *An amor Charitatis amorem Spei excludit?* — Resp. negative. Potest, solet, imo et debet in hac vita amor uterque, spei et charitatis, in eodem subjecto conjungi (1). Non enim repugnat, Deum diligi propter se, etiamsi propter mercedem vitæ æternæ simul diligatur, non tanquam finem ipsius Dei, seu cui Deum subordinemus; sed tanquam finem dilectionis nostræ. Quare Scriptura vitam æternam nobis proponit, ut propter illam adipiscendam recte et pie vivamus, atque adeo etiam diligamus Deum : *Sobrie, juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem*, Tit. II, 12. — Dilectio scilicet aliæque piæ actiones, quæ exercentur propter beatitudinem, in Deum tanquam in finem, simpliciter ultimum, ordinantur; ita, ut, quamvis (quod fieri nequit,) exspectanda non esset beatitudo, vellet amans nihilominus hæc eadem omnia præstare, ad quæ ex divinis præceptis obligatur. Hinc amor charitatis et amor spei non se invicem destruunt, sed potius mutuis flammis inardescunt. Sic, Exod. II, legimus filiam Pharaonis, cum ex aquis Nili infantem salvasset Moysen, vocasse mulierem Hebræam, cui dixit : Accipe puerum istum et nutri mihi; ergo dabo tibi mercedem tuam. — Hæc mulier erat ipsa mater infantis, quem summo cum amore suscepit et nutrivit. Cur autem nutrivit tam amanter? An propter mercedem? An propter ipsum infantem suum, quem videbat? Profecto propter ambo motiva, quorum utrumque fuisset sufficiens, quæque simul conjuncta invalescebant. Ita amor spei et charitatis se invicem inflammant atque corroborant (2).

(1) Cf. prop. Quietistar. damn. sæc. XVII, ab Innoc. XI et Innoc. XII; item propos Camerac. 1-7 et 23, damn. ab Innoc. XII, anno 1699.
(2) Cf. S. Thom. 1. 2, q. 65, art. 5.

CAPUT TERTIUM.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS (1).

NOTIONES PRÆVIÆ.

294. Nomine virtutum *moralium* intelligimus eas omnes, *quæ non sunt theologicæ*, quæque ad quatuor virtutes *cardinales*, *Prudentiam*, *Justitiam*, *Fortitudinem*, *Temperantiam*, referri possunt. Quare, in hac disputatione, ordinem virtutum cardinalium sequendum censemus. Cum autem virtus *Religionis*, quæ ad *Justitiam* pertinet, præcipuum habeat momentum, speciali articulo de illa, post justitiam, disseremus. Hinc quinque articuli :

Articulus I, *de Prudentia.*
Articulus II, *de Justitia.*
Articulus III, *de Religione.*
Articulus IV, *de Fortitudine.*
Articulus V, *de Temperantia.*

295. Virtutes cardinales expressit Sapiens VIII, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet* (Sapientia), *et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Nomine scilicet *sobrietatis*, intelligitur hoc loco *temperantia*, et nomine *virtutis*, *fortitudo* ; quod patet ex textu græco : Σωφροσύνην γὰρ καὶ φρόνησιν ἐκ διδάσκει, δικαιωσύνην καὶ ἀνδρίαν.

296. De virtutibus cardinalibus frequenter agunt Patres ; ut S. Gregorius, cum scribit : *Quatuor paradisi flumina terram irrigant ; quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum temperalium æstu temperatur.* Moral. l. 2, c. 36.

297. Hæ quatuor virtutes quatuor naturæ vulneribus opponuntur : Prudentia ignorantiæ intellectus, Justitia ma-

(1) Cf. S. Thom. 2. 2, qq. 47-170.— Lessius, *De justitia et jure, cæterisque virtutibus cardinalibus.*— Gregor. De Valentia, *Comment theol.* t. 3.

litiæ voluntatis, Fortitudo infirmitati appetitus irascibilis, Temperantia demum adori appetitus concupiscibilis medetur.

298. Prudentia, tanquam omnium virtutum moderatrix, primum locum tenet; Justitia, quoniam bonum societatis respicit, secundum; Fortitudo, quæ tum pro causa publica, tum pro reliquis virtutibus tuendis pericula sustinet, proxime sequitur; demum Temperantia, cum respiciat bonum particulare, infimum gradum occupat.

299. Vocantur virtutes *cardinales*, quia in illis, veluti cardinibus, virtutes morales reliquæ, et omnis honestæ vitæ ratio vertitur.

300. Omnes autem virtutes morales ad quatuor cardinales reducuntur, tanquam harum *partes* sive *integrales*, sive *subjectivæ*, sive *potentiales*.

301. Partes *integrales* dicuntur illæ, quæ virtutem cardinalem in suo actu adjuvant ut perfecte operetur; ex. gr. patientia respectu fortitudinis. — *Integrales* vocantur, ut patet, non proprie, sed per quamdam similitudinem. Nam ut partes integrales alicujus corporis proprie dicuntur eæ, sine quibus non constat perfectum corpus; ita, per quamdam analogiam, partes integrales alicujus virtutis dici possunt eæ mentis functiones, sine quibus illa virtus perfectum actum non habet.

302. Partes *subjectivæ* dicuntur illæ, in quas tanquam genus in species, virtus aliqua cardinalis dividitur. Sic sobrietas, castitas, sunt partes subjectivæ respectu temperantiæ. Dicuntur partes *subjectivæ*, quia genus de specie tanquam de subjecto prædicatur.

303. Partes *potentiales* virtutis cardinalis sunt illæ virtutes, quæ aliquatenus, licet imperfecte, rationem ejus participant, eique tanquam organa quædam subserviunt. Sic religio, pietas, sunt potentiales partes justitiæ; quia justitiæ subserviunt, quæ per eas operari potest, fere sicut anima agit per intellectum et voluntatem, quæ partes potentiales animæ possunt appellari. Simili etiam modo, participata regis auctoritas in variis ministris, tanquam in quibusdam partibus potentialibus, existit.

304. In singulis virtutibus cardinalibus, regulariter consideranda veniunt quatuor: 1) natura virtutis, 2) ejus actus seu operatio, 3) ejus progenies, 4) vitia opposita.

ARTICULUS I.

DE PRUDENTIA.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est Prudentia ?* — 2° *Quinam sunt actus Prudentiæ ?* — 3° *Quæ ejus partes ?* — 4° *Quæ vitia opposita ?*

305. QUÆR. 1° *Quid est Prudentia?* — R. Prudentiæ vocabulum, quod a *porro videndo* ductum videtur (1), sæpe significat omnes simul facultates intellectus practici, quæ ad recte instituendas humanæ vitæ actiones conducunt; ut facultas consultandi, contemplandi, judicandi, præcipiendi, etc. Verum hæ facultates non sunt proprie virtus prudentiæ, cum et iis abuti possimus, virtute vero nemo male utatur; sed sunt potius ad virtutem prudentiæ conditiones requisitæ.

306. Prudentiæ virtus, juxta Aristotelem, definitur: *Recta ratio agibilium*. Ethic. 6, c. 5.—Juxta Lessium: *Virtus intellectus, qua, in quovis negotio occurrente, novimus quid honestum sit, quid turpe*.—Juxta alios: *Habitus intellectus practici, ad recte statuendum, per actum imperii, quid agendum sit in quovis casu particulari* (2).

307. Ex his definitionibus, patet, 1° prudentiam esse virtutem *intellectualem*, ratione *subjecti* sui, qui intellectus est; et simul *moralem*, ratione *objecti* sui, qui sunt mores, non quidem eliciendi, sed dirigendi: unde et *auriga virtutum* fuit nuncupata (3).

308. Patet 2° prudentiam distingui ab aliis virtutibus *intellectualibus*, eo, quod non sit mere speculativa, sicut scientia et fides; a stricte *moralibus* vero, quia est morum *directiva:* non vero *elicitiva*, sicut justitia, temperantia, etc.

309. Patet 3° prudentiam circa actiones singulas, tanquam circa *objectum materiale* versari. Quare non est prudens, qui

(1) Isidor. *Etymol.* l. 10, c. 15.
(2) Valentia, t. 3, disp. 4, q. 1. — (3) Cf. Suar. t. 16, disp. 31, sect. 1, 2.

novit quidem in genere, quidnam ad quamque virtutem requiratur : in singulis autem actionibus, circumstantias necessarias ad honestatem, v. g. locum, tempus, modum, etc., determinare non novit ; id enim cognoscere, non in uno autem, sed in omni actionum genere, debet quisquis vere et perfecte prudens existit. Est itaque objectum prudentiæ amplissimum, utpote omnes actiones liberas totius vitæ considerandas dirigendasque complectens.

310. Patet 4° prudentiæ *objectum formale* esse honestatem, rectitudinem practicam, cuilibet actioni, tanquam formam, imprimendam.

311. Hinc 5° deducitur *officium* prudentiæ, quod ita describi potest. Similis est prudentia homini statuario, qui varios sibi oblatos lapides considerat, quomodo singulis opportunius utatur : statuitque ex uno effingere leonem, ex alio hominem, ex tertio angelum, etc. ; simulque definit, quomodo unumquodque opus exsequatur. Ita prudentia intelligit et imperat, quænam singulis rebus, in vita occurrentibus, imprimenda sit forma virtutis, et quomodo id fieri expediat. Sic, ex. gr. Christo Domino, sive cum jejunaret in deserto, sive cum accumberet in Cana Galilææ, perfectam temperantiæ formam utrique casui convenientem, prudentia monstravit.

312. 6° Ex his demum intelligitur, cur tam præclaris encomiis semper fuerit celebrata prudentia. Prov. III, 13: *Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia... pretiosior est cunctis opibus.* — Cassianus, de prudentia loquens : *Hæc*, inquit, *inter cunctas virtutes arcem ac primatum tenet* (1). — Tullius : *Sine prudentia, nec intelligi quidem ulla virtus potest* (2). — Juvenalis :

Nullum numen abest, si sit prudentia (3).

313. Q. 2° *Quinam sunt actus Prudentiæ?* — R. Actus, seu functiones prudentiæ sunt præcipue tres: 1) inquirere de mediis, 2) judicare de inventis, 3) inventa et judicata applicare ad actum ; seu : bene consultare, bene judicare, et executionem præcipere. *Bene;* hoc est, cum sollicitudine et

(1) Collat. 1, c. 23. — (2) Tuscul. qq. lib. 2. — (3) Satyra 10.

diligentia *proportionata:* quantum scilicet exigit objectum, et fert personæ conditio. — Axiomata quædam prudentiæ celebrantur, ut hæc Philosophorum : *Respice finem;* — *Nosce te ipsum;* — *Festina lente.* — Et hæc Spiritus sancti : *Consilium semper a sapiente perquire*, Tob. IV, 19; — *Ne innitaris prudentiæ tuæ,* Prov. III, 5; — *Verba prudentium statera ponderabuntur*, Eccli. XXI, 28: — *Estote*, ait Christus, *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Matth. X, 16. In quem locum Hieronymus : *Ut per prudentiam*, inquit, *devitent insidias, per simplicitatem non faciant malum. Et serpentis astutia ponitur in exemplum; quia toto corpore occultat caput, ut illud, in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus: id est, fidem integram et incorruptam.*

314. Q. 3° *Quæ sunt partes Prudentiæ?* — R. 1) Partes prudentiæ *integrales* sunt : præteritorum consideratio, sive memoria; intelligentia præsentium; providentia futurorum; solertia, docilitas, ratio, circumspectio, cautio et sollicitudo.

315. 2) Partes *subjectivæ* distinguuntur, *a*) ratione principii elicitivi: prudentia *naturalis,* seu acquisita et *supernaturalis*, seu infusa. *b*) Ratione objecti, distinguuntur prudentia *personalis* et prudentia *gubernatrix.* Personalis, seu privata, est ea, qua quis in singulis actionibus spectat, quid agere deceat, proprium intendens bonum. — Gubernatrix prudentia respicit communitatem, cujus bonum quis, ut præpositus, procurare tenetur. Subdividitur in quatuor species, quæ vocantur *œconomica*, *politica*, *legislatrix, militaris:* prima pertinet ad recte gubernandam familiam, secunda ad recte gubernandam civitatem seu rempublicam, etc.

316. 3) Partes *potentiales* sunt : *eubulia*, seu habitus bene consultandi; *synesis*, seu habitus bene judicandi; *gnome*, seu habitus solerter exsequendi, et per epikeiam a lege excipiendi.

317. Q. 4° *Quæ sunt vitia Prudentiæ opposita?* — R. Alia opponuntur per defectum, videlicet: *præcipitatio*, contraria consilio; *inconsideratio*, contraria judicio; *inconstantia*, contraria judicii firmitati; *negligentia*, contraria vigilantiæ ra-

tionis in exsequendo. — Alia opponuntur per excessum, seu potius per quamdam speciem vanam imaginemque prudentiæ, videlicet : *astutia*, quæ, si committatur verbis, *dolus*, si factis, *fraus* dicitur; — *nimia sollicitudo* de temporalibus et *anxietas* de futuris ; — *prudentia carnis*, quæ *prudentiæ spiritus*, i. e. prudentiæ veræ, opponitur : *Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita et pax.* Rom. VIII, 6. Quo spectat et illud : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Luc. XVI, 8.

ARTICULUS II.

DE JUSTITIA (1).

QUÆSTIONES

1° *Quid est Justitia?* — 2° *Quodnam est Justitiæ objectum ?* — 3° *Quæ sunt partes Justitiæ et vitia opposita ?* — 4° *Quid est pietas ?* — 5° *Quid observantia ?* — 6° *Quid gratitudo ?* — 7° *Quid vindicatio ?* — 8° *Quid pœnitentia ?* — 9° *Quid veritas ?* — 10° *Quid affabilitas?* — 11° *Quid liberalitas ?*

318. QUÆR. 1° *Quid est Justitia?* — R. Varia est acceptio vocis *justitiæ*. Accipitur 1) pro complexu omnium virtutum : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Matth. V, 6. — 2) Pro charitate, quæ omnes virtutes quodammodo complectitur, et voluntatem reddit conformem toti legi divinæ. — 3) Pro gratia sanctificante, qua homo justus constituitur ac nominatur. — 4) Pro Justitia increata, sive ipso Deo. — 5) Pro operibus bonis, præcipue misericordiæ : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Matth. VI, 1. — 6) Pro virtute speciali, quæ est secunda inter cardinales : quo sensu hic a nobis vocabulum justitiæ usurpatur.

319. Justitiæ virtus definitur ab Ulpiano : *Perpetua et constans voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Clarius definiri potest : *Virtus moralis, firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum, secundum æqualitatem.*

320. Ut ex definitione patet, fundamentum justitiæ est *jus*; quapropter, ubi de ipsa justitia, in se spectata, tractatio in-

(1) Cfr S. Thom. 2. 2, q. 57 ad 61, et 101 ad 122.

stituitur, agendum est simul et præcipue de jure, de juris acquisitione, violatione, etc. ; ut videre licet in tractatu Lessii *De justitia et jure*, lib. 2, cap. 1, 2.

321. Q. 2° *Quodnam est Justitiæ objectum?* — R. Objectum *materiale* est res, vel actio, alteri debita aut reddenda. — Objectum *formale* est ratio debiti, ad æqualitatem reddendi ; sub hoc enim peculiari respectu ita res spectatur a justitia, ut sub eodem ab aliis virtutibus non attingatur.

322. Q. 3° *Quæ sunt partes Justitiæ?* — R. Partes justitiæ *subjectivæ*, h. e. species, in quas dividitur, sunt : 1) Justitia erga *Deum*, *semetipsum* et *alios homines*. 2) Justitia *generalis* et *particularis*. Generalis, quæ etiam dicitur *legalis* et *publica*, bonum seu jus generale societatis respicit ; particularis, jus privatum individuorum. 3) Justitia *commutativa*, firmans voluntatem ad jus suum strictum unicuique *privato* reddendum ; — *distributiva*, inclinans ad unicuique *societatis membro* tribuendum, quod ipsi juxta æquitatem debetur ; seu inclinans societatis Principem ad onera et bona, communia inter subditos, distribuenda, juxta facultatum et meriti uniuscujusque proportionem ; — *legalis*, inclinans ad jus suum societati reddendum, ordinansque subditos ad societatem ; — *vindicativa*, inclinans Principem ad proportionatam delictorum punitionem (1). — His opponuntur variæ species injuriarum, quibus læditur jus alterius, quasque videre est apud Moralistas.

323. Partes justitiæ *integrales*, sunt : facere bonum (sub ratione *debiti*), et declinare a malo (sub ratione *injuriæ*).

324. Partes *potentiales*, seu virtutes justitiæ annexæ, sunt præcipue : *religio*, *pietas*, *observantia*, *veritas*, *gratia*, *vindicatio*, *pœnitentia*, *amicitia* seu *affabilitas*, et *liberalitas* (2).

325. Q. 4° *Quid est pietas?* — R. Pietas duplex est, religiosa et filialis. Pietas religiosa convenit cum cultu Dei et

(1) De hac postrema divisione hæc habet Theol. Wirceb., *tract. de jure et just.*, *dissert*· 6, *n*. 558 : « Dividitur justitia in *commutativam*, *distributivam*, *legalem* et *vindicativam*. Permittitur hæc divisio ob auctoritatem « ferme omnium, cum sit recepta a plerisque, etsi, *in rigore logico*, non sit « univoca ; neque enim species illæ singulæ naturam justitiæ in genere per- « fecte participant... »

(2) Cf. Lessius, *De justit.* cap. 46, 47.

religione, de qua in sequenti articulo agemus. — Pietas filialis est virtus, per quam iis, quorum beneficio post Deum subsistimus et gubernamur, nimirum parentibus et patriæ, debitum cultum, i. e. honorem obsequiosum tribuimus. Est virtus specialis, habens pro objecto materiali cultum et obsequium consanguineorum et popularium; et pro formali, rationem debiti, fundatam in accepto beneficio ortus et educationis nostræ.

326. Q. 5. *Quid est observantia?* — R. Est virtus quæ exhibet superioribus, aliisque in dignitate constitutis, cultum et honorem dignitati eorum respondentem.

327. Ad virtutem observantiæ refert S. Thomas virtutes *duliæ* et *obedientiæ*. — Dulia exhibet honorem creaturæ excellenti, secundum alicujus dominii similitudinem. Cultus duliæ defertur Sanctis, et differt a cultu latriæ, qui soli Deo tribuitur (1).

328. Obedientia duplex solet distingui : una *generalis*, qua præstamus actus ex cujusvis virtutis motivo debitos, et sic quibusvis Dei mandatis obedimus. Hæc non est specialis virtus, sed potius ad quamlibet virtutem pertinet. — Altera est virtus *specialis*, et definitur : *Virtus moralis, inclinans voluntatem ad implendum præceptum superioris, ex motivo satisfaciendi præcepto.* Objectum ejus materiale sunt actus a superiore præcepti; formale vero, est ratio debiti, quo obsequium auctoritati superioris præcipientis præstare tenemur.

329. Q. 6° *Quid est gratitudo?* — R. Est virtus reddens gratiam benefactoribus debitam. Objectum ejus *formale* est debitum morale, non *strictæ justitiæ*, sed honestatis, ratione beneficii accepti. Objectum *materiale* sunt officia gratitudinis, quæ, juxta S. Thomam, reduci possunt ad tria. Primum est in animo, beneficii scilicet agnitio et grata memoria; secundum in verbis, i. e. actio gratiarum; tertium perficitur factis, quibus beneficium, tempore et loco, secundum facultatem retribuimus : magis tamen affectum quam effectum gratitudo respicit.

330. Ingratitudo sita est in eo, ut benefactori officia gratitudinis denegentur. Sicut autem gratitudinis assignantur

(1) Cfr tom. I, tract. 8, *de Incarn.* cap. 4, n. 547.

tria officia, ita ingratitudinis ponuntur tres gradus : nimirum denegare officia operum, verborum et animi; quæ postrema ingratitudo pessima est. Præter hos gradus, qui negativi sunt, etiam positivi numerantur saltem duo : lædere benefactorem, et ejus beneficia contra ipsum convertere.

331. Q. 7° *Quid est vindicatio?* — R. Est alicujus mali pœnalis pro peccato ad bonum finem inflictio. Quæ quidem vindicatio nomine Dei fit. — Receditur ab hac virtute per excessum, ob crudelitatem et sævitiam; et per defectum, ob nimiam in puniendo remissionem.

332. Q. 8° *Quid est pœnitentia?* — R. Est virtus, qua homo movetur ad peccatum suum ut Dei offensam detestandum, cum emendationis et satisfactionis proposito (1). Fluit ex justitia vindicativa, quatenus hæc respicit peccata propria subjecti, cui inest.

333. Q. 9° *Quid est veritas?*—R. *Veritas* accepta pro virtute, seu *veracitas*, est virtus moralis inclinans ad verum, juxta mentem loquentis, proferendum. — Objectum *materiale proximum* est veritas enuntiationis : veritas, inquam, saltem a loquente existimata : *remotum* vero, veritas rei enuntiatæ. — Objectum *formale* est debitum honestatis, quo verum dicere tenemur, respectu societatis humanæ, atque convictus, ut homo homini tuto possit credere.

334. Officia veracitatis sunt : 1) priusquam affirmes vel neges quidpiam, veritatem inquirere; 2) præcipitantiam, temeritatem et deceptionem cavere; 3) fideliter mentem exprimere, *cum ratio et occasio id postulant*. Hæc additur restrictio; quia officium veracitatis non requirit, ut semper et ubique veritas pandatur; opus enim est aliquando veritatem quampiam silere et occultare. — Vitia veritati opposita sunt : *mendacium* et *hypocrisis*, *jactantia* et *ironia*.

335. Q. 10° *Quid est affabilitas?* — R. *Affabilitas*, quæ *amicitia* quoque, externa nempe et lato sensu, dicitur, est virtus conversationem cum proximo, in affatu aliisque rebus, gratam et comem efficiens.

(1) Cf. supra, *De Pœnit.* Introduct. § III, n. 7. — S. Thom. p. 3, q. 85.

336. Vitium oppositum per excessum est *adulatio* vel *blanditia*, nimia nempe et indecora ad homines accommodatio.— Vitium per defectum est *asperitas conversationis*, molestiam et tædium proximis afferens.

337. Q. 11° *Quid est liberalitas?* — R. Est virtus, quæ in elargiendis pecuniis, affectum et usum, secundum rationis dictamen moderatur. Nomine pecuniarum omnia bona temporalia externa comprehenduntur.

338. Vitia opposita sunt: *avaritia*, sive *illiberalitas*, per defectum; et *prodigalitas*, per excessum.

ARTICULUS III.

DE RELIGIONE.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est Religio?* — 2° *Quodnam est hujus virtutis objectum?* — 3° *Quomodo distinguuntur ejus actus?* — 4° *Quid est devotio?* — 5° *Quid oratio?* — 6° *Quæ sunt orationis species?* — 7° *An oratio est necessaria ad salutem?*—8° *Quænam sunt per orationem petenda?* — 9° *Quinam sunt orationis effectus?* — 10° *An oratio est infallibiliter impetratoria?* — 11° *Quid est laus Deo præstita?* — 12° *Quid est signum Crucis?* — 13° *Quid est adoratio?* — 14° *Quid est sacrificium?* — 15° *Quid juramentum et adjuratio?* — 16° *Quid est votum?* — 17° *Quid est vita religiosa?* — 18° *Quid est status religiosus?* — 19° *Quid est perfectio christiana?* — 20° *Quid est status perfectionis?* — 21° *Quinam fideles in statu perfectionis existunt?* — 22° *Quæ sunt vitia Religioni opposita?*

339. QUÆR. 1° *Quid est Religio?* — R. Religionis nomen triplici præsertim sensu accipitur: 1) pro complexione omnium officiorum hominis erga Deum, 2) pro virtute peculiari, 3) pro statu religioso. — De Religione primo sensu accepta, actum est Tractatu *de Religione christiana;* in præsenti, de *virtute Religionis* est agendum, deque *statu Religioso*, qui in illa fundatur.

340. Virtus religionis inter partes Justitiæ primum locum obtinet, quippe quæ primum et summum debitum, quod in creatura rationali oriri possit, respiciat. Est enim justitia

quædam creaturæ ad Deum, qua hæc suo Creatori debitum cultum et honorem persolvit.

341. Religio a Lessio definitur: *Virtus, quæ cultum debitum Deo, tanquam primo rerum omnium principio, exhibet.*—Alias describitur: *Virtus, inclinans voluntatem ad tribuendum cultum latriæ Deo debitum* (1).

342. Dicitur *virtus*, scilicet moralis, sed affinis theologicis ratione objecti, quod ad Deum spectat, quodque est, non quidem ipse Deus, sed cultus Deo debitus. — Dicitur, quæ exhibet *cultum*, i. e. honorem, cum quadam nostri submissione præstitum; quam submissionem honor in genere non includit. Honor enim generatim nihil est aliud, quam testimonium excellentiæ alterius; sive id verbis, sive gestu corporis, sive rebus externis proferatur. Hinc Deus *honorat* Sanctos, non tamen *colit.*—Dicitur, *Deo debitum*; quod fundatur in infinita excellentia Dei, et essentiali creaturæ rationalis, omniumque bonorum ejus, dependentia a Deo. — Itaque illis verbis, *tanquam primo rerum omnium principio*, significatur simul causa, cur Deus cultu sit dignus, et cur cultus a creatura Deo sit debitus.

343. Ut hæc melius intelligantur, notandum est, in officio religionis quatuor actus spectari posse: qui quo perfectius eliciuntur, eo perfectior hujus virtutis functio evadit. Primus est consideratio infinitæ majestatis Dei, et summæ omnium creaturarum a Deo dependentiæ. Secundus, consideratio nostri nihili, ita ut intime sentiamus ex nobis nihil nos esse, nihil habere; sed quidquid sumus et habemus, Dei esse, et a Deo assidue pendere. Tertius, profunda mentis submissio et inclinatio coram Deo, qua utramque illam veritatem, i. e. Dei infinitam præstantiam et nostram vilitatem, interius confiteamur. Quartus, earumdem veritatum professio externa, verbis, gestu corporis, aliisve modis exhibita.

344. Q. 2° *Quodnam est hujus virtutis objectum?* — R. Objectum *materiale* est cultus divinus, sive actus reverentiæ et honoris Deo tribuendi. — *Formale* est ratio debiti erga Deum. Hinc patet, quomodo religio differat a virtutibus theologicis et speciatim a charitate: in colendo nempe Deo,

(1) Cf. tom. I, *De Incarn.* n. 347.

opus divini cultus amplectimur quidem propter Dei excellentiam, sed mediante ratione debiti : i. e. amplectimur, quia Deo cultus ille debetur; in diligendo autem Deo, immediate amplectimur Deum ipsum propter ejus bonitatem, quin ad rationem debiti respiciamus.

345. Q. 3° *Quomodo distinguuntur actus Religionis?* — R. 1) Alii sunt *interni*, quibus cultus internus continetur ; alii *externi*, quibus constituitur cultus externus. 2) Alii sunt *eliciti* et alii *imperati*.

346. Actus *interni* sunt duo : *devotio* et *oratio*. — Actus *externi* sunt : *adoratio, sacrificium, oblatio, votum, juramentum, adjuratio, Dei laudes, signum Crucis.*—Notandum tamen, hos actus appellari internos et externos, non quia mere tales sunt, sed eo quod præcipua parte sint, vel interni, vel externi.

347. Actus proxime et *physice elicitus* a virtute religionis est *devotio.* — Actus *moraliter eliciti* a religione sunt : *oratio, adoratio, genuflexio*, etc. Duplici scilicet modo dicitur actus elicitus ab aliqua virtute : 1) *physice simul et moraliter ;*—2) *moraliter tantum :* cum nimirum actus virtutis physice quidem elicitur ab alia potentia proxima, quam ea in qua residet illa virtus ; sed tamen ex fine et honestate ejusdem virtutis movente.

348. Actus *imperati* religionis sunt omnes ii, qui ab alia virtute eliciuntur, et simul ex honestate religionis perficiuntur : ita eleemosyna erit actus religionis imperatus, si simul ad finem eleemosynæ proprium, et in augmentum cultus divini ordinetur. — Hinc colligitur, studium, laborem, actionesque omnes, quæ in Deum referri possint, actus religionis, vel elicitos, vel imperatos esse posse; si videlicet in Dei obsequium et gloriam referantur, juxta illud I Cor. X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* — In hunc quoque sensum S. Thomas explicat verba Jac. I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo ;* nimirum hujusmodi actus *religio* vocantur, eo quod religio eos imperet.

349. Q. 4° *Quid est devotio?* — R. Accipitur dupliciter : 1) pro speciali actu religionis : et sic devotio nihil est aliud, quam interna quædam sui ad cultum divinum oblatio atque traditio. Unde definitur a S. Thoma : *Actus voluntatis hominis, offerentis se ipsum Deo ad ei serviendum.* Hujusmodi oblatio per tria vota religionis præstantissime perficitur.

350. 2) Accipitur, non pro actu peculiari, sed pro conditione quadam actus interni, et est : *Promptitudo quædam et fervor affectus ad cultum divinum*, v. g. ad orationem, ad Dei laudes, ad solvenda vota, etc. — Requiritur promptitudo, ut superentur difficultates ; et fervor in affectu, ut absit tepiditas.

351. Devotio, hoc secundo sensu accepta, distinguitur præcipue duplex : *substantialis*, quæ devotio proprie dicitur, sita in *voluntate* prompta ac parata, ad omnia quæ divini obsequii sunt ; et *accidentalis*, seu sensibilis, quæ improprie devotio dicitur, sita in spirituali *consolatione*, quæ in Dei obsequio *sentitur*.

352. Causa devotionis est 1) ex parte Dei, gratia ; 2) ex parte nostra, adhibitio mediorum gratiæ consequendæ, speciatim orationis et meditationis (1).

353. Q. 5° *Quid est oratio?*—R. Oratio in Scripturis figuratur thure, quod divinæ majestati gratissimum adoletur. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo.* Ps. CXL. — Joannes, Apoc. V, 8, vidit coram Agno phialas aureas plenas odoramentorum, *quæ sunt*, inquit, *orationes sanctorum.*

354. Oratio definiri potest : *Desiderii coram Deo explicatio, ut aliquid ab ipso impetremus.* — Colligitur hæc definitio ex SS. Patribus.—S. Basilius, Orat. in Julitam Mart., *Oratio*, ait, *est boni cujusdam petitio, quæ a piis ad Deum effunditur.*—S. Damascenus : *Oratio est elevatio mentis in Deum, sive decentium a Deo petitio.* De fide orth. l, 3, c. 24. — S. Greg. Nyssenus, Orat. l. de or. dominica, et S. Chrysostomus, l. 1, De orando Deo, aiunt, *orationem esse colloquium cum Deo.* — Hinc quoque oratio describitur a Canisio : *Mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis aliisque petimus, vel Deo benedicimus.* Ex ultimis hujusce descriptionis ver-

(1) De devotionis effectibus Cf. S. Thom. q. 82, art. 4,; S. Franc. Sales. *Introduct. ad vitam devotam*, part. 1.

bis patet, ad *orationem* referri *laudem* et *gratiarum actionem* Deo exhibitas, quæ fere semper petitioni miscentur, ad quam pertinent tanquam partes ejus subjectivæ, vel species.

355. Ex definitione sequitur, in oratione tres actus spectari posse : 1) desiderium, 2) ejusdem explicationem quamdam practicam seu petitionem, 3) fiduciam, qua nos a Deo exauditum iri confidimus.

356. Q. 6° *Quæ sunt orationis species?* — R. Dividitur oratio, 1) in *mentalem* seu *internam*, quæ solet cum *meditatione* et *contemplatione* conjungi, adeoque cum iis frequenter confunditur; et *vocalem* seu *externam,* qua interna oratio voce vel signo exprimitur ; ita ut externa includat internam. 2) Dividitur in *particularem* et *communem*. 3) In *publicam* et *privatam*. 4) In *continuatam* et *jaculatoriam*.

357. Q. 7° *An oratio est necessaria ad salutem?* — R. Hic duo errores notandi sunt : prior est Messalianorum, sæc. IV, qui dicti sunt Euchitæ, et contendebant, orationem solam ad salutem sufficere ; alter est Pelagianorum, sæc. V, qui, saltem virtualiter, docebant, orationem ad salutem non esse necessariam.

358. Fide autem tenendum est, *orationem adultis ad salutem esse necessariam* (nisi forte vitæ brevitas obstet) ; *nec tamen solam sufficere*. Necessaria intelligitur necessitate medii et præcepti.

359. Orationem solam non sufficere, in comperto est : requiritur enim præterea Baptismus, mandatorum observatio, et, iis qui lapsi sunt, etiam pœnitentia. — Eamdem necessariam esse necessitate præcepti, colligitur ex multis Scripturæ locis, quibus monemur semper orare : *Non impediaris orare semper,* Eccli. XVIII, 22 ; *Oportet semper orare et non deficere*, Luc. XVIII, 1. — Esse vero de necessitate medii, probatur eo, quod auxilia quotidiana necessaria nobis ad salutem sint ; quæ tamen Deus statuit, nisi orantibus et postulantibus, passim non conferre. Idque merito : ut nempe intelligamus, Deum esse, a quo nobis salus et omne bonum proveniat, eique gratias agamus. Quare Dominus ait : *Petite et dabitur vobis.* Matth. VII, 7 (1).

(1) Quando præceptum orandi obliget; quomodo sit orandum, et semper

360. Q. 8° *Quænam sunt per orationem petenda?* — R. Ex oratione Dominica patet, ea determinate a fidelibus petenda esse, quæ ad finem ultimum pertinent, vel ad illius consequendi media : nimirum quæcumque bona, non solum spiritualia, sed etiam temporalia (1), dummodo honesta sint, et in iis finis ultimus non ponatur : *Hoc licet orare, quod licet desiderare*. August. Epist. 121.

361. Q. 9° *Qui sunt orationis effectus?* — R. Hi quatuor : mereri, impetrare, satisfacere, et spiritualem animo consolationem præstare. Omnes tamen hi effectus non ex omni oratione colliguntur. — Porro effectus suos oratio non producit ex opere operato; sed tantum ex opere operantis. Ea tamen oratio, quæ funditur nomine Ecclesiæ, valet et impetrat independenter a dignitate hominis orantis, eo quod Ecclesiæ, i. e. dilectissimæ Christi Sponsæ oratio sit.

362. Q. 10° *An oratio est infallibiliter impetratoria?*—Resp. affirmative, vi promissionis Christi; modo debitis conditionibus sit prædita (2), quæ sunt ad summum quatuor : ut orans *pro se*, *necessaria ad salutem*, *pie* et *perseveranter* postulet. — Dixi : ad summum; quia probabilis sententia est, primam conditionem non requiri, sed promissionem Domini esse universalem, sive quis pro se, sive pro aliis oret : *Quodcumque petieritis* .. Joan. XIV, 13. Et Jac. V, 16 : *Orate pro invicem, ut salvemini* (3).

363. Q. 11° *Quid est laus Deo præstita?* — R. Est locutio, qua excellentiam et beneficentiam Dei cum honore profitemur. *Verbis autem ad Deum utimur, non quidem ut ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus; sed ut nosmetipsos et alios audientes ad ejus reverentiam inducamus* (4).

orandum; quæ utilitas orationis vocalis, etc., vid. apud TT. moral. et S. Thom. 2. 2, q. 83. — (1) Et quidem, juxta Suarez, hujusmodi bona, ut valetudo, scientia, etc., etiam *absolute* peti possunt. Quamvis enim perfectius sit, res temporales petere sub conditione *dummodo prosint*, vel non *noceant saluti;* licet tamen ab illa conditione præscindere : quandoquidem bonum quod petitur, quatenus honestum, fini ultimo *per se* non est contrarium; sed tanquam medium ad illum adhiberi potest. Cf. Suar. tom. 13, *De Orat.* cap. 17, 18.

(2) S. Thom. q. 83, a. 15 ad 2. — (3) Cf. Suar. *De Relig.* tract. 4, lib. 1, c. 27. Tom. 14 (edit. Vivès). — (4) 2. 2, q. 91, a. 1.

Quo spectant illa Ps. XXXIII: *Semper laus Ejus in ore meo... Audiant mansueti et lætentur. Magnificate Dominum mecum.*— Est autem Deus a creaturis suis laudandus dupliciter: *sermone*, seu simplici locutione, et *cantu*. Sicut enim laus vocalis ad hoc necessaria est, ut affectus ipsius laudantis excitentur in Deum; ita salubriter cantus assumitur, ut etiam animi aliorum ad devotionem magis provocentur. Unde Augustinus de se ipso narrat, Confess. l. 9, c. 6: *Flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus.*

364. Q. 12. *Quid est signum Crucis?* — R. Est signum hominis christiani, quod manu dextera in fronte et pectore, vel etiam in labiis, sub invocatione SS. Trinitatis, formatur. — Habet simul rationem signi, orationis, laudis, et professionis fidei.

365. Origo signi Crucis ad ipsius christianæ religionis originem est referenda; ejusque usum inde a primis temporibus invaluisse, antiquissimi scriptores testantur. Tertullianus, De corona milit. c. 3: *Ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* — S. Hieronymus ad Eustochium scribit: *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat Crucem.*

366. Q. 13° *Quid est adoratio?* — R. Quatenus religionis actus, est testimonium excellentiæ divinæ, cum aliqua submissionis nostræ nota, ut est v. g. genuflexio; quo cultu Magi *procidentes adoraverunt* Christum, Matth, II, 11. — In Scripturis tamen adorationis vox sæpe latius accipitur, pro cultu duliæ, quo v. g. Josue *adoravit angelum*, Jos. V; item pro cultu civili, quo modo Bethsabee *adoravit regem*, III Reg. I (1).

367. Q. 14° *Quid est sacrificium et oblatio?*—R. *Sacrificium* quandoque generaliter et improprie accipitur, pro omni opere bono, quod ad honorem Dei refertur, ut Ps. L: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* — Proprie et stricte dictum, sacrificium definiri potest: Oblatio externa, soli Deo facta per legitimum ministrum, qua res aliqua sensibilis et permanens consecratur, perimitur, aut aliter immutatur, in pro-

(1) Cf. infra, tract. *De novissimis*, cap. 2, art. 3, n. 124 seqq.

testationem supremi Dei dominii, nostræque erga illum subjectionis (1).

368. *Oblatio* est generatim omnes actio, qua in cultum Dei aliquid offertur ac dicatur: speciatim tamen, prout a sacrificio differt, quod et ipsum est quædam oblationis species, simplex oblatio est ea actio, qua aliquid ita Deo offertur, ut integrum maneat divino cultui deputandum, vel in usus ministrorum expendendum: quin fiat sacrificii materia.

369. Q. 15° *Quid est juramentum et adjuratio?* — R. *Juramentum* est invocatio divini testimonii, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam: seu, invocatio Dei in testem. — Juramentum, rite adhibitum, est cultus latriæ: per hoc enim tacite testamur, Deum rerum humanarum providentiam gerere, et cognitionem potestatemque suam ad cuncta protendere.

370. *Adjuratio* ille religionis actus est, quo, per divini Nominis obtestationem, deprecando vel imperando, alium ad aliquid faciendum vel omittendum inducimus seu movemus. Scilicet, dum adjuramus aliquem, Deum ipsum ejusque numen, quantum in nobis est, in medium proferimus, ut ejus reverentia, timore vel amore, alterum, ad id quod petimus, permoveamus. Sic Paulus adjurat Timotheum, II Tim. IV, 1: *Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos; per adventum ipsius et regnum ejus: prædica verbum, insta...* — Dividitur adjuratio 1) in *explicitam* et *implicitam;* 2) in *deprecativam* et *impulsivam;* 3) in *solemnem* et *particularem.* — Adjurationes adversus dæmones vocantur *exorcismi*, præsertim cum solemnes sunt. Hujusmodi exorcismi solent Episcopis reservari; particulares autem adjurationes, quæ fiunt adhibendo aquam benedictam, preces, signum Crucis, unicuique licent.

371. Q. 16° *Quid est votum?* — R. Votum, ut est actus virtutis religionis, definitur: *Promissio Deo facta de meliore bono, quod est in potestate voventis.* — Inter varias voti species, distinguitur *simplex* et *solemne.* — *Solemne* vocatur votum, quod *per se* statui immutabili amplectendo conjunctum est:

(1) Cf supra, *De Euchar.* part. 2, cap. 1, n. 260.

v. g. illud, quod ex Ecclesiæ decreto adnexum est susceptioni Ordinis sacri, per quem homo statui ecclesiastico immutabiliter dedicatur; item quod professione Religionis approbatæ continetur (1). — *Simplex* est omne aliud votum, quamtumvis perpetuum sit; quale est etiam professio Religionis, non solemniter approbatæ.

372. Q. 17° *Quid est vita religiosa?* — R. Vita religiosa, ita antonomastice dicta, est ratio vivendi hominis, qui consilia evangelica, i. e. voluntariam paupertatem, perfectam castitatem, et obedientiam perpetuam servando, omnia virtutis impedimenta removet, ut sese totaliter divino servitio mancipet, et quasi holocaustum Deo offerat (2).

373. Q. 18° *Quid est status religiosus?* — R. Status religiosus est ipsa vita religiosa, voto firmata. — Vocatur quoque a S. Thoma *quædam disciplina, vel exercitium ad perfectionem perveniendi* (3). — Ad perfectionem autem alii aliis mediis tendunt: hinc religiosorum Ordinum diversitas.

374. At diversi Ordines non sunt nisi diversæ formæ ejusdem religiosi status, qui certas et immutabiles conditiones requirit: nimirum, *tria vota paupertatis, castitatis, et obedientiæ, eaque perpetua, et ab Ecclesia acceptata.*

375. Dicitur requiri *tria vota*: nam *vita* religiosa in observatione consiliorum fundatur; ergo eadem observatio ad *statum* religiosum requiritur. — Deinde tripliciter considerari status religiosus potest: ut *holocaustum*, quo homo omnia sua Deo consecrat; ut *exercitium* ad perfectionem juvans; ut *remotio impedimentorum* salutis: atqui ad unumquodque ex his tribus, tria vota requiruntur. — Nec sufficit trium consiliorum observatio sine voto: sic enim statum non constituit, cum careat firmitate, quæ ad statum requiritur: siquidem status est *vitæ conditio stabilis.*

376. Dicitur requiri *vota perpetua:* quia homo non perfecte dedicatur Deo, cum libertatem resiliendi sibi retinet, nec totam vitam suam Deo consecrat.

377. Dicitur requiri vota *ab Ecclesia acceptata:* ad statum enim religiosum, *saltem perfectum*, necessaria est Ecclesiæ

(1) Cap. unico, *De voto et voti redempt.* In Sexto.
(2) Cf. 2. 2, q. 186, a. 1. — Suar. t. 14, l. 2 et 3. — (3) Cf. Suar. ibid.

approbatio, et votorum admissio nomine Ecclesiæ. Hæc autem conditio impletur, per ipsam votorum nuncupationem in Ordine ab Ecclesia approbato (1).

378. Q. 19° *Quid est christiana perfectio?* — R. (2) Perfectio christiana hujus vitæ, essentialiter et præcipue in charitate consistit. Cum autem charitas dependeat essentialiter a Dei mandatis servandis, accidentaliter vero et instrumentaliter a consiliis Evangelicis; ideo ipsa perfectio essentialiter in præceptis, accidentaliter atque instrumentaliter in consiliis observandis est reponenda.

379. Dicitur *perfectio christiana hujus vitæ:* quia ad hanc restringitur nostra quæstio. Non enim quærimus de perfectione hominis generatim: quæ est *illud bonum hominis, quod est homini optimum;* nec de perfectione christiani hominis finali, seu *in altera vita:* quæ *cœlestis beatitudo* est; sed quærimus de perfectione *in hac vita*, qua homo ab beatitudinem tendit.

380. Hæc dicitur *consistere in charitate*. Quod fide certum est: *Plenitudo legis est dilectio*. Rom. XIII, 10.—*Super omnia... charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Coloss. III, 14. Et quidem, tunc unaquæque res, ordinata ad finem, perfecta est, quando suo fini conjungitur; sed homo conjungitur suo fini, i. e. Deo, per charitatem; ergo. *Minor* patet ex I Joan. IV, 16: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* — Quod si objicias, perfectionem potius consistere in gratia, cum habitus gratiæ sit simpliciter habitu charitatis perfectior; resp. 1) cum dicimus *charitatem*, non excludimus *gratiam*, quæ ab illa separari non potest. 2) Dici potest, perfectionem vitæ spiritualis in *gratia* consistere, accipiendo *vitam* spiritualem pro spirituali *esse;* in *charitate* autem, accipiendo *vitam* spiritualem pro *principio* proximo spiritualium actionum. Habet enim se gratia uti natura, et charitas ut principium proximum, seu potentia operandi in ordine spiritualium (3) seu supernaturalium rerum.

(1) Cf. Lessius, *De statu relig.* dub. 1. — Suar. t. 14, lib. 2.
(2) Cf. S. Thom. 2. 2, q. 184. — Suarez. t. 14, l. 1, c 1-14. — Valentia. tom. 3, disp. 10, q. 2.
(3) Cf. supra, *De gratia*, nn. 314, 315.

381. Dicitur : in charitate *essentialiter;* quia sine charitate nulla perfectio, imo ne vita quidem christiana esse potest, quæ in gratia sanctificante consistit : *Si charitatem non habuero, nihil sum.* I Cor. XIII, 2. Cf. I Joan. III, 14.

382. Dicitur : in charitate *principaliter*, non vero *totaliter;* quia, licet *finis præcepti sit charitas*, I Tim. I, 5; aliæ tamen virtutes, præsertim vero illæ, quæ consilia evangelica vocantur, multum etiam ad vitam christianam ejusque perfectionem conferunt : vel ut instrumenta charitatis, vel ut accidentia essentialis perfectionis, vel ut principia meriti.

383. Sequitur : ipsa autem charitas *essentialiter* dependet a mandatorum custodia : hac enim custodia sola peccatum mortale vitatur, quod destruit charitatem : *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Joan. XIV, 21 — *Accidentaliter* et *instrumentaliter* pendet a consiliis : quatenus consilia accidentalem quemdam splendorem addunt charitati, et simul ejusdem augendæ perficiendæque optima sunt media. Per ea enim removentur charitatis impedimenta, ut mentis attentio et cordis affectus libere ac totaliter ad Deum dirigantur.

384. Quare in descriptione additur, ipsam *perfectionem essentialiter in præceptis servandis* consistere. Hæc est *perfectio essentialis*, quæ etiam *perfectio status*, et *communis* vocatur ; quæque adæquate sumpta, omnia præcepta etiam levia, omnesque obligationes cuique statui annexas respicit. Cf. Matth. V. 48.

385. Consistit vero *accidentaliter* et *instrumentaliter in consiliis :* hæc est *perfectio accidentalis*, quæ etiam *specialis* dicitur, quæque non vulgo ad omnes, sed ad selectas personas pertinet : *Si vis perfectus esse, vade et vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.* Matth. XIX, 21.

386. Ex dictis patet, christianam perfectionem in hac vita esse duplicem : unam, qua homo vitat omnia quæ cum Charitate pugnant, præsertim peccata mortalia ; alteram, qua vitat non solum hæc, sed etiam omnia quæ possunt esse impedimento homini, quominus mens ejus libere et expedite feratur

in Deum. Primam omnes *incipientes* et *progredientes*, secundam *perfecti* et vere *religiosi* assequuntur.

387. Q. 20° *Quid est perfectionis status?* — R. Est status vitæ, in Christi Ecclesia ad perfectionem ordinatus.

388. Status vitæ in Ecclesia Christi duplici modo dividitur : 1) prout dirigitur ad commune bonum, dividitur in *clericalem* et *laicum;* 2) prout dirigitur ad spirituale singulorum bonum, in *statum vitæ communis* et *statum perfectionis.*

389. Status vitæ communis non obligat ad consilia evangelica, licet horum custodiam non prohibeat. — Status perfectionis mandatis addit consilia. — Hi duo status, qui distinguuntur inter se sicut includens et inclusum, omnes reliquos status comprehendunt. Quare subdivisio, qua S. Augustinus distinguit statum vitæ christianæ in quatuor membra : conjugatorum, clericorum, religiosorum et Episcoporum ; in prædicta bimembri divisione continetur.

390. Status perfectionis describi potest : *Quidam vivendi modus, firmus et stabilis, ad propriam vitæ christianæ perfectionem assequendam et exercendam institutus.* — Ex hac descriptione patet, 1) perfectionis statum non esse ipsam perfectionem; sed ad eam comparari sicut actum primum ad secundum, aut tanquam medium ad finem. 2) Perfectionis statum ordinari ad charitatem, in qua perfectio christiana sita est. 3) Perfectionis statum habere officium duplex, eaque ratione distingui posse duplicem : statum perfectionis *acquirendæ*, et statum perfectionis *acquisitæ* vel *exercendæ.* — Sequitur 4) statum perfectionis includere consilia evangelica. Est enim *institutus ad propriam Christianæ vitæ perfectionem*, i. e. ad illam perfectionem proprie dictam et specialem, quæ non præcise in charitate, sed in perfectione charitatis consistit. Porro perfectio charitatis requirit habitum ita dispositum, ut prompte, et sine impedimento ex parte subjecti, possit elicere et imperare actus. Quæ dispositio ordinarie non acquiritur, nisi per consiliorum observationem, saltem eam, quæ cujusque conditioni v. g. paupe-

rum, divitum, clericorum, conjugatorum, etc. proportionata sit (1).

391. Q. 21° *Quinam fideles in statu perfectionis existunt?* — R. In statu perfectionis *acquirendæ* versantur omnes illi, qui se perpetuis votis ad consiliorum observationem adstrinxerunt : tales sunt omnes religiosi.

392. In statu perfectionis *acquisitæ* vel *exercendæ* sunt ii, quibus ratione status talia munera incumbunt, quæ continuum exercitium charitatis requirant : hujusmodi sunt Episcopi (2).

393. Reliqui autem sacerdotes, et clerici, in *statu* perfectionis *simpliciter* non sunt; quamvis *interiore perfectione* pollere debeant, ut digne sacrorum ordinum actus exerceant. Imo, propter hanc sacri ministerii dignitatem, major clerico sanctitas inesse debet quam simplici religioso, qui clericus non sit. Etenim, ut ait S. Thomas, *per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in Sacramento altaris, ad quod requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam religiosus status* (3); cum hic per se non sit nisi tendentia ad perfectionem, et exercitium perfectionis acquirendæ.

394. Q. 22° *Quæ sunt vitia Religioni opposita?* — R. Hæc ad duo generatim reduci possunt : *irreligiositatem*, quæ secundum defectum; et *superstitionem*, quæ secundum excessum Religioni opponitur (4).

(1) Cf. Suar. t. 14, l. 1, c. 10, 11.
(2) 2. 2, q. 184, a. 5.
(3) 2. 2, q. 184, a. 8. — Suar. t. 14, l. 1, c. 17.
(4) Cf. S. Thom. 2. 2, qq. 92 ad 100.

ARTICULUS IV.

DE FORTITUDINE (1).

QUÆSTIONES.

1° *Quid est Fortitudo? — 2° Quodnam est Fortitudinis objectum? — 3° Quid est martyrium? — 4° Quæ sunt conditiones ad martyrium requisitæ? — 5° Qui sunt effectus martyrii? — 6° Quæ sunt vitia Fortitudini opposita? — 7° Quæ sunt partes Fortitudinis? — 8° Quid est fidentia, securitas, magnanimitas et magnificentia? — 9° Quid patientia et longanimitas? — 10° Quid perseverantia et constantia? — 11° Quæ sunt vitia his virtutibus opposita?*

395. QUÆR. 1° *Quid est Fortitudo?* — R. Nomen *fortitudinis* accipitur dupliciter, generatim et speciatim. *Generatim* accepta, fortitudo est *firmitas animi in operando bono.* Hoc sensu est vel virtus generalis, vel potius conditio cujuslibet virtutis. — Accepta *speciatim*, est virtus specialis, dignitate tertia inter quatuor cardinales, pertinens ad appetitum irascibilem, et definiri potest : *Virtus moralis, quæ in aggrediendis et sustinendis propter Deum rebus arduis, ut pericula mortis sunt, animi passiones, et inde consequentes actiones moderatur.* Vel juxta Lessium : *Virtus, quæ motus animi in rebus terribilibus, præsertim periculis mortis, sustinendis vel repellendis, moderatur.*

396. Q. 2° *Quodnam est Fortitudinis objectum?* — R. Objectum *materiale remotum* sunt res arduæ vel difficiles, præcipue pericula mortis; — objectum *materiale proximum* est motuum timoris et audaciæ, atque etiam tristitiæ, moderatio : dum enim difficultas superari non potest, fortitudo tristitiam in sustinendo et patiendo suboriri solitam moderatur.

397. Objectum *formale* est honestas, quam continet firma animi in arduis aggrediendis sustinendisque constantia. Igitur duplex est actus fortitudinis, *aggredi* et *sustinere* cum animi firmitate; ut recte dicatur, gladius simul et clypeus animi esse fortitudo.

(1) Cfr 2. 2, q. 123 ad 140.

398. Animadvertendum est, actiones externas, et passiones animi internas, ad virtutem se habere instar materiæ; sicut ex. gr. se habet lignum et æs ad artem statuariam. Quemadmodum enim statuaria eo spectat, ut æri vel ligno quamdam sui similitudinem imprimat: ita virtus moralis eo tendit, ut affectionibus animi, externisque actionibus, speciem sui, juxta capacitatem materiæ, inserat. — Rursus, sicut proprium artis statuariæ opus, non est ipsum lignum vel æs, sed forma statuæ, hisce aut similibus corporibus, tanquam materiæ cuidam impressa; atque etiam compositum ex tali forma et materia conflatum, quod artis illius proprium objectum et finis est; ita proprium fortitudinis opus non est timere, vel audere, vel aggredi periculum; sed quando timendum vel audendum est, in his actibus rectitudinem rationis quodammodo inserere. Est igitur opus ejus quoddam veluti compositum, ex passionibus illis timoris, audaciæ, vel iræ, et rectitudine rationis eas temperante, conflatum; ita ut fortitudinis sit, timere, audere, aggredi *moderate*, id est, secundum rationis regulam, *ut fortem decet.*

399. Q. 3° *Quid est martyrium?* — R. Martyrium, præcipuum fortitudinis opus, est *perpessio mortis, vel cruciatus de se lethalis, pro Christi fide, aut virtute christiana* (1).

400. Duplex martyrium agnoscit Ecclesia, alterum adultorum, alterum infantium. — Martyrium adultorum est perfectum et formale, situm in voluntaria, propter fidem aut christianam virtutem, supplicii lethalis acceptatione ac tolerantia. — Martyrium parvulorum, qui ante usum rationis occiduntur propter fidem, consistit in eo, ut *innocentes martyres præconium Dei, non loquendo, sed moriendo confiteantur.* Quod quidem materiale duntaxat martyrium *per se* est, cum nequaquam voluntate morientis perficiatur; at peculiari Dei gratia, defectum voluntatis parvulorum Christi merita supplent, et Deus illam mortem instar formalis martyrii acceptat. — Cum autem non parvulorum, sed adultorum martyrium sit opus fortitudinis; ideo præsens quæstio præcipue circa martyrium adultorum versatur.

(1) Wirceb. *de Baptismo*, n. 75.

401. Q. 4° *Quæ sunt conditiones ad martyrium requisitæ?*— R. Ad martyrium parvulorum non requiritur aliud, quam ut in odium christianæ religionis, aut virtutis, occidantur. Ad martyrium autem adultorum, ut sit quale oportet ad salutem, et vicem Baptismi fluminis, si opus sit, gerat, quinque requiruntur: 1) *mortis irrogatio:* ut nempe odio Christi, vel religionis christianæ, vel alicujus veritatis fidei, vel propter opus virtutis, pœna lethifera infligatur. Dixi *odio Christi*, etc.; scilicet propter causam Christi: quæ essentialis est; nam, ut S. Augustinus ait (1), *martyres non facit pœna, sed causa.*— Dixi: *pœna lethifera:* i. e. per se causa mortis, licet mors per accidens non sequatur. Hinc Lessius quatuor gradus martyrii distinguit, quorum summus et perfectus mortem formalem postulat.—2) Ut pœna illa ex pia causa acceptetur. 3) Ne adversus persecutores, seu pœnam infligentes, resistentia adhibeatur. 4) Ut veritas, propter quam pœna infertur, fide teneatur a patiente. 5) Ut status gratiæ, vel saltem, legitima ad gratiam dispositio habeatur. Nam Apostolus, I Cor. XIII, martyrium sine charitate nihil prodesse testatur. — Quæritur autem hic, utrum dispositio illa (si patiens in mortali versetur) contritionem perfectam debeat complecti; an sufficiat simplex attritio? Probabilior est sententia S. Thomæ, sufficere attritionem in martyrio, sicut in Baptismo adultorum: *Nam passio*, ait, *pro Christo suscepta, obtinet vim Baptismi, et ideo purgat ab omni culpa veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem* (2).

402. Q. 5° *Qui sunt effectus martyrii?* — R. Gratia sanctificans prima vel augmentum ejus; remissio omnis culpæ et pœnæ; et præterea aureola (3) gloriæ specialis.

403. Q. 6° *Quæ sunt vitia Fortitudini opposita?*— R. Opposita per excessum sunt: *timiditas*, excedens in timendo; et *nimia audacia*, sive *temeritas.* — Opposita per defectum sunt: *defectus justi timoris;* et *ignavia*, in audendo deficiens.

404. Q. 7° *Quæ sunt partes Fortitudinis?* — R. *Subjectivas* partes fortitudo proprie non habet; quia ipsa est species, ut

(1) *Serm.* 2 *in Ps. XXIV*, n. 13.
(2) 3 p. q. 78, a. 1 ad 2.— (3) Infra *De Novissimis*, cap. 1, art. 3, n. 98.

aiunt, *specialissima;* cum versetur maxime circa pericula mortis, quæ omnia sunt ejusdem generis, licet alia aliis majora. Hoc tamen intellige de fortitudine unius ordinis: nam si diversos virtutum ordines spectemus, duplex erit fortitudinis virtus: alia *naturalis*, qualis potest esse sine fide; alia *supernaturalis*, quæ fidem et affectum supernaturalem supponit. et prudentia supernaturali ut regula utitur.

405. Partes *integrantes*, quæ scilicet necessariæ sunt ad integrum fortitudinis officium, sunt quatuor: *fidentia*, *magnificentia*, *patientia* et *perseverantia.*

406. Partes *potentiales*, quæ nimirum virtutem fortitudinis in materia minus difficili imitantur, sunt quatuor, quos modo diximus : prout in rebus difficilibus, non tamen ad pericula mortis pertinentibus, versantur. Ad illas quatuor referri possunt quatuor aliæ : *magnanimitas*, *securitas*, *constantia*, *longanimitas.*

407. Q. 8° *Quid est fidentia, securitas, magnanimitas, et magnificentia?* — R. *Fidentia* ea virtus est, qua confidimus nos malum imminens superaturos : præstat animi promptitudinem ad periculum adeundum.—*Securitas* est perfectio quædam fidentiæ, inordinatum timorem et anxiam curam excludens.

408. *Magnanimitas* est virtus ad opera magna et heroica, in omni virtutum genere, inclinans. Ex illa procedit rerum magnarum atque excelsarum cogitatio et administratio. Versatur circa res magnas et sumptuosas, honoresque juxta rationis dictamen moderandos. — Strenuitatem in exsequendo suppeditat.

409. *Magnificentia* dupliciter accipi potest : 1) generatim, pro quavis virtute quæ res magnas perficiat : sic est in Deo, in Christo, etc. 2) Pro virtute humana speciali, quæ magnis sumptibus, in materia externa, aliquid magni efficit.

410. Q. 9° *Quid est patientia et longanimitas?* — R. *Patientia* dupliciter accipitur : 1) pro virtute, quæ adversus timores et dolores mortis, malorumque mortem inferentium, animum firmat ; cujusmodi enituit maxime in martyribus : hæc fortitudinis pars integralis est vel, si mavis, ipsa virtus fortitudinis inadæquate sumpta. 2) Pro virtute; quæ in aliis ma-

lis animum confirmat, moderando mœrores ex illis percipi solitos.

411. Virtutis hujus materia *remotissima* sunt ipsa mala toleranda; — *remota*, sunt actiones, verba, gestus externi, quæ hac virtute ita reguntur, ut interna moderatio in eis eluceat; — *proxima*, est tristitia et afflictio animi, quam patientia moderatur, vel plane comprimendo, vel temperando, sicut virum patientem decet. — Hæc moderatio potest fieri dupliciter : 1) ex affectu solius honestatis, quæ in moderatione illa relucet; et hoc modo patientia est virtus specialis, a cæteris distincta. 2) Ex affectu alicujus peculiaris virtutis, quæ per tristitiam et afflictiones oppugnatur; et hoc modo passim accipitur in Scriptura ac Patrum scriptis. Unde patet necessitas patientiæ, quæ ad instar instrumenti est ad reliquas virtutes comparandas. Quare Dominus ait : *In patientia vestra possidebitis animas vestras*, Luc. XXI, 19; — et S. Jacobus : *Patientia opus perfectum habet*. Jac. I, 4.

412. *Longanimitas* est pars patientiæ, vel ipsa virtus patientiæ inadæquate concepta, quatenus nempe versatur circa molestiam, quæ percipitur ex rei exspectatæ dilatione. Sic Deus longanimis dicitur, dum nos ad pœnitentiam invitat et exspectat, moras nostras et tergiversationes tolerat, quæ illi *quodammodo* molestiam afferunt.

413. Gradus patientiæ assignari possunt varii, ex parte, sive malorum, sive modi quo mala perferuntur, sive causæ malorum. — *Ex parte malorum* quæ quis patitur, 1us gradus est, patientem esse in damnis fortunarum; 2us, in detrimentis famæ; 3us, in detrimentis corporis et vitæ : quo pertinet patientia Job, SS. Martyrum, at præsertim Christi, qui in omni patiendi gradu constantia vere divina excelluit. — *Ex parte modi perferendi mala*, 1us gradus est, mala sine murmuratione tolerare; 2us, sine lamentatione et querimoniis apud alios; 3us, cum gaudio, imo cum desiderio plura propter Deum perferendi, quod in Apostolis et multis Sanctis elucet. — *Ex parte causæ malorum*, 1us gradus est, ut patienter feramus ea mala, quæ pro culpis nostris, sive a Deo, sive ab hominibus irrogantur; 2us, ea quæ absque nostra culpa, ab inimicis, vel aliis qui nobis obstricti non sunt, prove-

niunt; 3us, ea quæ inferuntur ab iis, qui beneficiis a nobis affecti fuerunt; 4us, seu potius sub omni respectu summus patientiæ gradus erit, si ejusmodi injuriæ sint maximæ, et eas non solum æquo, sed etiam libenti ac desideranti animo perferamus: ad exemplum Christi patientis, qui passus est pro nobis acerbissima quæque, et nihilominus pro crucifixoribus oravit.

414. Q. 10° *Quid est perseverantia et constantia?* — R. *Perseverantia* dupliciter accipitur: 1) pro continuatione justitiæ usque ad mortem; et sic non est peculiaris virtus, sed conditio quædam seu circumstantia virtutis. Hanc nemo habet complete et in actu secundo, nisi in termino vitæ; estque magnum illud donum proprium electorum, de quo S. Augustinus lib. *De bono perseverantiæ*, et Conc. Trid. Sess. 6. 2) Pro ipso proposito perseverandi in bono opere, quamdiu ratio dictabit. Hoc iterum dupliciter fieri potest: *a*) ex affectu erga honestatem, in opere illo, v. g. jejunio quadragesimali, relucentem; *b*) præcise ex affectu erga talem in bono opere continuationem et perseverantiam. In hoc secundo casu tantum, perseverantia est specialis virtus, et definiri potest: *Virtus conservans animum in bono, contra diuturnitatis molestias.*

415. *Constantia* parum a perseverantia differre videtur, in eaque includi; atque eo præcipue distingui, quod respiciat magis directe difficultates vincendas, ut quis in bono proposito sibi constet et permaneat; perseverantia vero in eo consistat, ut in bene cœptis pergat, eaque usque ad finem continuet.

416. Q. 11° *Quæ sunt vitia his virtutibus opposita?* — R. *Magnanimitati* opponuntur tria per excessum: *præsumptio,* quæ opus perficiendum; *ambitio,* quæ honores; *inanis gloria,* quæ opinionem et famam respicit. — Opponitur et unum per defectum, *pusillanimitas;* quæ tamen tribus vitiis præcedentibus respondet.

417. *Magnificentiæ* opponitur, per excessum, *profusio nimia*: qualem exhibebat ille, qui in filii epulo natali, omnes cibos cum patinis argenteis, ubi referebantur e mensa, projiciebat in Tiberim. — Opponitur per defectum μικροπρέπεια, *parvide-*

centia, qua quis, præ angustia animi, operi magno pares sumptus non facit.

418. *Patientiæ* opponitur per excessum *insensibilitas*, per defectum *impatientia*.

419. *Perseverantiæ* opponitur per excessum *pertinacia*, per defectum *mollities* seu *tædium*, et *inconstantia*.

ARTICULUS V.

DE TEMPERANTIA (1).

QUÆSTIONES.

1° *Quid est Temperantia?* — 2° *Quod est objectum ejus?* — 3° *Quæ est regula Temperantiæ?* — 4° *Quænam sunt vitia Temperantiæ generatim opposita?* — 5° *Quæ sunt partes Temperantiæ?* — 6° *Quid est abstinentia et sobrietas?* — 7° *Quid castitas et continentia?* — 8 *Quid mansuetudo et clementia?* — 9° *Quid modestia, tum interna, tum externa?*

420. QUÆR. 1° *Quid est Temperantia?* — Temperantia, græce σωφροσύνη, dupliciter accipitur: 1) secundum amplitudinem suæ significationis, pro virtute, quæ affectum ab his, quæ ipsum contra rationis præscriptum alliciunt, refrenat; atque ita, si supernaturalis sit, ab *Evangelica abnegatione* non differt. 2) Stricte et antonomastice, pro virtute, quæ refrenat appetitum in his, quæ maxime alliciunt: atque ita est virtus specialis, quarta ex cardinalibus, *moderatrix appetitus concupiscibilis, in delectationibus gustus et tactus*; de qua Aristoteles: *Sicut puerum ad pædagogi præceptum vivere oportet, ita concupiscibilem animæ facultatem rationis imperio obtemperare* (2).

421. Q. 2° *Quodnam est objectum Temperantiæ?* — R. Objectum materiale sunt delectationes corporales, non omnes, sed quæ tactu et gustu percipiuntur, ex esculentis, poculentis, et rebus venereis; et hoc quidem est objectum materiale *remotissimum*.

422. Hic notandum, quasdam *delectationes* esse *spiritales*, et quasdam *corporales*. Spiritales eæ sunt, quæ sequuntur apprehensionem intellectualem, etiam fundatam in phanta-

(1) Cf. S. Thom. 2. 2, qq. 151 ad 170. — (2) *Ethic.* l. 3, c. 12.

sia : ut sunt omnes, quæ ex rerum divinarum, vel naturalium, vel cujusvis veritatis contemplatione; item, quæ ex honoribus, et fabularum narratione nascuntur. — Corporales sunt, quæ capiuntur per sensus externos ; sed neque circa has omnes versatur temperantia ; quia nemo judicatur temperans, aut intemperans, quod aspectu cœlorum et figurarum, vel cantu, vel odoribus, moderate aut immodice delectetur, nisi quatenus hæc ad delectationes gustus vel tactus incitant.

423. Objectum *materiale proximum* est illarum rerum appetitio et delectatio ; *remotius* vero, ipse externus usus.

424. Objectum *formale* est ratio et honestas moderationis, in illis appetitionibus et delectationibus adhibendæ; qualis naturæ humanæ convenit, quæ, complete sumpta, duas quasi partes, animalem et rationalem, simul complectitur.

425. Q. 3° *Quæ est regula Temperantiæ?* — R. A Scriptura et SS. Patribus statuitur, tanquam regula temperantiæ, ipsa *rerum ad hanc vitam, et hujus vitæ officia, pertinentium necessitas*. Hic tamen *necessitatis* nomine intelligunt etiam *utilitatem* et *convenientiam*, spectata loci, personarum et negotiorum occurrentium conditione.

426. Q. 4° *Quænam sunt vitia generatim Temperantiæ opposita?* — R. Hæc duo : *intemperantia*, per excessum ; *stupor* seu *insensibilitas*, per defectum.— Notandum, damnatas esse ab Innoc. XI, 2 Mart. 1679, has propositiones, ordine 8am et 9am : *Comedere et bibere usque ad satietatem*, OB SOLAM VOLUPTATEM, *non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* — *Opus conjugii*, OB SOLAM VOLUPTATEM *exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

427. Q. 5° *Quæ sunt partes Temperantiæ?*—R. Partes, *integrales* sunt *verecundia* et *honestas* (1), quibus integrum officium temperantiæ constat. Hoc enim complectitur fugam turpitudinis intemperantiæ, et amorem decoris temperan-

(1) *Honestas* hic sumitur, ut patet, sensu valde restricto. Nam generatim vocabulum illud significat rationem propriam boni, quod appellatur honestum.

tiæ. Ad fugam illius turpitudinis juvat verecundia; ad amorem hujus decoris, honestas.

428. Partes *subjectivæ*, seu species temperantiæ, sunt: *abtinentia, sobrietas, castitas* et *pudicitia.*

429. Partes *potentiales*, seu virtutes temperantiæ annexæ, sunt: *continentia, mansuetudo, clementia*; — et *modestia* tum interna tum externa, seu: *humilitas*, *studiositas*, *modestia morum*, *modestia cultus* et *eutrapelia.* — Etenim hæ virtutes moderantur cupiditatem circa materias secundarias, triplici scilicet modo: in motibus animi internis, in motibus externis, et in externis rebus.

430. Q. 6° *Quid est abstinentia et sobrietas?* — R. *Abstinentia* sumitur præcipue dupliciter : 1) pro subtractione alimentorum, quæ major sit quam ratio temperantiæ per se postulat; quo sensu est modus vel actus virtutis pœnitentiæ. 2) Pro integra virtute temperantiæ circa cibos; quo sensu hic a S. Thoma accipitur, et definitur: *Virtus moderans concupiscentiam usumque alimentorum, convenienter ad bonum rationis.* — Regulam abstinentiæ tradit S. Augustinus, dicens: *Hoc me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.* Conf. I. 10, c. 31 (1).—Oppositum abstinentiæ vitium est *gula.*

431. *Sobrietas* accipitur tripliciter : 1) generatim, pro virtute temperantiæ; 2) magis stricte, pro temperantia cibi et potus ; 3) proprie, pro moderatione potus inebriantis, et definitur : *Virtus, quæ affectum et usum potionis inebriantis debite moderatur.* — Vitium sobrietati, tertio sensu acceptæ, oppositum est *ebrietas.*

432. Abstinentia et sobrietas simul junctæ, completam in materia gustus temperantiam constituunt. Quare ille homo vere et perfecte temperans dicitur, qui rationis mensuram in cibo et potu constanter servat; neque amplius seu cibi seu potionis assumit, quam corporis constitutio, in ordine ad functiones animi, deposcit.

433. Q. 7° *Quid est castitas et continentia?* — R. *Castitas* accipitur dupliciter: 1) late, vel potius metaphorice; et tunc est

(1) Cf. opusculum egregium Lessii, cui titulus : *Hygiasticon, seu vera ratio corporis animique valetudinis conservandæ.*

puritas animi ab omni amore et delectatione inordinata creaturarum : quo sensu dici videtur ab Apostolo : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* II Cor. XI, 2. 2) Proprie, est *virtus, quæ affectum usumque venereorum excludit, vel debite moderatur.* — Virtus castitati affinis et annexa, est *pudicitia,* quæ connotat pudorem in actibus externis; et *verecundia,* sic specialissime nuncupata, quæ est quidam horror turpidinis obscœnæ. Est species nobilissima illius verecundiæ, de qua præced. Q. 5°, n. 427.

434. Castitas dividitur in *virginalem, vidualem* et *conjugalem;* quarum prima reliquis dignitate antecellit (1).

435. *Castitas virginalis,* ait S. Ambrosius, *est expers contagionis integritas* (2) : i. e. illibata corporis integritas et puritas. — Corporis porro *integritas* ea intelligenda est, quæ per nullam voluntariam obscœnitatem violata sit; *puritas* autem ea, quæ per voluntariam fœditatem nunquam sit polluta. Quare omni voluntaria læsione sive integritatis sive puritatis, virginale decus amittitur ita, ut recuperari non possit (3).

436. *Continentiæ* nomen dupliciter accipitur : 1) *communius,* ut significet virtutem, qua quis ab omni venerea delectatione inordinata sese cohibet; quo modo passim accipitur in S. Scriptura et apud SS. Patres. Sic intellecta, a castitate non differt, atque tres gradus pariter complectitur : continentiæ *virginalis, vidualis* et *conjugalis.* 2) Ut significet firmitatem animi contra passionum impetus; et definitur : *Virtus, disponens voluntatem ad resistendum impulsionibus pravæ concupiscentiæ, præsertim delectationum tactus, et maxime venereorum.* — Vitium oppositum *incontinentia* est.

437. Q. 8° *Quid est mansuetudo et clementia?* — R. *Mansuetudo* est virtus moderatrix iræ, juxta præscriptum rectæ rationis. — Mansuetudini opponuntur, per excessum, *iracundia;* et per defectum, animi *mollitia,* seu nimia indulgentia.

438. *Clementia* est virtus mansuetudini affinis, non tamen eadem. Definiri potest : *Virtus pœnarum mitigatrix, intra limites rectæ rationis.* — Vitia ei opposita, sunt *crudelitas* per

(1) Trid. Sess. 24, can. 10. — (2) Lib. *De virginib.* — (3) Cf. Valentia, t. 3, disp. 9, q. 1, punct. 2.

excessum, et nimia *lenitas* per defectum. — Quandoque clementiæ præponi debet *severitas*, quæ est *inflexibilis animi rigor, nihil de merita vel statuta pœna remittens.*

439. Q. 9° *Quid est modestia, tum interna, tum externa?* — R. *Modestia* generatim est *virtus, qua quis se continet intra modum et limites sibi congruos, quantum ad motus internos et externos, et omnem rerum suarum apparatum.*

440. Species modestiæ numerantur quatuor : 1) *humilitas* et 2) *studiositas,* quæ pertinent ad modestiam internam ; — 3) *modestia morum* ad quam refertur *eutrapelia;* et 4) *modestia cultus :* quarum complexio externam modestiam constituit.

441. *Humilitas* juxta S. Bernardum (1), est *virtus, qua quis, ex verissima sui cognitione, sibi ipsi vilescit.* — Humilitas, ait S. Thomas (2), vocatur spiritualis ædificii seu virtutum fundamentum, per modum *removentis prohibens :* removet nempe omnem superbiam ; et eatenus dicitur prima virtutum ad salutem necessaria. — Humilitatis *fundamentum* cognitio sui ipsius est : qua intellectu percepta, sequuntur in voluntate multi affectus et motus, qui sunt humilitatis actus atque functiones.

442. *Gradus humilitatis* a S. Anselmo (3) statuuntur septem sequentes : 1) Ut cognoscas contemptibilem te esse. 2) Ut de hoc doleas, quatenus id a peccato oritur. 3) Ut hoc confitearis. 4) Ut hoc aliis de te velis esse persuasum. 5) Ut patienter sustineas hoc dici. 6) Ut patienter feras te contemptibiliter tractari. 7) Ut id ipsum ames. — Quomodo possit justus omnibus viliorem se, salva veritate, æstimare, vide apud S. Thom. q. 161, art. 6 ad. 1.

443. Notare juvat hoc monitum S. Bernardi ; non periculosum nec malum esse, si nos minores aliis reputemus ; magnum autem malum esse atque periculum, si nos ipsos aliis præferamus : sicut non nocet, si quis intrans per januam, se inclinet magis quam opus sit ; nocet vero, si minus, quam oporteat.

(1) Lib. *De gradibus humilitatis*, in principio. — (2) 2. 2, q. 161, a. 5. — (3) Lib. *De similitud.* cap. 99, seqq. Cfr S. Thom. q. 161, a. 6.

444. Opponitur humilitati *superbia*, per excessum ; et nimia sui *abjectio*, per defectum, quæ nempe in injuriam status seu conditionis suæ redundet. — De superbia porro, ejusque filiabus, vide S. Thomam, qq. 162 ad 165.

445. *Studiositas* est virtus, quæ affectum et studium cognoscendi, juxta rectæ rationis normam, temperat. — Officium hujus virtutis est : 1) moderari appetitum sciendi, ut quis non velit plura aut altiora scire, quam ipsius conditioni et capacitati conveniat ; nec pluris faciat scientiam quam oportet, illam virtuti, aut rebus ad salutem necessariis præponendo ; sed pro merito æstimet, ac diligat. 2) Moderari ipsum studium, ut ea diligentia, eo fine, etc., studeamus, quo oportet. 3) Non solum nimium affectum ad studia refrenare, et immodicum studium minuere ; sed etiam interdum, prout ratio dictat, affectum ad studium incitare, et studium ipsum magis curare atque augere : imo, quia hoc postremum plerisque necessarium est, ideo hæc virtus *studiositas* vocatur, quod potius ab *impellendo* quam a *refrenando* dicitur.

446. Vitia studiositati opposita sunt : *curiositas* per excessum, et *negligentia* per defectum. — *Negligentia* studiorum est voluntaria omissio discendi, quod discere et scire tenemur. — *Curiositas* generatim est superflua diligentia circa res inutiles ; unde dicimus aliquem curiosum in vestibus, in supellectili, in sermone. Proprie vero, est inordinatus appetitus cognoscendi : seu diligentia superflua, qua quis ea quærit cognoscere, quæ ad ipsum non pertinent ; idque ex solius cognitionis affectu.

447. *Modestia morum* est virtus moderans exteriores corporis motus, in verbis et actionibus, juxta mensuram rectæ rationis, vel juxta decori regulas.

448. Materia hujus virtutis sunt motus corporis et gestus exterior, sensibus obvius : ut incessus, statio, sessio, motus capitis, contractio et explanatio vultus, membrorum jactatio, vox, risus, aspectus. — Officium autem hujus virtutis est, ista omnia sic moderari, ut congruant personæ, tum in se consideratæ, tum in ordine ad circumstantias loci, temporis et negotii præsentis. Unde Cicero, l. I De offic., *Modestia,*

ait, *est scientia earum rerum, quæ aguntur aut dicuntur, suo loco collocandarum.*

449. Vitium oppositum per defectum, est *cruditas morum* sive rusticitas; per excessum vero, *petulantia* et *insolentia*, nec non affectatus *aulicismus* et assentatiunculæ.

450. Regulas modestiæ tradit S. Ambrosius, De offic. lib. I, cap. 18 et seqq. (1).

451. *Modestia cultus* est virtus, quæ moderationem rationis adhibet in apparatu rerum externarum : puta, vestium, supellectilis, conviviorum, etc., consideratis statu et conditione personarum, loci, temporis, et consuetudine approbata. — Ad hanc virtutem referri potest, licet meri consilii sit, *Evangelica paupertas.*

452. Oppositum vitium per defectum, est *neglectus* apparatus; per excessum vero, *luxus,* seu rerum apparatus sumptuosior quam pro conditione personæ.

453. *Eutrapelia*, quæ a S. Thoma (2) refertur ad modestiam morum, definiri potest : *Modestia in ludicris,* seu virtus, servans modum et decorum in verbis et factis ludicris, ad honestam animi recreationem. — Forma, quam hæc virtus ludo inserit, est *congruentia* ad personam ludentem, tum in se, tum spectatam relate ad circumstantias, in quibus versatur.

454. Porro hic tria sunt curanda : 1) ut absit omnis injuria et illiberalitas ; 2) ne nimis simus in ludicra profusi ; 3) ne ista adhibeantur in rebus sacris, juxta S. Ambrosii monitum, dicentis : *Licet interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula.* De offic. l. I, c. 23, n. 102 (3).

455. Vitia opposita sunt : *scurrilitas*, per excessum ; *morositas,* per defectum.—Hinc Cicero, l. I Officiorum : *Ludo*, inquit, *et joco uti illo quidem licet : sed sicut somno et quiete, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus... Ut pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, quæ ab honestatis actionibus non sit aliena : sic, in ipso joco, aliquod probi ingenii lumen*

(1) Cfr et S. Thom. q. 168.
(2) Q. 168, art. 2, 3, 4.
(3) Cf. Trid. Sess. 4, *Decret. de canon. Script.* sub finem.

eluceat... Ipsum genus jocandi non profusum, nec immodestum ; sed ingenuum et facetum esse debet.

456. S. Augustinus : *Volo tandem tibi parcas : sapientem enim interdum remittere aciem, rebus agendis intentam, decet.* De musica l. 2 in fine. — S. Ambrosius : *Caveamus, ne, dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.* De offic. l. I, c. 20, n. 85.

TRACTATUS XIX.

DE NOVISSIMIS (1).

INTRODUCTIO.

§ I. *Argumentum.* — § II. *Doctrina catholica.* — § III. *Errores contrarii.* — § IV. *Instrumenta.* — § V. *Divisio Tractatus.*

§ I. Argumentum.

1. Nomine *novissimorum* intelligimus ultimos eventus, qui sive hominibus singulis, sive universo mundo futuri sunt.

2. Novissima *hominis* vulgo enumerantur quatuor: mors, judicium, infernus, paradisus. Dicuntur hominis novissima, tum quia in fine ejus vitæ terrestris eveniunt, tum quia sunt novissimæ vicissitudines, quibus homo in termino suo ac perpetua stabilitate constituitur. De his Eccli. VII, 40: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.*

3. Novissima *mundi* sunt: futura crematio terræ per ignem, resurrectio carnis, adventus Christi judicis ac judicium universale, et postea immutabilis æternitas.

4. De tota hac materia, seu Theologiæ parte, quam non inepte quidam *eschatologiam* vocarunt, sub generali *novissimorum* nomine disseremus. Licet autem res pertractandæ eæ pleræque sint, quæ *magnæ veritates salutis* vocantur, ideoque ab Ascetis plurimum explicari consueverint; tamen etiam ad dogmaticam pertinent, et dogmatice in primis considerari debent: ut deinde melius et securius, in asceticis tractationibus et sacris concionibus, evolvantur.

(1) S. Thom. *Supplem.* qq. 66-99. — Greg. De Valentia, tom. 4, disp. XI, qq. 1-6. — Lessius, *De divinis perfectionibus*, lib. 13, c. 17 seqq.

5. Tractatus iste finalis totius Theologiæ conclusio et quasi terminus est. Theologia enim est scientia de Deo, ut principio, medio et fine, tum mundi totius, tum speciatim humani generis. Quare postquam Deum, creaturas instituentem ab origine, et deinde in via deducentem consideravit; restat, ut illum consideret stabilientem mundanas creaturas in suo termino, et quasi coronidem operi suo imponentem.

§ II. Doctrina catholica.

6. Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem continuo judicium particulare. Qui in peccato mortali moriuntur, sine mora in infernum descendunt, igne æterno cruciandi. — Qui e vita migrant sancti, et nulli debito obnoxii, statim admittuntur in cœlum, ut lumine gloriæ illustrati, intuitiva Dei visione fruantur; inæquali tamen ratione, pro diversitate uniuscujusque meritorum. — Qui sancti, sed nondum plene expiati e vita decedunt, in purgatorii pœnis detinentur, ubi tamen vivorum suffragiis juvantur.

7. Dogma est *Communio sanctorum,* qua, non tantum Ecclesiæ in terra militantis membra inter se, sed eadem etiam cum Ecclesia patiente et triumphante, mutuo commercio junguntur. Quare, recto et laudabili cultu, Sanctos cum Deo regnantes, nec non eorum Imagines ac Reliquias, veneramur; ipsique vicissim pro nobis apud Deum intercedunt.

8. In fine sæculorum, omnes homines cum propriis suis corporibus a morte resurgent, et tunc fiet universale judicium; quo concluso, ibunt damnati in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

§ III. Errores contrarii.

9. Beguardi et Beguini, sæculo XIV, docebant, Deum ab intellectu creato naturaliter videri posse, neque animam indigere lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum intuitive videndum. Beguardis præiverant Eunomiani, sæculo IV, contendentes, Deum non tantum naturaliter videri, sed et comprehendi posse.

10. Palamitæ, sæculo XIV, dicebant, Deum a Beatis, non intuitive, sed tantum abstractive videri.

11. Jovinianus, sæculo IV, juxta Stoicorum placita, omnia peccata, sicut et merita ac retributionem, paria esse docuit: quem damnavit Siricius in Concilio Romano, 390. — Idem docuit Lutherus, ex diverso principio et sensu restrictiore (1).

12. Plerique Græci, post Photianum schisma, dixerunt, animas justorum defunctorum in aliqua requie externa degere, ad visionem beatificam, nisi post resurrectionem carnis in fine sæculi, non admittendas. Hic error a Protestantibus adoptatus est; imo a quibusdam, ut e. g. Priesley et Burneto, ita adauctus, ut docere ausi sint, animas post mortem in nihilum redigi, donec cum corporibus reviviscant.

13. Cum hac hæresi minime permiscenda est quæstio, sub Joanne XXII agitata (1320) inter Dominicanos et Minoritas: his quidem contendentibus, animas sanctorum statim in cœlum recipi, sed ibidem non frui, nisi Christi sub forma servi, sive hominis, aspectu beatifico; Dominicanis vero statuentibus, beatificam divinæ essentiæ visionem animabus plene purgatis illico concedi. Quæ posterior sententia a Benedicto XII (1333) declarata est catholica veritas.

14. Alius error, circa futuram justorum beatitudinem, viguit II et III sæculo, Millenariorum seu Chiliastarum; qui docebant, Christum, sub mundi finem, in terris regnaturum mille annis, et cum eo justos felicitate temporali fruituros; donec, adveniente judicii die, perfectæ beatitudinis in cœlis incipiant esse participes. — Hanc opinionem, quam tamen non ut fidei dogma habebant, secuti sunt plures ex Patribus, ut Papias, Justinus, Irenæus, Lactantius, etc.; aliis, ut Origene, Dionysio Alexand., Hieronymo, etc., repugnantibus. — Porro duplex fuit Millenariorum classis: quidam, ut Cerinthus ejusque asseclæ, in sensuum voluptatibus vel inhonestis; alii, ut modo citati PP., in gaudio quodam puro, et spirituali potius quam corporeo, felicitatem millenariam collocabant.

15. Infernum existere negant Materialistæ; — esse locum specialem, Amalaricus Parisiensis, damnatus in Conc.

(1) Supra, *De gratia*, n. 336.

Later. IV; cujus errorem postea renovarunt Brentius, Lutheranus et Ubiquistæ; — fore perpetuum, veteres Origenistæ, Anabaptistæ recentiores inficiati sunt, finalem aliquam ἀποκατάστασιν seu restitutionem in integrum, adstruentes. His accedunt plures Protestantes hodierni, nullam pœnam, præter expiatricem, agnoscentes; licet eorum patres ab Ecclesia discesserint, eo quod nullam vellent alterius vitæ pœnam, nisi infernum, admittere.

16. Resurrectionem, præter Ethnicos et Sadducæos, Simon Magus, Cerdon, Marcion, Manes et Rationalistæ negarunt. — Eamdem vero, proxime elapso sæculo, Bonetus perperam conatus est explicare per *palingenesiam*, seu renascentiam ex germine quodam præformato, animæ inhærente.

17. Judicium particulare negavit Calvinus, universale admisit; — contra, plerique Protestantes, cum Rationalistis, universale negant, particulare admittunt.

18. Cultum Sanctorum, sanctarum Imaginum et Reliquiarum rejiciunt Protestantes omnes.

19. Primus, sæculo IV, Vigilantius cultum Sanctorum et Reliquiarum impugnavit; — quem in eodem errore Manichæi et Eunomiani secuti sunt.

20. Iconomachi orti sunt sæculo VIII, anno scilicet 726, fautore Leone Isaurico. — Præter hunc, eadem hæresis patronos nacta est Imperatores Constantinum Copronymum, Leonem Armenum, Nicephorum (800), et Theophilum; sub Irene autem Augusta et Constantino, Imperatoribus, ac Adriano I Pontifice, in Concilio Nicæno II, anathemate repressa (787), tandem, Michaele et Theodora imperantibus (840), exstincta est.

21. Iconoclastæ recentiores numerantur: Petrobrusiani, Albigenses, Waldenses, Wicleffitæ, Hussitæ, Zwingliani, Calviniani; imo et Lutherani, qui tamen picturas historicas et imaginem Crucifixi tolerant.

§ IV. Instrumenta.

22. — ERRORES BEGUARDORUM DAMNATI IN CONC. VIENNENSI (1312).

Quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata.

Quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum videndum et eo beate fruendum.

23. — BENEDICTI XII CONSTITUTIO *BENEDICTUS DEUS* (1336.)

Hac in perpetuum valitura Constitutione, auctoritate Apostolica definimus, quod, secundum communem Dei ordinationem, animæ Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante D N. J. C. passionem decesserunt, nec non sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum et aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis Christi Baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum, vel si tunc fuerit, aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatæ; ac quod animæ puerorum eodem Christi Baptismate renatorum et baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox, post mortem suam, et purgationem præfatam in illis qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum et judicium generale, post Ascensionem Salvatoris nostri J. C. in cœlum, fuerunt, sunt et erunt in cœlo, cœlorum regno et paradiso cœlesti, cum Christo, sanctorum angelorum consortio aggregatæ; ac post D N. J. C passionem et mortem, viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se, nude, clare et aperte eis ostendente; quodque sic videntes, eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione, eorum animæ qui jam decesserunt, sunt vere beatæ, et habent vitam et requiem æternam; et etiam illorum, qui postea decedent, cum eamdem divinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante judicium generale; ac quod visio hujusmodi divinæ essentiæ ejusque fruitio actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes proprie theologicæ sunt virtutes; quodque, postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiva ac facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio, sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ visionis et fruitionis, continuata extitit, et continuabitur usque ad finale judicium, et ex tunc usque in sempiternum.

Definimus insuper, quod, secundum Dei ordinationem communem, animæ decedentium in actuali peccato mortali, mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi pœnis infernalibus cruciantur; et quod nihilominus in die

judicii, omnes homines cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.

24. — DECRETUM UNIONIS GRÆCORUM, CONCIL. FLOR.

Definimus insuper,... si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari : et, ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui, post Baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ, post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius : illorum autem animas, qui in actuali peccato mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

CONCILII TRIDENTINI DECRETA, SESS. XXV.

25. Decretum de Purgatorio. — *Cum catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex sacris Litteris, et antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, et novissime in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse; animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris Sacrificio, juvari; præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, a sanctis Patribus, et sacris Conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari, ac tractari non permittant. Ea vero quæ ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant.*

26. De invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus. — *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis, et cæteris docendi munus curamque sustinentibus, ut, juxta catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis Christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum Conciliorum decreta, imprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore, et legitimo Imaginum usu, fideles diligenter instruant : docentes*

eos, Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere : illos vero, qui negant Sanctos, æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse : aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei et hominum Jesu Christi; vel stultum esse, in cœlo regnantibus voce, vel mente supplicare; impie sentire. Sanctorum quoque Martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur; ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam : non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per Imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicenæ Synodi decretis, contra Imaginum oppugnatores est sancitum.

§ V. Divisio Tractatus.

27. Quoniam tum hominis tum mundi novissima pertractanda sunt; hæc autem duo temporis spatio separantur, quo durante defunctos inter et viventes supernaturale commercium intercedit, de quo etiam habendus est sermo; idcirco totum Tractatum in tria capita distribuemus.

Caput I, *de hominis ex hac vita migratione.*
Caput II, *de vivorum cum defunctis communione.*
Caput III, *de consummatione sæculi.*

CAPUT PRIMUM.

DE HOMINIS EX HAC VITA MIGRATIONE.

28. Tria sunt, quæ homini post elapsum vitæ suæ tempus eveniunt: mors, judicium particulare, et novæ assignatio mansionis. Hinc tres articuli:

Articulus I, *de morte.*
Articulus II, *de judicio particulari.*
Articulus III, *de receptaculis animarum.*

ARTICULUS I.

DE MORTE.

QUÆSTIONES.

1° *Quid est mors?* — 2° *Quid Fides docet de morte?* — 3° *An mors est homini naturalis?* — 4° *An omnes prorsus homines morientur?*

29. QUÆR. 1° *Quid est mors?* — Mors generatim est cessatio vel privatio vitæ. — Alia est mors *spiritualis*, alia *corporalis*. — Mors spiritualis, seu supernaturalis, duplex est : *mors animæ* et *mors peccati*. Prior, quæ infligitur animæ per peccatum mortale, est vel *prima* vel *secunda*. Apoc. XX, 14. *Mors prima* est privatio gratiæ habitualis; *secunda* vero, privatio æternæ beatitudinis. — Posterior, i. e. *mors peccati*, illa est, quæ ipsi peccato et concupiscentiæ, per virtutem gratiæ, infligitur: hæc est mors salutaris et mystica, quæ Baptismo, morte et sepultura Christi figuratur: *Consepulti... per Baptismum in mortem*. Rom. VI, 4, præced. et seqq.

30. Mors *corporalis* et *physica*, de qua nobis sermo est, et quam speciatim consideramus *in homine,* est corporalis vitæ cessatio vel privatio, quæ contingit, dissoluta inter animam materiamque corpoream unione vitali. Hinc Paulus,

Phil. I, 23: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* — Est animæ ex habitaculo corporis in domum æternitatis migratio; quare iterum Paulus: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* II Cor. V, 1 seqq. Et Petrus: *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei.* II Petr, I, 14.

31. Q. 2° *Quid Fides docet de morte?* — R. 1) Eam esse hominibus statutam et semel obeundam. Hebr. IX, 27.—2) Venturam, de lege ordinaria, tempore incerto: *Vigilate... quia nescitis diem neque horam.* Matth. XXV, 13. *Nescitis*, inquit Augustinus, *diem, neque horam, non modo ultimi illius temporis, quo venturus est sponsus; sed et suæ quisque dormitionis diem et horam nescit.* Serm. 22 de verbis Domini. — 3) Eam finem imponere *statui viæ*, et initium dare *statui termini.* Quare defunctis non superest meriti vel demeriti locus, ne ipsis quidem animabus purgatorii; quæ sunt in termino gratiæ, licet nondum in termino gloriæ. Ista constant ex communi totius Ecclesiæ sensu, ex Scripturæ et PP. testimoniis, Eccl. XI, 3: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* — Eccli. XVIII, 22: *Ne verearis usque ad mortem justificari.* — Joan. IX, 4: *Venit nox, quando nemo potest operari.* Cf. Eccl. IX, 10. — 4) Mortem esse peccati pœnam. Rom. V, 12. — 5) Eam esse a Christo devictam. I Cor. XV, 54; Hebr. II, 14. Quare Patres passim mortem considerant, ex una parte, ut pœnam peccati; ex altera vero, et sub alio aspectu, ut causam triumphi: cum per eam corpus peccati destruatur, et post eam vera vita incipiat. Ideo Ecclesia mortem Sanctorum, tanquam eorum diem natalem, celebrare consuevit.

32. Q. 3° *An mors est homini naturalis?* — R. Mors *secundum se*, est homini naturalis, i. e. ex ipsa physica hominis conditione proveniens; ita ut, etiamsi absque peccato, in puris naturalibus esset constitutus, morti subjiceretur. Quemadmodum enim planta quælibet, e solo oriunda, evolvitur, donec arescat et decidat; sic humanum corpus, e limo terræ formatum, per motus vitales et cursum organicum, tandem quasi marcessit et senescit; ita ut ineptum fiat animæ

instrumentum, quod jam animari non possit. Cessant ergo functiones vitales, et homo naturaliter moritur.

33. Verumtamen, *per accidens*, mors est pœna peccati. Nam homo primitus, Dei gratuito beneficio, cum justitia originali etiam immortalitate donatus erat: sive hæc effectus esset gratiæ sanctificantis, quæ in ipsum corpus redundans mortem arceret; sive naturalis quædam sequela arboris vitæ, cujus fructibus vita hominis jugiter repararetur, ut S. Augustinus sentit. *Aliud est*, ait ille Doctor, *non posse mori, sicut quasdam creaturas creavit Deus: aliud est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ...... Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Homo vero in statu innocentiæ immortalis, non perpetuo mansisset in terra, sed tandem sine morte translatus fuisset in cœlum* (1).

34. Hac autem immortalitate, propter Adæ peccatum, homo spoliatus est; ita ut mors in omnibus hominibus sit peccati effectus, imo proprie dicta pœna in non renatis, prout in Tractatu *de Deo creatore* ostensum est (2).

35. Q. 4° *An omnes prorsus homines morientur?* — R. Deus homini post peccatum pœnam infligens, dixit, Gen. III. 19: *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* — Paulus, Rom. V, 12, ait: *In omnes homines mors pertransiit.* Et Hebr. IX, 27: *Statutum est hominibus semel mori.* — Quæ verba generatim ad *omnes* homines post peccatum pertinere, latini PP. consentiunt. Sanctus vero Chrysostomus, cum Græcis non paucis, putat aliquos homines non morituros, innixus nempe verbis Pauli I Cor. XV, 51, quæ græci codices ita ferunt: *Non omnes quidem dormiemus: omnes tamen immutabimur.*

36. Licet Græcorum opinio fidei non adversetur, Ecclesia tamen magis alteram sententiam acceptat, et merito. Nam lectio Vulgatæ: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, non solum a latinis PP. unanimiter, sed etiam a græcis nonnullis accipitur, ut a Didymo, qui probat legen-

(1) *De Gen.* l. 6. c. 20. Cf. Suarez, tom. 3, c. 14 et 15. — (2) Tom. 1, nn. 226, 246, 266, 270 seqq.

dum esse: *Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur.*

37. Nec magis obstat: I Thess. IV, 16: *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera; et sic semper cum Domino erimus.* Quibus verbis innui videtur, justos tunc viventes non morituros, sed vivos obviam Christo esse sublevandos.—Verum, ut S. Thomas post S. Augustinum docet, illi justi in ipso raptu, vel paulo ante, igne conflagrationis morientur, et postea statim resurgent: adeo ut mors eorum, seu dormitio, propter brevitatem non reputetur (1).

ARTICULUS II.

DE JUDICIO PARTICULARI.

38. *Judicium* hoc loco intelligitur examen et sententia Dei, unicuique secundum opera sua, præmium vel pœnam decernentis. — Judicium distinguitur triplex: alterum *particulare*, quod unicuique statim post mortem fiet; alterum *universale*, quod in fine sæculorum, universo orbe spectante, perficietur. Hic tantum de judicio particulari agendum.

Propositio, *de veritate judicii particularis.*
Quæstio, *de judicii particularis modo.*

PROPOSITIO.

Quilibet homo, statim post mortem, particulare judicium subit.

39. *Certa* et catholica veritas, ex Scriptura et Traditione manifesta.

40. PROB. 1° Hebr. IX, 27: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* — Eccli XI, 28: *Facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Ex quo consequitur, hominem statim post mortem judicari, ut unicuique secundum vias suas retribuatur.

41. 1° Traditione constanti. S. Chrysostomus: *Sicut illi qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur; sic omnes animæ, cum hinc emigraverint, variis*

(1) S. Thom. *In I Cor. XV*, lect. 8. — August. *De civit.* l. 20, c. 20. — A lege mortis non futuri sunt immunes Henoch et Elias; de quibus infra c. 3, art. 1, n. 158.

peccatorum pœnis implicitæ, ad terribile illud ducentur tribunal. Homil. 4 in Matth. Similiter S. Aug. De anima et ejus orig. lib. 2, c. 4.

42. 3° Rationibus theologicis et convenientiæ. 1) Animæ statim post mortem præmium vel pœnam recipiunt, ut infra probabitur. Ergo statim post mortem judicantur a Deo. 2) *Quilibet homo est, et singularis quædam persona, et est pars totius generis humani: unde et duplex ei judicium debetur: unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta ea quæ in corpore gessit, quamvis non totaliter; quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars totius humani generis,* in judicio universali, quando in conspectu omnium retribuetur ei totaliter, secundum corpus et animam. S. Thom. supplem. q. 88, art. 1, ad 1.

QUÆSTIO.

43. *Quomodo judicium particulare fiet?* — R. Modus et circumstantiæ hujus judicii, an scilicet momento mortis et uno puncto temporis fiat, aut in quonam loco, incerta sunt; cum de his Scriptura et Traditio nihil pronuntient. Utrum fiat a Christo Homine, plerisque etiam incertum est; cum ante Incarnationem Deus etiam judicium particulare exercuerit. Probabile tamen est, ac pium credere, judicium illud particulare a Christo ut homine exerceri. Hoc sensu dicunt quidam e SS. Patribus, animas, post exitum e vita, sisti ad tribunal judicis; atque ita potest intelligi illud I Tim. VI, 14: *Serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi;* et illud Joan. V, 22: *Pater omne judicium dedit Filio.* — Non tamen ideo censendus est Christus, secundum substantialem præsentiam suam, ad singulos morientes venire, ut ipse judicium ferat, vel ut judicatos, qui digni inventi fuerint, in cœlum adducat: sed judicium fiet, *probabilius*, per quamdam mentis illuminationem, qua anima clare percipiet, se juxta opera sua judicari. Etenim nomine libri illius scripti, qui in judicio proferendus dicitur (1), *quædam vis est intelligenda divina*, inquit

(1) Dan. VII, 10; Apoc. XX, 12.

S. Augustinus, *qua fit, ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset et excuset conscientia, atque ita simul omnes et singuli judicentur. Quæ nimirum vis divina libri nomen accepit; in ea quippe quodammodo legitur, quidquid, ea faciente, recolitur.* De civit. I. 20, c. 4.

ARTICULUS III.

DE RECEPTACULIS ANIMARUM.

Quæstiones præviæ.
Propositio I, *de Inferno.*
Propositio II, *de Cœlo.*
Propositio III, *de Purgatorio.*
Quæstiones, *de statu animarum in suis receptaculis.*

QUÆSTIO PRÆVIA.

44. *Quot sunt animarum receptacula, et quænam de iis Fidei puncta proponuntur?* — R. Animarum receptacula, seu loca, ad quæ morientium animæ deducuntur, distinguuntur quatuor: Limbus, Cœlum, Infernus et Purgatorium. — Cœlum, olim peccato clausum, Salvatore ascendente, primum patuit; purgatorium post ultimum judicium evacuabitur.

45. Hic imprimis secernere expedit ea, quæ fide certo constant, ab iis, quæ non eadem certitudine innotescunt (1).

46. *Circa infernum*, tria sunt *de fide:* 1° infernum existere, seu supplicia impiis esse parata; 2° impiorum animas eo statim post mortem descendere; 3° inferni supplicia fore æterna. — Cætera, quæ pertinent ad *locum* et *pœnarum naturam*, fide non sunt definita. Nihilominus omnino adhærere debemus sententiæ, in Ecclesia communiter receptæ, circa pœnarum, quæ positivæ dicuntur, naturam et qualitatem: quæ nempe sententia est de igne materiali et corporeo. Hæc enim doctrina est ita certa, ut absque temeritate, imo coram populo, absque gravi scandalo, in dubium vocari non possit.

47. *Circa cœlum*, duo sunt *de fide:* 1° animas justorum plene purgatas in cœlum mox recipi, et 2° intueri clare ipsum Deum

(1) Cf. instrumenta Fidei supra, n. 22 seqq.

trinum et unum sicuti est; scilicet statim frui intuitiva visione Dei.

48. *Circa purgatorium*, item sunt *de fide* duo: 1° purgatorium esse, 2° animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero Missæ sacrificio, juvari. — Alia sunt, quæ probabilitate majore vel minore cognoscuntur, ut infra videbimus.

PROPOSITIO I.

Impii statim post mortem in infernum descendunt, ibique gravissimis excruciantur suppliciis.

49. *De fide*, ex Florentini Concilii decreto *pro Unione* Græcorum; item ex Constitut. Benedicti XII, *Benedictus Deus.*

50. PROB. I PARS: *Impii statim in infernum descendunt.* — 1° Scriptura. *Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.* Luc. XVI, 22.—*Facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Eccli. XI, 28.

51. 2° S. Hilarius in Ps. II scribit: *Excipit impios statim ultor infernus.* — S. August.: *In requie sunt animæ piorum a corpore separatæ; impiorum autem, pœnas luunt.* De civit. l. 13, c. 8.

52. II PARS. *Gravissimis cruciantur suppliciis.* Scriptura namque et SS. Patres ita nobis damnatorum supplicia depingunt, ut omnes hujus vitæ ærumnas atque cruciatus, gravitate et vehementia, longe superare intelligantur. *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Matth. X, 28. —*Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Hebr. X, 31. — S. Augustinus: *Potentiam illius ignis nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare.* Sermo 80 de temp.

PROPOSITIO II.

Animæ vita functæ, quibus nihil luendum superest, in cœlum admittuntur, ad fruendum sine mora intuitiva visione divinæ essentiæ.

53. *De fide* quoad utramque partem, ut patet ex Decreto *Unionis Græcorum* et Constitut. *Benedictus Deus.*

54. PROB. I PARS: fruuntur visione intuitiva Dei. — 1° *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad*

faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. I Cor. XIII, 12. — *Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam, quum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* I Joan. III, 2.

55. 2° S. Cyprianus: *Quæ erit gloria, et quanta lætitia, admitti ut Deum videas!* Epist. 56. — S. Chrysostomus: *Quid dicetur, quando ipsa rerum veritas aderit? quando apertis regiis ædibus ipsum regem conspicere licebit, non ultra in ænigmate neque per speculum, sed facie ad faciem; nec ultra per fidem, sed per speciem.* Paræn. 1, ad Theodor. lapsum, n. 11.

56. II PARS: sine mora.—1° *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino... et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum.* II. Cor. V, 6 et 8. — *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* Philip. I, 23. In utroque textu, nulla interponitur mora inter *peregrinari a corpore* et *præsentes esse ad Dominum;* inter *dissolvi* et *esse cum Christo.*

57. 2° S. Greg. Nyss., oratione funebri in S. Pulcheriam, inter alia ait: *Hinc est avulsa planta, verum in paradiso consita est; a regno in regnum translata est; quam ille pulcher oculus, qui Deum aspicit!* — S. Cyprianus: *Quanta dignitas et securitas... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus!* Lib. de exhort. ad martyr. in fine.

58. *Nota* Nullam in hac quæstione difficultatem facessit Joannis XXII auctoritas. Licet enim hic Pontifex in oppositam sententiam propenderit, nunquam tamen eam assertive docuit, et multo minus ut fidei dogma definivit. Patet hoc, inter alia documenta, ex protestatione, quam ipse Joannes habuit coram Cardinalibus, an. 1334; deinde ex ipsa Constitut. *Benedictus Deus*, ubi expresse declaratur, Joannem XXII, morte præventum, controversiam definire non potuisse (1).

(1) Cf. Labbeum, tom. XI, col 1794. — Ad diluendas difficultates occurrentes in testimoniis PP. Græcorum, præsertim Chrysostomi, qui visionem intuitivam negare videntur, vid. Wirceb. *De Deo uno*, nn. 97, 99 seqq.

PROPOSITIO III.

Datur purgatorium, quo animæ justæ, nondum plene expiatæ, reatum pœnæ temporalis exsolvunt.

59. *De fide*, ex fidei professione, quam Clemens IV, an. 1267, Michaeli Palæologo obtulit, et Gregorius X in Conc. Lugd. II, an. 1274, a Græcis accepit; —item ex Trid. Sess. 6, can. 30; Sess. 22, can. 3; Sess. 25 in Decreto; — atque ex professione fidei, jussu Pii IV edita.

60. PROB. 1° Libro secundo Machab. cap. XII, Judas Machabæus *misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.*—Matth. XII, 32.: *Quicumque dixerit verbum... contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*; ex quo ipse S. Aug. probat, purgatorium esse. *De civit*, l. 21, c. 14. — *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Matth. V, 25, 26.

61. 2° Greg. Nazianzenus: *Non potest a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorii ignis abstulerit.* Orat. pro mort. — S. Augustinus se pro matre sua Monica orare testatur. Confess. l. IX, cap. 13. — Idem patet ex liturgiis antiquissimis, et precibus ac sacrificiis, inde ab Ecclesiæ exordio, in defunctorum solatium offerri solitis.

62. 3° Ratione theol. 1) Certum est, hominem posse mori deleto culpæ reatu, sed remanente reatu pœnæ temporalis (1); ergo datur purgatorium, in quo reatum pœnæ defunctus exsolvat. 2) Certum est, dari peccata venialia; atqui mori potest homo, qui horum tantum reus sit: quod iterum purgatorii necessitatem inducit. 3) Accedit consensus populorum omnium (2); qui consensus, cum ex antiquis traditionibus ac vera fide sit repetendus, veritatem purgatorii confirmat.

(1) Supra *De Pœnit.* cap. 2, art. 4, n. 209.
(2) Cfr Perrone, *De Deo Creatore*, n. 695.

QUÆSTIONES.

1° *Quid intelligitur nomine Limbi ? — 2° Quid est Infernus, quis ejus locus et quæ supplicia ? — 3° Quid de infantibus dicendum, qui in solo peccato originali decedunt ? — 4° Quid est Cœlum, Beatitudo, et Lumen gloriæ ? — 5° An beatitudo erit in omnibus electis æqualis ? — 6° Quid est Purgatorium, quis locus, quæ pœnæ, et quæ duratio ejus ? — 7° An defunctorum animæ quandoque viventibus appareant ?*

63. QUÆR. 1° *Quid intelligitur nomine Limbi?* — *Limbus* a sæc. XIII apud TT. recepta vox est, ad designandam eam inferorum partem, in quam, ante Christi ascensionem, defunctæ animæ justorum plene purgatæ deducebantur. Non enim in cœlum, i. e. ad intuitivam Dei visionem recipiebantur : cum cœlum adhuc clausum esset; sive, ut loquitur Apostolus, cum nondum *propalata esset sanctorum via.* Hebr. IX, 8.

64. Erat autem Limbus locus quietis, refrigerii et consolationis, in quo justi adventum Christi exspectabant. Vocant communiter *limbum Patrum*, a Patribus et Patriarchis, qui in eo morabantur. — Luc. XVI, 22, vocatur *sinus Abrahæ,* in quem anima mendici Lazari legitur ab angelis deportata : *sinus* quidem, a requie quæ illic habebatur; *Abrahæ* vero, quia ad sinum illum, nisi merito fidei, perveniri non poterat: Abraham autem *pater credentium* est. — Lucæ XXII, 43, *paradisus* dicitur: *Hodie mecum eris in paradiso:* id est, in loco voluptatis et gaudii, imo in felici Beatorum statu ; qui, per præsentiam Christi et manifestationem divinitatis ejus, mox in limbo erat inducendus, ut communiter sentiunt interpretes. — Vocatur etiam aliquando *inferi* vel *infernus*, ut Ps. XV : *Non derelinques animam meam in inferno;* nomen istud a situ desumptum.

65. Quod enim ad locum spectat, dicendus est limbus fuisse sub terra situs, ut ex articulo quinto Symboli : *Descendit ad inferos* ; et ex Eph. IV, 9 : *Descendit in inferiores partes terræ*, recte colligitur.— Juxta S. Thomam (1), limbus Patrum et infernus qualitate quidem locorum differunt, at

(1) *Supplem.* q. 69, art. 5. Cf. q. 100, art. 2.

situ probabiliter sunt quasi idem tractus continuus ; sic tamen, ut magno spatio una commoratio ab altera distet. Hinc apud Luc. XVI, dicitur magnum chaos seu hiatum fuisse intermedium. Limbus scilicet erat inferno superior, ut concluditur ex his: *Elevans autem oculos suos, quum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus.* Luc. XVI, 23. — Multi in spatio intermedio purgatorium situm esse censent; quod menti S. Thomæ (1) conforme est.

66. Non pauci TT. opinantur, animas parvulorum, qui in originali peccato decedunt, ibi nunc collocari, ubi olim Patriarcharum animæ remanserunt : unde locum illum *Limbum puerorum* appellant (2).

67. Q. 2° *Quid est Infernus, quis ejus locus, quæ supplicia?* — R. Infernus fidei documentis exhibetur ut locus suppliciorum, paratus peccatoribus in æternum cruciandis ; seu etiam tanquam status, in quo dæmones, iique homines, qui ex hac vita lethali peccato obstricti decedunt, æternum puniuntur : est carcer supremi Regis, seu carcer damnatorum.

68. Vocatur *infernus*, quia tanquam abyssus profunda describitur ; vocatur quoque *gehenna*, quia perpetuo igne conflagrat. Gehennæ nomen desumptum est a valle GHEHINNAM, prope Jerusalem sita, olim idolo Moloch consecrata. Illic enim locus erat nomine *Topheth*, ubi perpetuus ardebat ignis ; in quo Judæi filios suos idolis seu dæmoniis incenderunt ac immolarunt (3). Inde occasionem Isaias cepit carceris damnatorum sub figura hujus vallis, sive *Topheth*, describendi, cap. XXX, 33 : *Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda et dilatata; nutrimenta ejus ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulfuris succendens eam.* Atque inde nomen *gehennæ*, etiam vulgo, ad designandum reproborum carcerem cœpit usurpari ; quem usum Christus in suis sermonibus, et post ipsum Apostoli retinuerunt.

69. Locum inferni esse subterraneum, fides quidem non certo docet, sed tamen fert communior in Ecclesia traditio ; nec sine aliqua temeritate videtur posse cum Calvino nega-

(1) *Supplem.* q. 69, art. 5. Cf. q. 100, art. 2. — (2) Cf. Lessius. *De div. perf.* l. 13, c. 22, n. 145. — (3) Ps. 105.

ri (1). Quo spectant non pauca Scripturæ loca. Luc. VIII, 31, dæmones Christum rogant, ne illis imperet *ut in abyssum eant*, — Num. XVI, 31 : *Disrupta est terra sub pedibus eorum... descenderuntque vivi in infernum.* Quod de inferno proprie dicto intelligunt interpretes.

70. Supplicia inferni objective et subjective considerari possunt. *Objective* considerata, triplex pœnarum genus complectuntur, quod continetur hac sententia, Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, — in ignem — æternum.* Pœna 1ª est *damni*, malitiæ qua peccator a Deo avertitur respondens, et sita in privatione intuitivæ visionis; 2ª est pœna *sensus*, quæ respondet inordinatæ conversioni ad creaturas; 3ª est utriusque pœnæ *æternitas*, quam æterni et infiniti Regis offensi ira implacabilis postulat.

71. Si quæras, utra pœna sit major, an damni, an sensus? respondet S. Chrysostomus, incomparabiliter majorem esse pœnam damni, quippe quæ majori et altiori bono, i. e. visioni beatificæ opponitur : quamobrem damnatio in hac pœna essentialiter consistit. — Quod si homines, qui in terris degunt, carentia visionis Dei non gravantur, minime putandum, id apud defunctos æque contingere. Maxima enim habetur hæc disparitas inter utrosque, quod carentia divinæ visionis est nobis mera *negatio :* cum hæc visio, quamdiu in terris degimus, nec debeat nobis inesse nec possit. At vero animabus corpore spoliatis, ac in termino constitutis, visio Dei debita jam est, vi supernaturalis destinationis omnibus intellectualibus creaturis a Deo gratis inditæ; ideoque visionis justa carentia est illis proprie dicta *privatio et pœna.* Quod egregie illustrat Daelman (2) exemplo Principis, culpa sua, regno privati.

72. Porro pœnæ damnatorum inæquales sunt : uti definit Conc. Flor. in decreto *Unionis*, et ostenditur, tum notione justitiæ Dei, tum Scripturæ testimonio : *Duplicate duplicia secundum opera ejus : in poculo quo miscuit, miscete ei duplum :*

(1) S. Aug. l. 2, *Retract.* c. 24 ; — Tertull. l. *de Anima*, c. 51 ; — Cyrill. Alex. *Orat. de exitu animæ.* — Cfr et S. Thom. *Suppl* q. 97, nec non Suar. t. 2, l. 8, c. 16. — Item Patrizzi, *De reproborum statu, et de sede inferni.*
(2) *De angelis*, observ. 18.

quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Apoc. XVIII, 7.

73. Supplicia in specie, consistunt in igne et aliis tormentorum generibus. — Esse in inferno ignem verum et naturalem, negavit Calvinus, docens, infernum nihil aliud esse quam anxietates terroresque conscientiæ : at communis Catholicorum sententia fert, verum ignem corporeum esse in inferno. Cujus rei affert S. Thomas hanc rationem convenientiæ : « De igne... quo cruciabuntur corpora damnatorum post « resurrectionem, oportet dicere quod sit corporeus ; quia « corpori non potest convenienter aptari pœna, nisi sit cor- « porea. Unde Greg. in 4 Dialogo, ex hoc ipso probat ignem « inferni esse corporeum, quod reprobi post resurrectionem « in eum detrudentur. Augustinus etiam... manifeste con- « fitetur, ignem illum, quo cruciabuntur corpora, esse cor- « poreum... Qualiter autem animæ damnatorum ab igne isto « corporeo crucientur, supra dictum est... (1). » Supplem. q. 98, art. 5, in corp. — « Quod *autem* ignis inferni, quantum « ad hoc quod habet de natura ignis, sit ejusdem speciei « cum igne qui apud nos est, manifestum est. Quasdam « tamen proprietates differentes habet ab igne nostro, ut « quod succensione non indiget, nec lignis nutritur... » Ibid. art. 2, in corp.

74. Igne illo corporeo animæ damnatorum torquentur. Scilicet ejus vis per Dei potentiam ita elevatur, ut et animabus corpore exutis, adeoque sensitivas potentias nullas, nisi in principio vel radice (2), habentibus ; et dæmonibus, corpori informando ac potentiæ sensitivæ habendæ prorsus ineptis, dolores inferat, quibus vere *crucientur in illa flamma.* Dolores illos, licet acerrimos, non esse tamen sensibiles sed intellectuales : id est, non afficere ullam sensitivam potentiam, sed tantum intellectivas seu spirituales, indubitatum est, quod spectat ad dæmones (3) ; quod vero ad animas separatas attinet, pariter affirmat, et quidem merito, angelicus Doctor ; propterea quod sensitivis potentiis actu careant (4).

(1) Cfr infra cit. S. Thom. pag. seq. n. 75. — (2) S. Th. 1 p. q. 77, art. 8, in corp.—(3) S. Th. 1 p. q. 64, art. 3.—(4) *Supplem.* q. 79, art. 1, 2, 8.

75. Si quæras modum, quo ignis spirituales dolores inferat, Suarez (1) id effici censet per qualitatem spiritualem (*doloriferam* appellat), qua ignis spiritualem substantiam invadat atque fœdet. — S. Augustinus generatim tradit, id fieri *miris, veris tamen modis* (2). Tandem S. Thomas ait : « Oportet dicere, quod anima ab igneo corpore pœnas patiatur : cum Dominus ignem illum diabolo et angelis ejus « paratum esse dicat, Matth. XXV, qui sunt incorporei « sicut ipsa anima. Sed quomodo pati possit multipliciter « assignatur. Quidam enim dixerunt... » Enumeratis variis explicationibus, quas alii tradiderunt, sic concludit : « Oportet ergo omnes prædictos modos in unum colligere, « ut perfecte videatur, quomodo anima ab igne corporeo « patiatur ; ut scilicet dicamus, quod ignis ex natura sua « habet, quod spiritus incorporeus ei conjungi possit, ut « loco locatum ; sed in quantum est instrumentum Divinæ « justitiæ, habet ut ipsum (spiritum) quodammodo retineat « alligatum, et in hoc veraciter ignis iste est spiritui nocivus : et sic anima ignem ut sibi nocivum videns, ab igne « cruciatur. Supplem. q. 70, art. 3 in corpore. » — Dæmones qui extra infernum in terra versantur, eadem ignis pœna torquentur, supplicia scilicet sua secum circumferentes.

76. Vermes quoque, tenebras, fletum, stridorem dentium esse in inferno, Scriptura testatur (3). S. Thomas vermes metaphorice intelligit, nempe pro remorsu conscientiæ : qui ideo dictus est vermis, quod ex putredine peccati ortus, uti vermis corporeus arrodendo carnem, sic, suggerendo memoriam scelerum, animam excruciet. — Tenebras vero esse corporeas putat ; non tamen ita spissas, ut nihil penitus luminis supersit : quo quidem damnati, post recuperatum corpus cum sensibus in generali resurrectione, res horrendas quibus circumstipantur, ad majorem infelicitatem pœnamque, conspicient. — Fletus intelligendus videtur planctus vocis, seu ululatus, quem damnati indesinenter edent. —

(1) Tom. 2, l. 8, c. 14, n. 41. — Cf. Lessius, *De Divinis perf.* l. 13, c. 30 et 29.— (2) *De civit.* l. 21, c. 10.— Cf. Suar. t. 2, l. 8, c. 12, 13, 14.
(3) Marc. IX, 43 seq.— Matth. VIII, 12.

Stridor dentium erit etiam corporalis, proveniens partim ex rabie, qua damnati in Deum fremunt, partim ex horrore et vehementia doloris; et forte etiam ex intensissimo frigore, ad quod, juxta S. Thomam et alios, ex maximo calore, perpetua vice, transibunt, juxta illud Job XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transeat ex aquis nivium.*

77. Denique, ex mente S. Thomæ, statui potest, fore in inferno omne pœnarum genus, secundum diversa peccatorum genera : nam *per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.* Sap. XI, 17. Qui igitur in pluribus diversisque peccarunt, multis quoque et diversis suppliciis cruciabuntur. Imo forte unus et idem ignis, tanquam instrumentum Dei, virtute pollebit varios varie cruciandi; puta excitandi in ebriosis sitim, in gulosis famem; alios vexandi calore, alios frigore; et sic porro, variatis in immensum tormentorum generibus. Quam universitatem pœnarum Scriptura videtur indicare, dum pœnas infernales tot diversis tormentorum speciebus exprimit.

78. Si inferni supplicia *subjective*, i. e. in ipsis damnatis spectentur, dicendum est, animam damnati, et secundum spirituales suas facultates, intellectum ac voluntatem; et secundum totam suam substantiam, nunc intime cruciari : post resurrectionem vero, totum hominem cruciatum iri, tam in corpore quam in anima, tam secundum inferiores, quam secundum spirituales potentias.

79. Quod spectat ad naturales facultates damnatorum, intellectum videlicet et voluntatem, dicendum est cum S. Thoma (1), eos cognitione naturali scire ea, quæ hic in terris sciverunt. Considerant, quantumvis inviti, et mala olim patrata ob quæ damnati sunt, et bona delectabilia quæ amiserunt; ita ut utrimque torqueantur. Cognoscunt etiam quædam ex iis, quæ in terris aguntur, dæmonibus manifestantibus; et quæ Deus in judicio particulari, vel alia speciali operatione, eis ostendit. Aliquo ex his modis cognovit profecto dives epulo, in inferno sepultus, Luc. XVI, fratres suos male vivere. Quæ autem de isto epulone commemoravit Christus, veram fuisse historiam et non meram parabo-

(1) *Suppl.* q. 98.

lam, Ambrosius, Augustinus et Gregorius existimant, atque ex nomine proprio Lazari colligendum videtur.

80. Deum quoque damnati cogitant, sed duntaxat ut inexorabilem vindicem : inde in summam illam Bonitatem prava eorum voluntas odiumque inexstinguibile. — Quidam etiam Deum blasphemant (1), non tamen omnes.

81. Beatos inæstimabili quadam gloria frui, nunc damnati confuse cognoscunt. In extremo judicio gloriosa corpora aspicient ; postea vero omni visione Beatorum carebunt. Illorum tamen gloriam memoria assidue versabunt, vehementerque dolebunt, tum præ invidia de felicitate aliena, tum præ mœrore, quod ipsi tantum bonum amiserint. Ex his recte S. Thomas concludit (2), omnem damnatorum cognitionem materiam illis esse tristitiæ.

82. Ad voluntatem damnatorum quod attinet, sicut dæmones in omni actu peccant, quia quidquid agant, ex fine superbiæ agunt ; similiter in damnatis, omnis deliberata voluntas est mala. Si quid etiam boni velint, id non bene volunt, sed ex fine perverso. Sic, v. g., nunquam eos pœnitet peccati, quia peccatum est ; sed tantum quia pœnam habet comitem : atque ita malitiæ peccati manent voluntate affixi. Quo sensu intelligendum est quod Sap. V, 3, de impiis in die judicii dicitur : *Videntes turbabuntur timore horribili... pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes...*

83. Notandum est autem, sicut Beati bonis operibus, quæ in termino constituti faciunt, non merentur, neque essentialis gloriæ augmentum consequuntur ; ita damnatos peccatis suis non demereri, nec ullum principalis pœnæ incrementum accipere. Ratio est, quod utrique extra statum viæ degant, et ad ultimum terminum quisque suum, præmii vel pœnæ, pervenerint ; ubi nullus jam superest sive merito sive demerito locus. Mala tamen voluntas, cum peccatis ex ea commissis, ipsa est damnatis pœna et supplicium ; sicut bona voluntas Beatis est præmium (3).

84. Q. 3° *Quid de infantibus sentiendum, qui in solo peccato originali moriuntur ?* — R. *Fide certum* est, hujusmodi infan-

(1) Cfr S. Thom. 2. 2, q. 13, art. 4 ; — item Baii, propos. damn. 49.
(2) *Suppl.* q. 98, art. 8, 9.— (3) 2. 2, q. 13 et *Suppl.* q. 98, art. 6.

tes in cœlum venire non posse, ac proinde pœnam damni perpeti. Quidam cum S. Augustino (1) putant, eos plecti aliqua etiam pœna sensus, licet præ adultorum pœnis mitissima: — Alii cum S. Thoma (2) id negant; tum quia pœna sensus solum peccatis actualibus respondet: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, Matth. XXV, 42; tum quia Innocentius in cap. *Majores* de Bapt. ait: *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis vero pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus.* S. Greg. Nazianzenus, orat. 20, ait, hos parvulos supplicio non affici. Tertia ratio additur, quia pœna sensus proportionata non est originali peccato.

85. Præterea S. Thomas hæc tradit: « Pueri... nunquam « fuerunt proportionati ad hoc, quod vitam æternam habe- « rent... et ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis « divinæ: imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt « *multum* de divina bonitate et perfectionibus naturali- « bus (3). » — Et infra (4): « Quamvis pueri non baptizati sint « separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est « per gloriam; non tamen ab eo penitus sunt separati, imo « ei *conjunguntur per participationem naturalium bonorum; et* « *ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dile-* « *ctione.* » — Cæterum notant auctores, qui S. Thomæ sententiam amplectuntur, parvulos illos *non proprie esse beatos* illa beatitudine naturali, quæ statui puræ naturæ perfecte respondet (5).

86. Q. 4° *Quid est Cœlum, Beatitudo, Lumen gloriæ?* — R. *Cœlum* seu *Paradisus*, est locus, ubi Deus gloriam suam manifestat, et semetipsum clare ac intuitive conspiciendum præbet electis suis, qui ibidem perfecta felicitate fruuntur. Distinguendum est autem cœlum, quatenus *beatitudo*, et cœlum quatenus *locus*. — Quatenus *beatitudo*, cœlum est in spiritibus beatis, qui visione beatifica fruuntur, et quidem ubicumque ea fruuntur. Sic angeli custodes cœlum habent in

(1) Serm. 14, *De Verb. Apost.* c. 3. — (2) 3 p. q. 1, a. 4, ad 2. — Suarez. t. 17, disp. 58, sect. 6; t. 19, disp 48, sect. 4.

(3) *Supplem.* q. 71, art. 2, alias *Appendicis*, quæst. 1, art. 2. — (4) Ibid. ad 5. — (5) Cf. Perrone, *De Deo creatore*, n 816, seqq. Item Lessius, *De divinis perfection.*, l. 13, cap. 22, n. 143 et seqq.

terra, quia *semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.* Matth. XVIII, 10.—Quatenus locus, cœlum seu cœli spatium, est a terreno nostro loco distinctum. *Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.* Ps. CXIII.

87. Quem quidem cœli locum definitum existere, Scriptura docet; ubi autem proprie situs sit, non docet; indicat tamen, ad eum tanquam ad altitudinem ascendi. *Adscendens* (Christus) *in altum, captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus. Quod autem adscendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui adscendit super omnes cœlos.* Ephes. IV, 8 seqq.

88. Status animarum in cœlo, a Patribus concipitur veluti libertas ab omni miseria, abundantia bonorum omnium, intima cum Deo conjunctio, visio clara, immediata et intuitiva Dei sicuti est, in unitate et Trinitate sua ; plena veritatis cognitio, consummatio charitatis: hic autem status vocatur beatitudo.

89. *Beatitudo*, quæ etiam *summum bonum* ac *ultimus finis* dicitur, quamque omnes, tam boni quam pravi homines, vehementer appetunt, definitur in genere a Boetio : *Status, omnium bonorum aggregatione perfectus;* et a S. Augustino : *Bonorum omnium summa et cumulus* ; a Scholasticis passim definiri solet: *Summum bonum, appetitus rationalis adæquate satiativum* (1).

90. Beatitudo hominis distinguitur multiplex. Nam 1) alia est *naturalis*, quæ naturæ rationali secundum se sumptæ convenit, et quam solis naturæ viribus, ac naturali Dei auxilio, creatura rationalis assequi potest; estque status, bonorum naturalium aggregatione perfectus. Alia est *supernaturalis*, quæ naturæ vires excedit, et solis gratiæ auxiliis comparari potest. 2) Beatitudo supernaturalis alia est imperfecta et *viæ*, per quam homo summo bono conjungitur, eo modo, quo in vita hac mortali conjungi potest; alia est perfecta et *patriæ*, qua homo summo bono, modo perfectissimo creaturæ competente, post hanc vitam fruitur. 3) Beatitudo supernaturalis *patriæ*, alia est *essentialis*, quæ circa primarium objectum beatificans; alia *accidentalis*, quæ circa objecta

(1) S. Thom. 1, 2, q. 2, art. 8.

secundaria versatur. 4) Alia est *perfecta* tantum essentialiter, quam animæ a corpore sejunctæ, et plene purgatæ, mox percipiunt; alia est numeris omnibus *completa*, quam, resumptis post resurrectionem corporibus, possidebunt. 5) Alia est *formalis:* scilicet operatio, qua summum Bonum apprehenditur et possidetur. Hæc perfectissima operatio tribus potissimum actibus continetur: visionis, amoris et gaudii (1). Alia est *objectiva;* nimirum res seu objectum, cujus possessione plene satiatur rationalis appetitus. Ad quod requiritur, ut objectum omnia bonorum genera, saltem æquivalenter, contineat; ut sit ultimum, ad quod omnia referuntur; ut sit sufficiens, tollens omnem miseriam, et nihil anxie desiderandum relinquens; ut possit obtineri; demum ut sit stabile, omnem timorem excludens. Quæ requisita in Deo solo inveniuntur; quare recte Augustinus exclamat: ***Fecisti nos, Domine, ad te; et irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*** Conf. l. 1, c. 2.

91. Porro, in hac vita, perfectam completamque beatitudinem homo habere non potest: inchoatam et imperfectam, potest. Quo sensu Scriptura quosdam jam præsenti tempore beatos prædicat. Ps. CXVIII: *Beati immaculati in via...* In quæ verba Augustinus ait: *Si vis esse beatus, esto immaculatus.*

92. Beatitudo autem perfecta sedem habet in cœlo, atque in possessione et fruitione Dei per cognitionem et amorem consistit. Intuitiva hæc Dei cognitio vocatur *visio beatifica*, quia non minus clara atque distincta, imo clarior est visione rerum quas oculis conspicimus; et illum, qui ea fruitur, summe beatum efficit. Hæc beatitudo variis nominibus in Scriptura exprimitur: scilicet *vita æterna* vocatur, *tabernaculum æternum*, *patria nostra*, *regnum cœlorum*, *corona vincentibus destinata*, *paradisus Dei*, *hæreditas*, *convivium*, *nuptiæ*,

(1) Essentia, seu ratio beatitudinis formalis, in visione objecti beatifici, i. e. Dei, consistit, saltem *radicaliter* et *principaliter*, juxta omnes; *totaliter*, juxta multos, præsertim Thomistas. At « verius est, » ait Lessius, « et communi modo concipiendi conformius, ad rationem integræ beatitu« dinis pertinere, non solum nudam visionem, sed etiam amorem et gau« dium. » *In* 1. 2, *q.* 3, *art.* 4, dub. 1.

sessio in throno Christi, *sabbatismus* (1). Scholastici statum animæ beatæ nomine *comprehensionis*, *termini*, *patriæ* designant; utpote statui hujusce vitæ oppositum, quæ a S. Paulo exhibetur ut *stadium*, *cursus*, *peregrinatio*.

93. Concilium Viennense (1311) contra Beguardos statuit, ad Dei intuitivam visionem eliciendam requiri *lumen gloriæ*, quo humanus intellectus elevetur. Ratio est, quia intellectus noster, ex solis naturæ viribus, non est capax actus supernaturalis eliciendi, ad quem proportionem non habet. Actio autem supernaturalis est visio beatifica, et quidem maxime ; ergo ejus eliciendæ intellectus noster naturaliter incapax est ; ergo indiget supernaturali auxilio, quod super nativam conditionem illum evehat ; et hoc *lumen gloriæ* appellamus : *In lumine tuo videbimus lumen*. Ps. XXXV.

94. De tam miri luminis natura hæc statui possunt : 1) illud non est lux *increata*, quæ a Deo diffundatur, ut quidam dixerunt, ab eoque realiter distinguatur. Nam quidquid est, aut Deus est aut creatura ; sed lumen gloriæ non est Deus ; ergo est creatura. 2) Non omnino convenit inter Theologos, quid sit res ista creata. Omnes quidem consentiunt, illam esse principium quoddam *supernaturale*, intellectum confortans et complens in ratione potentiæ proximæ ad videndum Deum ; id enim, ut minimum, voluisse definire Viennense Concilium, satis constat ; — item, illud principium esse quid *habituale* atque *inhærens* intellectui, et non mere *actuale* non *extrinsecum*, communissime docetur contra Durandum, atque pro certo habendum. — At controvertitur, quodnam sit proprium munus luminis gloriæ, seu hujus habitualis atque inhærentis principii : an, ut disponat intellectum *in ratione causæ materialis*, ad visionem recipiendam ; an, ut per *modum speciei intelligibilis* moveat intellectum ad visionem eliciendam ; an, ut ad visionem *efficienter* concurrat cum intellectu Beati, atque ita illum elevet eodem modo, quo supernaturales habitus ex. gr. fidei : quemadmodum Suarez cum pluribus opinatur (2).

(1) II Cor. V, 1 et 8. — Matth. V, 20. — I Cor. XI, 25. — Apoc. II, 7. — 1 Pet. I, 4. — Luc. XXII, 30.— Matth. XXII, 2.— Apoc. III, 21.— Hebr. IV, 9 ; XI, 14.— (2) Cf. Platel. *Synops. theol.* de Deo, n. 53, 54.

95. Jam vero Beati, hoc lumine gloriæ illustrati, omnia quæ in Deo *formaliter ac necessario* sunt, vident secundum proprias et necessarias eorum rationes ; et hoc est *primarium* visionis beatificæ objectum. Nam visio Beatorum est intuitiva, facie ad faciem, ac quidditativa ; ergo omnia in Deo formaliter existentia vident. Hinc Beati vident mysterium SS. Trinitatis, omnesque perfectiones divinæ essentiæ.—Vident etiam aliquas creaturas, quod est objectum visionis beatificæ *secundarium*. Scilicet cognoscunt omnes creaturas existentes, rerum naturalium causas, species, vires, proprietates ; vident clare omnia fidei mysteria ; vident summam erga se Dei misericordiam ; nec sine perenni gratiarum actione aspiciunt suos socios, ac beatæ patriæ concives. Vident, quæ ad suum cujusque proprium statum pertinent : pontifices, quæ ad Ecclesiæ suæ regimen ; reges, quæ ad suum regnum spectant. Vident quoque honores et preces, quas viventes eis offerunt. — Non tamen omnes creaturas possibiles, nec ultimum diem judicii, nec secreta cordis, nec futura contingentia, nisi illis revelentur, cognoscunt (1).

96. Ex perfecta et intuitiva Dei visione oritur in Beatis intensissimus Dei amor (2), qui totam animæ capacitatem explet, ita ut nihil nisi Deum, aut propter Deum, amare possint ; quamobrem et impeccabiles sunt, quod S. Fulgentius (3) his verbis docet : *Firmissime tene, et nullatenus dubites,... non jam posse quemlibet Sanctorum in deterius commutari ; quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint.*

97. Q. 5° *An beatitudo erit in omnibus æqualis?* — R. Patros varios gradus in felicitate sanctorum agnoscunt ; imo inæqualitas subjectiva visionis beatificæ, in Concilio Flor. (4) definita est. Hæc inæqualitas, quæ diversitate meritorum nititur, beatitudinem, tum essentialem, tum accidentalem respicit. Beatitudo *essentialis*, seu visio beatifica, proportionata erit uniuscujusque, ut ita dicam, *receptivitati ;* quæ et ipsa ab

(1) Cf. S. Thom. p. 3, q. 10, art. 2 — Item Lafosse, *De Deo ac divinis attrib.* quæst. 4, art. 5, apud Migne, *Curs. theol.* tom. 7.
(2) I Cor. XIII, 8; Apoc. IV, 8 seq.— (3) Lib. *De fide ad Petr.* c. 23.
(4) Decret. *Unionis.*

uniuscujusque merito, et gratiæ sanctificantis gradu, pendebit. Hinc dicit Christus : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, Joan. XIV, 2; hinc SS. Patres docent, sicut sunt in Ecclesia militante diversi ordines, ita etiam gradus diversos reperiri in triumphante, quam illa cum sua hierarchia præfigurat. S. Hieron. *cont. Jovin.* L. 2. — Quod si Beatorum alius alio perfectius Deum intuetur, nullus tamen Deum *comprehendit;* cum divina essentia, utpote infinita, ac proinde infinite cognoscibilis, a nullo intellectu creato comprehendi possit.

98. Inæqualitas Beatorum respicit etiam *accidentalem* gloriam, quæ vocatur *aureola*. Aureola idem sonat ac *corona aurea minor:* dicitur *corona*, quia datur in præmium victoriæ; *aurea*, ob ejus pretium ; *minor*, respectu coronæ magnæ, i. e. essentialis beatitudinis et gloriæ. Si rem ipsam spectemus, aureola est gaudium accidentale, a Beatis de singulari quadam victoria perceptum, quod etiam in corpus post resurrectionem speciali fulgore redundabit. — Aureola est triplex: Martyrum, Virginum et Doctorum. Martyres enim vincunt mundum contemptu mortis ; Virgines carnem, cujus illecebris resistunt; Doctores, aliique verbi Dei ministri atque interpretes, vincunt diabolum, cum e cordibus hominum illum expellunt ; adeoque *cum ad justitiam erudiant multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates*. Dan. XII, 3.

99. Q. 6° *Quid est Purgatorium? Quis locus, quæ pœnæ et quæ duratio ejus?* — R. (1) *Purgatorium* est locus, in quo animæ justorum defunctorum, obnoxiæ pœnis temporalibus, satispatiuntur: Dicitur *satispatiuntur :* quia cum animæ ibi sint extra statum viæ, mereri amplius non possunt, nec *pro* debita pœna proprie satisfacere: sed tantum satisfaciunt *in* pœna, pœnam taxatam luunt, ita ut, nisi patiendo quantum satis est, liberare a pœna et juvare seipsas nequeant (2).

100. Locus purgatorii ordinarius, qui proprie et communiter nomine purgatorii significatur, juxta S. Thomam est situs sub terra, vicinus inferno. Putat S. Doctor, aliquando ani-

(1) Cfr S. Thom. *Suppl.* qq. 69, 71, 100.— Suarez, t. 19, disput. 45 seqq. — Valentia, t. 4, disp. XI, quæst. 1. — (2) Supra, *de Pœnit.* cap. 2, art. 4, n. 205.

mas extraordinarie extra illum locum purgari: *In diversis locis*, inquit, *aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum pœna innotescens, per suffragia Ecclesiæ mitigaretur* (1).

101. Pœna purgatorii est duplex: damni et sensus, utraque temporalis. — Pœna *damni* est visionis beatificæ, in pœnam peccatorum, retardatio.—Ad pœnam *sensus* quod attinet, constans et *retinenda* est *Latinorum sententia*, in purgatorio esse ignem materialem, similem infernali; hinc Ecclesia (2) animabus fidelium non tantum *lucis* et *pacis*, sed etiam, utique contra ignis ardorem, *refrigerii locum* petit. Id tamen *non est de fide*, cum Græci in Florentino contenderint, verum ignem in purgatorio non esse; sed tantum labores et dolores, qui pœnam sensus constituant; quæ doctrina, neque in Flor. neque in Trid. damnata est.

102. Circa pœnarum gravitatem docet S. Thomas, utramque pœnam, tam damni quam sensus, omni pœna hujus vitæ esse majorem. S. Bonaventura et Bellarminus censent, maximam quidem purgatorii pœnam graviorem esse maxima hujus sæculi; non tamen minimam purgatorii pœnam esse acerbiorem hujus vitæ maxima. Cæterum, etsi res hæc incerta est, nihilominus pœnam purgatorii esse valde gravem atque acerbam, constat, tum ex mente SS. Patrum, tum ex eo, quod futurum sæculum tempus retributionis et vindictæ sit; tum ex sollicitudine, qua pia Mater Ecclesia nos ad opera satisfactoria et Indulgentias lucrandas hortatur.

103. Certum pariter est, purgatorium inferno esse mitius. Multum etiam alleviatur ex Dei amicitia, qua fruuntur sanctæ patientes animæ; ex securitate adipiscendæ gloriæ; demum ex ipsa voluntatis conformitate cum sanctissimo Dei beneplacito.

104. Duratio pœnarum incerta est. Verumtamen aliquas animas ibi multos annos detineri, habet sensus fidelium et Ecclesiæ; cum anniversaria celebrent per plures annos, vel etiam in perpetuum duratura. S. Augustinus, Confess. l. 9, c. 13, orat pro matre sua Monica, ante 30 annos mortua, et

(1) Cfr S. Gregor. *Dialog.* lib. 4, c. 40. — (2) In canone Missæ.

rogat ut quotquot ista legerint, ejusdem defunctæ matris suæ meminerint ad altare.

105. Ad statum animarum in purgatorio quod attinet, 1) communiter docent TT., eas omnes de sua salute certas esse (1). — 2) Constat, eas peculiari Dei protectione esse impeccabiles. Nec obstat huic impeccabilitati, quod Ecclesia pro animabus purgatorii oret, *ut liberentur de pœnis inferni, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*; etenim dum Ecclesia sic orat, considerat et repræsentat animas ut de corpore, ipso temporis momento, decedentes, vel jamjam decessuras. Profecto hujusmodi repræsentationes in Ecclesia, inusitatæ non sunt; sic et in Adventu oramus : *Rorate cœli desuper... aperiatur terra et germinet Salvatorem;* mysterium scilicet olim peractum repræsentando, perinde ac si esset peragendum, cujus fructus ut nobis applicetur, postulamus. — Deinde animæ pœnas purgatorii summa patientia tolerant. Continuos quoque virtutum actus, præsertim charitatis, exercent: item actus fidei, quia nondum clare vident Deum; et spei, quia licet de Deo possidendo securæ, eum nondum possident. His tamen actibus non merentur, utpote in termino constitutæ.

106. Q. 7° *An defunctorum animæ quandoque viventibus apparent?* — R. Animæ a corpore separatæ, a mundo corporeo quoque sunt prorsus sejunctæ, nec ullam jam *naturalem* actionem in eum habent. Admittit tamen S. Thomas easdem animas sive beatas, sive damnatas, sive in purgatorio detentas, quandoque secundum dispositionem divinæ Providentiæ, conspectibus hominum præsentari (2).

(1) Bellarm. *De Purg.* l. 2, c. 4. — (2) *Suppl.* q. 69, art. 3. — Cf. Valentia, tom. 4, disp. XI, q. 1, punct. 2.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIVORUM CUM DEFUNCTIS COMMUNIONE.

107. Quoniam vivorum cum defunctis societas nititur in dogmate *Communionis Sanctorum:* primum de hac communione *generatim* agemus ; deinde vero *speciatim* de vivorum cum Ecclesia patiente et triumphante commerciis.

Articulus I, *de communione Sanctorum generatim.*
Articulus II, *de communione cum animabus purgatorii.*
Articulus III, *de communione cum Sanctis in cœlo.*

ARTICULUS I.

DE COMMUNIONE SANCTORUM GENERATIM.

QUÆSTIO.

108. *An vere datur communio Sanctorum, et in quo consistit?* — R. *Communio Sanctorum* est dogma fidei, articulo nono Symboli Apostolici propositum, constanter per traditionem perhibitum, et in Scripturis fundatum. Dicit enim Apostolus: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. XII, 5. — *Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* I Cor. XII, 13. — *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum... in ædificationem sui in charitate.* Ephes. IV, 15 et 16. Ex quibus concluditur, omnia esse in Ecclesia secundum quamdam mensuram communia, sacrificia, orationes, jejunia, etc.; ita ut omnia opera bona influant in corpus totum, quin tamen operantium individuale bonum inde minuatur. Sic fere in familia, aut in civitate, individuorum prosperitas toti prodest communitati.

109. Communio Sanctorum definiri potest: *Connexio existens inter omnia membra Ecclesiæ, tanquam unius corporis in*

Christo, et quidem pro tempore ac æternitate, ita ut bonorum spiritualium unius, alii secundum quamdam mensuram sint participes.

110. *Ecclesia* adæquate sumpta est triplex: Ecclesia *militans*, quæ constat fidelibus in terris; *patiens*, quæ animabus purgatorii; et *triumphans*, quæ Beatis in cœlo. Hæ non sunt nisi tres partes unius Ecclesiæ, et constituunt integrum corpus mysticum, cujus caput est Christus. Sunt quodammodo tres rami ejusdem arboris, tria agmina ejusdem exercitus, tres ejusdem regni provinciæ, tres ordines ejusdem civitatis. — Quare et membra Ecclesiæ, triplicis etiam sunt generis: militantia, patientia et triumphantia, quæ in Christo, communi Capite, vinculis charitatis inter se copulantur.—Dicitur in definitione, *pro tempore ac æternitate;* quia communionem Sanctorum mors non solvit, sicut nec communionem cum Christo. — Dicitur: communio *Sanctorum*, quia ad eam tantum pertinent membra veræ Ecclesiæ: quæ quidem in Scriptura *Sancti* propterea nominantur, quod omnes ad sanctitatem vocati sint, ac per Baptismum sanctificati, et multi ad perfectam sanctitatem perveniant.

111. Jam vero in quonam *speciatim* communio illa Sanctorum consistit? R. Communio Sanctorum *in terra* consistit: 1° in eo, ut omnes fideles cum Christo et inter se, eadem fide et iisdem sacramentis jungantur; 2° quod gratiæ a singulis receptæ, preces ac bona opera a singulis præstita, omnibus tanquam unius corporis membris, utilia sint; 3° quod justus viator possit in alterum justum viatorem suas satisfactiones transferre, quibus hic, coram Deo, a reatu pœnæ temporalis liberetur (1). — Ii vero, qui peccato mortali obnoxii vivunt in Ecclesia, cum sint membra mortua, spiritualium bonorum quæ vitam gratiæ supponunt, non possunt esse participes; attamen, propter justos et preces eorum, gratias multas ad pœnitentiam peragendam recipiunt.

112. Cum animabus *purgatorii* communicamus, eas diligendo, ut animas fratrum nostrorum dolore affectas, miserando, juvando, earumque pœnas pro viribus alleviando; et, quod probabile est, ab ipsis precum vicissitudinem recipiendo.

(1) Cf. Wirceburg. Theol. *De sacram. Pœnit.* cap. 6, art. 1, n. 248.

113. Cum Beatis *in cœlo* communicamus, eos honore prosequendo atque invocando; beneficia vicissim ab eis recipiendo, eorumque intercessione apud Deum fruendo.

ARTICULUS II.

DE COMMUNIONE CUM ANIMABUS PURGATORII.

PROPOSITIO.

Animæ in purgatorio detentæ vivorum suffragiis juvari possunt.

114. *De fide*, ex Trid. Sess. 26, Decreto de purgatorio.

115. PROB. 1° *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. II Machab. XII, 46.

116. 2° Tertullianus: *Oblationes pro defunctis annua die facimus*. De corona cap. 3. — Cyrillus Hieros.: *Pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt; maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii*. Catech. mystag. 5. — Huc accedunt antiquissimæ Liturgiæ, in quibus modus præscribitur orandi pro mortuis, et sacrificium offerendi, ut illis obtineantur *indulgentia*, *requies*, *perductio ad regna cœlorum*, etc.

117. 3° Dogma est Communio Sanctorum, qua fit, ut *si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra*, et *pro invicem membra sint sollicita*, I Cor. XII, 25; ergo viventium sollicitudine et suffragiis, patientia Ecclesiæ membra sublevari possunt.

QUÆSTIONES.

1° *Quænam suffragia pro defunctis fieri possunt?* — 2° *Quomodo suffragia defunctis prosunt?* — 3° *An præter suffragia, aliud nobis est cum animabus purgatorii commercium?*

118. QUÆR. 1° *Quænam suffragia pro defunctis fieri possunt?* — R. Suffragia pro defunctis plura sunt: 1) præcipuum est sacrosanctum Missæ sacrificium; 2) Indulgentiæ applicatæ; 3) orationes, eleemosynæ, et quæcumque alia opera bona in statu gratiæ peracta (1). — Dicitur: *in statu gratiæ peracta*;

(1) Cf. Supra, *De Pœnit.* cap. 2, art. 4, n. 225 seqq. et 289 seqq.

secus enim non forent proprie satisfactoria, neque ex opere operantis meritoria. Sacrificium Missæ vero ab ista conditione non pendet, quoniam valet ex opere operato. Suffragia quoque facta nomine Ecclesiæ, valent semper impetratorie, in quocumque animæ statu minister, per quem fiunt, existat (1).

119. Q. 2° *Quomodo suffragia defunctis prosunt?* — R. Suffragia valere possunt per modum satisfactionis, vel etiam impetrationis, aut meriti de congruo (2). Et quidem communis sententia (3) est, suffragia satisfactoria iis defunctis, pro quibus fiunt, prodesse *infallibiliter* : eo quod nullum in iis impedimentum sit, et Deus pro eis oblatas satisfactiones acceptare videatur, uti supponunt hæc Catechismi Romani verba : *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere* (4). Ita etiam habet sensus fidelium. — An vero suffragia iis defunctis prosint *quoad totum*, non ita constat. Probabilis est sententia Salmanticensium, qui docent (5), infallibiliter quidem suffragia animabus prodesse; sed ea tantum proportione, quam divina justitia et bonitas constituit, juxta cujusque animæ dispositionem. Hæc porro dispositio, et quasi capacitas, ex religione et charitate, quam unaquæque anima, dum olim in vivis ageret, exercuit, pendere videtur : *Præsumendum namque de divina pietate est*, inquiunt laudati TT., *quod ita providet, ut antiquæ erga sacrificium devotioni rependantur uberes sacrificii fructus; et quod aliorum charitas illos non deserat, qui illam exercuerunt erga animas eodem loco detentas, et paria sufferentes tormenta pœnarum* (6).

120. Quod si quis objiciat, divites ergo melioris esse conditionis, quum plura pro ipsis suffragia fiant quam pro pauperibus : respondendum est, *per accidens* fieri, ut plura suffragia pro divitibus offerantur. Nihil autem prohibet, divites *per accidens* esse melioris conditionis quoad aliquid, cum pauperes quoad alia similiter melioris conditionis

(1) S. Thom. *Supplem.* q. 71, a. 3.— (2) Cf. Suar. t 19, disp. 48, sect. 5.
(3) Lugo, *de Pœnit.* disp. 26, sect. 1. — (4) *De sacram. Pœnit.* n. 61.
(5) Tract. 23, *De Euchar.* disput. 13, dub. 5, § 4.
(6) Salmantic. ibid. dub. 6, § 3, n. 123.

sint. — Deinde, quod pauperes ex hoc capite minus habent, forte eo compensatur, quod suffragia facta pro damnatis vel pro Beatis, Deus pauperibus ex magna parte applicet. Præterea, licet suffragia infallibiliter prosint illis defunctis, pro quibus fiunt; tamen probabiliter a justa Dei voluntate pendet, ut totam, vel tantum partem remissionis pœnarum consequantur; prout modo dictum est. Quare, etiamsi pro anima divitis plura fiant suffragia, non sequitur eam semper plus juvari quam animam pauperis (1).

121. Q. 3° *An, præter suffragia, aliud nobis est cum animabus Purgatorii commercium?* — R. Probabilius animæ purgatorii orant pro nobis, præsertim eas juvantibus (2). Nihil enim obstare videtur, cum nobiscum sint communione conjunctæ, et nos aliorum suffragiis indigere sciant. Sic Moyses et Jeremias leguntur post mortem orasse pro populo. — Probabilis quoque est sententia Bellarmini, licitum esse animas purgatorii invocare, sicut preces piorum hominum in terris viventium licet poscere : quod tamen Ecclesia publice facere non consuevit.

ARTICULUS III.

DE COMMUNIONE CUM SANCTIS IN COELO.

122. Vinculum inter Ecclesiam militantem et triumphantem duplex est : alterum activum quoad nos, alterum passivum ; seu alterum honorificentiæ ex parte nostra, alterum intercessionis et beneficentiæ ex parte Sanctorum. Vinculum illud potest etiam dici mutuum, hic in cultu, illic in intercessione situm.

Propositio I, *de cultu Sanctorum.*
Propositio II, *de cultu Reliquiarum et Imaginum.*
Propositio III, *de Sanctorum pro nobis intercessione.*
Quæstiones.

PROPOSITIO I.

Cultus Sanctorum rectus et laudabilis est.

123. Propositio *fide certa*, ex Trid. Sess. 25, decreto *de cultu et invoc. Sanctorum;* item ex Nicæna Synodo II (787), docente, Sanctorum imagines esse venerandas : *Imaginis*

(1) Cfr S. Thom. ibid. art. 12. — (2) Cfr Bellarm. *De Purgat.* l. I, c. 15.

enim honor, ait, *ad primitivum transit ; et qui colit imaginem, colit in ea depicti subsistentiam.*

124. Nomine *cultus Sanctorum* significatur cultus, quem Ecclesia præstare solet, tum BB. Virgini, tum SS. Angelis, tum Beatis reliquis.

125. Porro cultus hujusmodi est *cultus* (1) *sacer*, *subordinatus* quidem, sed tamen *absolutus*. — Dicitur *sacer*, ratione objecti formalis, seu motivi ; i. e. quia Sanctis ob excellentiam eorum supernaturalem defertur. — *Subordinatus*, quia excellentia supernaturalis, ob quam coluntur Sancti, non est suprema seu divina, sed creata et a Deo participata. — Tamen *absolutus* : 1) quia excellentia Sanctorum, licet a Deo accepta, ipsis nihilominus inhæret ut propria atque intrinseca. Quare Sancti, donis Dei ornati, ita coluntur, ut cultus in ipsos terminetur *absolute ;* licet in Deum, tanquam eorum excellentiæ auctorem, redundet. 2) Dicitur quoque *absolutus,* ut distinguatur a cultu *relativo*, qui defertur Imaginibus et Reliquiis, propter excellentiam non earum propriam, sed Sanctorum, ad quos referuntur.

126. PROB. 1° In Scripturis legitur religiosus cultus Angelis exhibitus, nec Scriptura reprehendente, nec Angelis repugnantibus. Sic Josue, videns virum stantem ex adverso, stricto gladio, dixit ad eum : *Noster es, an adversariorum? Qui respondit : Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini. Et cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait...* Jos. V, 13-15. Cf. Gen. XVIII, XIX.

127. 2° Ille cultus procul dubio legitimus est et laudabilis, qui in Ecclesia a principio semper obtinuit ; atqui talis est cultus Sanctorum. Nihil est in tota antiquitate certius, nihil vulgatius, quam Basilicæ nominibus Sanctorum insignitæ. In constitutionibus Apostolicis, lib. 8, c. 33, præcipitur fidelibus, ut diebus S. Stephano aliisque Martyribus sacris, ab operibus servilibus abstineant (2). S. Hieronymus : *Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Epist. ad Riparium de error. Vigilantii. — Præterea, colendo Sanctos, efficaciter incitantur fideles ad eorum vestigia sectanda, etc.

(1) Cf. tom. 1, tract. 8, *De Incarn.* cap. 4, quæst. præv. n. 345 seqq.
(2) Cfr Bellarm. Opp. t. 2, *De Eccl. triumphante,* lib. 2, cap. 13.

PROPOSITIO II.

Cultus SS. Reliquiarum et Imaginum licitus atque laudabilis est.

128. Utraque pars propositionis *fide certa* est, ut patet ex Trid. decreto Sess. 25; — item ex damnatione Iconomachorum in Conc Nicæno II.

129. *Reliquiæ* sunt corpora Sanctorum, ossa, aliæve partes corporis; vel res quælibet attactu corporum sanctificatæ: ut vestes, vincula, aliaque passionis Sanctorum instrumenta inanimata. Dico *inanimata*, ad excludenda membra tortorum, quæ fuerunt instrumenta animata iniquitatis, non sanctificata contactu corporum Sanctorum, sed potius informata malitia impiorum.

130. *Imago* est similitudo sive repræsentatio rei existentis, ad illam rem, ut ad exemplar, expressa. Imago enim ab *imitando* dicitur, quia rem imitando repræsentat. — *Imago* differt ab *idolo*, eo quod idolum sit simulacrum repræsentans rem, quæ vel simpliciter non est, vel certe non talis est qualis colitur; imago vero est similitudo rei vere existentis, v. g. Beatissimæ Virginis. Quare Paulus scribit, I Cor. VIII, 4: *Scimus quia nihil est idolum in mundo;* nihil scilicet in repræsentatione sua, quia nihil divinitatis in eo, vel in ejus prototypo inest.

131. *Cultus imaginum* intelligitur, qui illis tribuitur quatenus formaliter imagines sunt. Imagines enim, ut adnotat S. Thomas (1), dupliciter considerari possunt: 1° prout sunt res quædam, seu certa materia, puta aurum vel lignum sculptum aut pictum; et eatenus imagines non licet venerari. 2° Prout sunt imagines seu repræsentationes Christi vel Sanctorum; et eatenus fas est atque convenit, illas venerari et colere.

132. Cultus porro, qui Imaginibus et Reliquiis defertur, est *sacer* (ut supra de cultu Sanctorum diximus); quia tribuitur objecto propter supernaturalem excellentiam: sed *relativus* seu *respectivus;* quia defertur propter illam ut propriam atque intrinsecam, non *objecto immediato*, i. e. non Imagini-

(1) P. 3, q. 25, art. 3.

bus et Reliquiis, sed alteri *objecto mediato*, ad quod referuntur : i. e. Christo vel Sanctis, quorum sunt Imagines vel Reliquiæ: ad illos terminatur cultus, vel adæquate, si agatur de Christo; vel inadæquate, et cum redundantia in Deum, si de Sanctis agatur.

133. PROB. PARS PRIOR, *bonus est cultus Reliquiarum*. 1° Deus hunc cultum innumeris miraculis comprobavit. *Ossa ipsius* (Josephi) *post mortem prophetaverunt*. Eccli. XLIX, 18. — Cfr. IV Reg. II, 14, et XIII, 21.

134. 2° Hic cultus in Ecclesia a principio semper viguit; quod patet factis historicis, et expressis Patrum testimoniis. In Ecclesiæ Smyrnensis epistola ad Ecclesias Ponti, de S. Polycarpi martyrio, hæc legimus : *Ossa illius gemmis clariora, et quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condidimus* (1).

135. 3° Rationem addit S. Thomas ad mentem S. Augustini (2) : *Qui habet affectum ad aliquem, veneratur omnia quæ de ipso post mortem relinquuntur*; *ergo cum Sanctos tanquam membra Christi et nostros intercessores veneremur*, *consequenter etiam debemus eorum Reliquias honore congruo venerari* (3).

136. PARS ALTERA, *de cultu Imaginum*. 1° Imagines, licet initio Ecclesiæ et persecutionum tempore minus frequentes, tamen semper in usu fuerunt ; ut patet ex picturis aliisque ornamentis, quæ partim adhuc in Catacumbis conspiciuntur. —In Missa S. Chrysostomi legitur: *Sacerdos egreditur e parvo ostio*, *portans Evangelium*, *præcedente ministro cum lucerna*, *et conversus ad Christi imaginem inter duo ostia*, *inflexo capite*, *cum exclamatione dicit*... (4).

137. 2° Ratione confirmatur. 1) Naturali sensu ducimur ad imagines eorum colendas, quos diligimus et honore prosequimur. 2) Regum imaginibus defertur cultus civilis ; a pari, aut a fortiori, Sanctorum imaginibus deferendus est cultus sacer. Ita ratiocinabatur S. Stephanus Auxensanus coram Constantino Copronymo (5). — 3) Licet signum venerari pro-

(1) Cfr Bellarm. *De Eccl. triump.* l. 2, cap. 3. — (2) *De Civ.* lib. 1, c. 13.
(3) P. 3, q. 25, art. 6. — (4) Cfr Bellarm. l. c. lib. 2, cap. 9.
(5) Baron. Annal. an. 760.

pter personam quam significat; quia veneratio illa non est nisi cultus ipsi personæ, quamvis indirecte, præstitus.

PROPOSITIO III.

Sancti pro nobis apud Deum intercedunt, eosque invocare bonum est atque utile.

138. *Fide certum*, ex eodem Decreto Trid. Sess. 25, et Concil. Nicæno II.

139. PROB. 1° Exemplis utriusque Testamenti. Legimus apud Jerem. XV, 1: *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.—Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei.* II Machab. XV, 14. — Apostolus ad Thessal. scribit: *Fratres, orate pro nobis.* I Thess. V, 25. Jam vero si Sancti, qui in hac mortali vita adhuc peregrinantur a Domino, pro aliis intercedere possunt, quanto magis id poterunt Sancti, qui cum Christo in cœlis triumphant!

140. 2° Traditione perpetua. Ecclesia semper professa est fidem de communione Sanctorum (1); atqui hæc communio intercessionem et invocationem Sanctorum involvit. — Statim ac Vigilantius, sæculo V, Sanctorum invocationem cœpit impugnare, S. Hieronymi scriptis et totius Ecclesiæ exsecratione oppressus est.—Origenes sæculo III scribebat: *Quis dubitet, quod sancti quique Patrum et orationibus nos juvent, et gestorum suorum confirment exemplis?* Homil. 21 in Num. (2).

QUÆSTIONES.

1° *Qualis cultus exhibetur SS. Imaginibus et Reliquiis?* — 2° *Quænam vocantur imagines Miraculosæ?* —3° *Quo cultu venerandum est veræ Crucis lignum ejusque imago?*

141. QUÆR. 1° *Qualis cultus exhibetur SS Imaginibus et Reliquiis?* — R. Imagines eodem cultu prosequimur, quo prototypa, sed respectivo tantum, ut modo diximus. Sic imago

(1) Cfr supra, huj. cap. art. 1, n. 108.

(2) Cfr Bellarm. loc. cit. — Ad objectionem tritam: angelos et sanctos non cognoscere invocationem nostram, respondetur verbis Domini, Luc. XV, 10: *Gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccat. pœnit. agente.*

Christi latriæ, B. Virginis hyperduliæ, Sanctorum vero imagines duliæ obsequio coluntur. Quo porro cultu veneramur imagines, quatenus prototypum seu personam repræsentant; eodem quoque reliquias amplectimur, quatenus cum persona Christi vel B. Virginis Sanctorumve sunt aut fuerunt conjunctæ.

142. Q. 2° *Quænam vocantur imagines Miraculosæ?* — R. Prærogativa illa imaginum petenda est, juxta S. Augustinum (1), ex gratuita Dei voluntate, cui placet specialia beneficia conferre iis potius qui hanc, quam qui illam imaginem venerantur. Sic Deus aspicientibus serpentem æneum, a Moyse erectum, sanitatem restituebat; non ita iis, qui alium aspicerent; sic Christus visum restituit cæco nato, qui se in natatoria Siloe abluerat; et Naaman Syrus a lepra mundatus est in Jordane, potius quam alibi.

143. Q. 3° *Quo cultu venerandum est veræ Crucis lignum ejusque imago?* — R. Lignum veræ Crucis aliasque reliquias passionis Christi veneramur, quatenus fuerunt victricis mortis ejus et exaltationis instrumenta, contactu quoque divini corporis consecrata. Discrimen tamen inter veram Crucem ejusque imagines intercedit, valde notandum. Illa enim non tantum imaginis rationem continet, prout crucifixi Domini figuram exhibet; sed etiam, et maxime, rationem reliquiarum. Aliæ autem cruces, ad similitudinem veræ Crucis factæ, habent tantum rationem imaginis.

144. Jam vero cultus, seu potius adoratio S. Crucis, est cultus latriæ relativæ. Est enim veneratio et adoratio ipsi Christo indirecte exhibita; siquidem genuflexio, et signa quælibet adorationis Cruci præstita, terminantur ad illum qui in ipsa pependit. — Idem de aliis reliquiis et imaginibus Christi sentiendum est. Cum Ecclesia cantat: *O Crux, ave, spes unica!* per fictionem personæ inducit Crucem, pro Victima quæ Cruci affixa est, quasi diceret: O Christe crucifixe, ave, spes unica!

(1) Cfr Epist. 157.

CAPUT TERTIUM.

DE CONSUMMATIONE SÆCULI.

---

145. Ad consummationem sæculi, quæ secundo Christi adventu continget, tria referuntur : signa prævia, resurrectio mortuorum, judicium universale. Hinc tres articuli :

Articulus I, *de secundo Christi adventu, signisque præviis.*
Articulus II, *de resurrectione mortuorum.*
Articulus III, *de judicio universali.*

ARTICULUS I.

DE SECUNDO CHRISTI ADVENTU, SIGNISQUE PRÆVIIS.

QUÆSTIONES.

1° *Quis consummationem sæculi operabitur ?* — 2° *Quomodo primus et secundus Christi adventus inter se conveniunt et differunt?* — 3° *Ubi et quando secundus adventus continget ?* — 4° *Quis nomine Antichristi intelligendus est ?* — 5° *Quinam erunt boni præcursores Christi ?* — 6° *Quænam signa adventum Christi præcedent ?*

146. QUÆR. 1° *Quis consummationem sæculi operabitur ?* — R. Christus, qui est principium et finis : *Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis.* Apoc. XXII, 13.—*Quod signum adventus tui et consummationis sæculi?* Matth. XXIV, 3. — Consummationem operabitur Christus immediate, personaliter cum sua humanitate visibili in terram veniens : *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Act. I, 11. — Veniet autem qua Judex, ut judicio universali finem imponat mundo : *Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Act. X, 42.

147. Q. 2° *Quomodo primus et secundus Christi adventus inter se conveniunt et differunt?* — R. Duplex Christi adventus

visibilis, alter præteritus, alter futurus, quos fides catholica confitetur, *conveniunt* in sequentibus: 1) uterque est admirabilis, supernaturalis, ac Deo dignus; 2) uterque primario ad hominum salutem; 3) uterque, ut Christus regnum sibi comparet.

148. In his autem *differunt:* 1) primus adventus contigit in medio temporum; secundum in fine mundi continget. 2) Primus incarnatione Verbi et humana generatione peractus est; secundus solum motu locali perficietur. 3) Primus ad redimendos et docendos homines; secundus ad eos judicandos. 4) Primus fuit in passibili carne, et in apparatu exteriori humilis; secundus erit gloriosus. 5) In primo, Christus cœleste regnum sibi promeruit; in secundo acquiret perfectam ac consummatam sui regni possessionem. 6) In primo, absoluta peregrinatione, cœlum conscendit in terram rediturus; in secundo, rerum omnium ordine consummato, ad cœlum ascendet nunquam huc rediturus. 7) Primi adventus præcursor fuit Joannes; secundi, erunt Henoch et Elias; utriusque etiam prænuntia signa diversa.

149. Q. 3° *Ubi et quando fiet secundus Christi adventus?* — Respondetur communiter, prope vallem Josaphat, inter montem Oliveti et urbem Jerusalem; ubi, juxta communem PP. et TT. opinionem, universale judicium exercebitur. Joel. III, 2: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi.* Quoniam vero istud vocabulum *Josaphat* significat *judicium Dei*, propterea huic valli tanquam proprium nomen impositum fuisse videtur.

150. Diem, quo secundus Christi adventus continget, ac tempus definitum, quo mundus duraturus est, Deus voluit esse ignotum. *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Matth. XXIV, 36.—*Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. I, 7.

151. Q. 4° *Quis nomine Antichristi intelligendus est?* — R. Nomen *antichristus* dupliciter in Scripturis accipitur: 1) ut omnes eos significet, qui Christum oppugnant; maxime vero qui negant Filium Dei in carne venisse, et simul Deum atque hominem esse. 2) Ut denotet magnum illum Christi ad-

versarium, qui in fine mundi venturus describitur, quique antonomastice *Antichristus* nuncupatur (1). — De hoc ultimo quæri solet præcipue, 1) quinam sit futurus ; 2) qualis, quoad natales, vitæ conditionem, mores, doctrinam, etc. ; 3) quandonam in mundo sit appariturus ; 4) quid acturus ; 5) ubinam potissimum suam sedem habiturus, quamdiu prævaliturus, demum quomodo periturus sit. Ad quæ singula breviter, juxta Patrum et TT. doctrinam, respondeo (2).

152. 1) Antichristus, non diabolus, sed homo erit, singularis ac determinatus, de quo II Thess. II, 2 : *Neque terreamini,... quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo : quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit* HOMO *peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus... Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum : cujus est adventus secundum operationem satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione inquitatis iis qui pereunt* (3).

153. 2) Licet origo Antichristi sit incerta, communius censetur, eum fore et genere et professione Judæum.

154. 3) Ex II Thess. II, et Apoc. XIII, ubi S. Joannes Antichristi actiones ac mores sub bestiæ nomine describit, eruitur, Antichristum fore superbum, impium, crudelem et libidinosum : *Et erit in concupiscentiis feminarum*. Dan. XI, 37.

155. 4) Docebit, Jesum Christum non fuisse Filium Dei ; se autem esse Messiam Judæis promissum. Quam doctrinam signis ac præstigiis confirmabit, adeo inusitatis et miris, *ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Matth. XXIV, 24.

156. 5) Universum orbem subjiciet imperio (4), cujus præcipua sedes erit Jerosolymæ. Christianos persequetur acerbissime (5) ; eruntque præclarissimi martyres, at simul plu-

(1) Cf. I Joan. II, 18.
(2) Cf Suar. t. 17, disp. 54. — (3) Cf. Dan. VII, 20 seqq. XI, 40 seqq. — Apoc. XI, seqq.
(4) Dan. VII. — (5) Matth. XXIV, 21 ; Dan. VII ; Apoc. XIII

rimi fidei desertores. Ecclesia tamen, utut vexata, non penitus exstinguetur: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* eritque cum ea Christus *usque ad consummationem sæculi.*

157. 6) Stabilitum Antichristi regnum, et persecutionis furor non diu durabit; probabiliter tres annos et dimidium (1): *Propter electos breviabuntur dies illi.* Matth. XXIV, 22. — Homo peccati adventu Christi (2), i. e. aliquo splendenti signo aut præsagio adventus, occidetur; ejusque ministri paulo post peribunt; de quibus dicitur, Apoc. XX, 9: *Descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos.*—Hinc sequetur Ecclesiæ magna tranquillitas, donec, post paucorum annorum intervallum, subito veniat mundi excidium (3).

158. Q. 5° *Quinam erunt boni præcursores Christi?* — R. Henoch et Elias: qui non sunt mortui, necdum glorificati, sed a Deo reservati, ut tempore Antichristi appareant, et prædicatione sua Ecclesiam defendant. Quæ *fide certa* sunt (4). — Voluit autem Deus, hosce viros ex prioribus mundi ætatibus generationi novissimæ prædicare, tum ut solemnior, adeoque potentior futura sit Fidei prædicatio; tum etiam ut ostendatur, eumdem esse omnis legis, Naturæ, Circumcisionis et Gratiæ auctorem Deum: eumdem esse Christum et eamdem Fidem, quæ ab initio mundi usque ad finem prædicatur, atque in Ecclesia perseverat. Hebr. XI, 5: *Henoch translatus est, ne videret mortem* (5). — Malach. VI, 5: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* — S. Ambrosius, in I Cor. IV: *Sicut*, inquit, *passuri sunt Henoch et Elias, qui ultimo tempore futuri sunt apostoli. Mitti enim habent ante Christum, ad præparandum populum Dei et uniendas Ecclesias, ad resistendum Antichristo.* Ipsi sunt duæ olivæ et duo candelabra, de quibus Apoc. XI; duo illi testes, saccis amicti, miraculis potentes, qui dicuntur prophetaturi diebus mille ducentis sexaginta, et Jerosolymis a *bestia*, i. e. ab Antichristo occidendi. Mox autem, audita hac voce cœlitus emissa: *Ascendite*

(1) Dan. VII, 25.—(2) II Thess. II, 8.—(3) Matth. XXIV, 37.—(4) Cf. Suar. t. 17, disp. 55, sect. 1, 2, 3.— (5) Cf. Eccli. XLIV, 16; IV Reg. II, 11.

huc, statim resurgent, et in cœlum coram omnibus ascendent (1).

159. Q. 6° *Quænam signa adventum Christi præcedent?* — R. Præter adventum et imperium Antichristi, quocum connexa est magna apostasia seu discessio (2), alia multa signa in Scripturis indicantur, quæ vel ante, vel circa idem tempus evenient. 1) Evangelium ubique terrarum antea prædicabitur (3), eo saltem, prout videtur, fructu, ut in omnibus regionibus, ac præcipuis provinciis, aliquot templa exstruantur et Christiana religio exerceatur.

160. 2) Judæi convertentur ad Christum : *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient*, Rom, IX, 27 (4) ; tamen, *probabilius*, non omnes, sed maxima eorum pars, ii nempe, de quibus Daniel XII, 1 : *In tempore illo salvabitur populus tuum omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro.*

161. 3) Inter homines orientur variæ plagæ (5), pestes, fames, prælia, regnorum divisiones ac mutationes, etc., quæ Matth. XXIV annuntiantur.

162. 4) Natura turbabitur : in aere insolita tonitrua, fulgura, fulmina; in mari, terribiles tempestates et aquarum sonitus ; in terra, ingentes quassationes, hiatus, locorum eversiones, per id tempus contingent.

163. 5) Signa erunt in cœlis : Matth. XXIV, 29 : *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur.* — Quidam putant *solem obscuratum iri* exstincto ejus lumine ; alii vero, hoc lumine tantum impedito, per stupendam lunæ, astrorum, vel nubium interpositionem. — *Stellæ cadent*, i. e. juxta fere omnes PP., obscurabuntur et lumen suum retrahent. — *Virtutes cœlorum commovebuntur*, i. e. ipsa astra inusitatis motibus cursum mutabunt suum ; nisi, ut alii volunt, id de angelis, divinæ justitiæ ministris, intelligendum sit. — Apoc. VI, 14 : *Cœlum recessit sicut liber involutus* : i. e. obtenebrescet simile

(1) Apoc. XI, 12.— (2) II Thess. II, 3. — (3) Matth. XXIV, 14.
(4) Cf. Rom. XI, 25; Matth. XVII, 11 ; Joel. III, 1. — (5) Cf. Lessius, *De div. perfect.* l. 13, c. 18.

libro complicato, in quo nihil amplius legi aut perspici potest.

164. 6) Expleto tempore quietis, quod Deus Antichristi persecutionem, peccatorum reducendorum gratia, subsecuturum definivit, excitabitur ignis conflagrationis ; qui, juxta communiorem sententiam, adventum Judicis non subsequetur, sed antecedet : *Ignis ante ipsum præcedet.* Ps. XCVI. — *Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu transient, elementa vera calore solventur ; terra autem, et quæ in ipsa sunt opera exurentur.* II Pet. III, 10.—Erit autem ignis verus atque corporeus, in mundi incendium effusus, ut olim cataractæ cœli in diluvium ; agetque, non solum vi naturæ, sed etiam tanquam instrumentum Dei : ut 1) quæcumque sunt in superficie terræ, animalia, plantas, opera hominum, comburat ; 2) ut sit purgatio et quasi purgatorium justorum ; 3) ut sit mundi sceleribus fœdati lustratio et expiatio.

ARTICULUS II.

DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

QUÆSTIONES PRÆVIÆ.

165. *Quid est resurrectio mortuorum, et quænam de ea fides certo proponit?*—R. *Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum*, merito Tertullianus (1) ait ; resurrectionis enim dogmate tota fides, totaque spes christiana innititur (2).

166. *Resurrectio*, quæ vox idem sonat ac *iterata ejusdem rei surrectio,* definiri potest (3) : *Animæ cum corpore iterata conjunctio, facta virtute omnipotentis Dei.*—Vocari solet *resurrectio carnis*, ut distinguatur a *resurrectione spiritus*, quæ in hac vita per gratiam efficitur, de qua Paulus, Coloss. III, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite...* — De resurrectione autem carnis idem Apostolus loquebatur Athenis, Act. XVII, 32 ; quam quum audissent gentiles, irridebant : quippe qui, rem solo rationis lumine metientes, resurrectionem mortuorum capere non possent.

(1) Lib. *De resurr. carn.* n. 1. — (2) Cf. I Cor. XV, 13 seqq.
(3) Ex S. Thom. *Cont. Gentiles,* l. 4, c. 79.

167. Resurrectionis dogma, sicut fundamentale est, ita etiam luculentissime in fide proponitur.—Circa resurrectionis vero modum atque adjuncta, alia sunt fide certa, alia non item: quæ diligenter secernere expedit.

168. Puncta *fide certa* sunt quatuor : 1) omnes resurrecturos, tam impios quam justos, cum corporibus suis; et quidem, 2) physice iisdem quæ morte ceciderant, 3) retinentibus diversitatem sexuum, perfectionemque respectivam, et 4) conditione diversis, pro diverso cujusque resurgentis statu. Corpora enim justorum erunt gloriosa, seu iis prædita dotibus, quæ recenset Apostolus (1): impassibilitate, claritate, agilitate et subtilitate; non tamen impalpabilitate et invisibilitate, quod olim Eutychius CP. Patriarcha censuit. Verum hic, agente Gregorio Magno, ab errore revocatus, morti proximus (582), carnem suam manu tangens, aiebat: *Confiteor quia omnes in hac carne resurgemus.*

169. Hæc rata sunt apud omnes Catholicos. Cætera, quæ spectant ad ætatem, formam, staturam, partes corporis integrales, etc., majore vel minore probabilitate a Scholasticis statui solent, prout infra a nobis exponentur.

Propositio unica, *de dogmate resurrectionis.* — *Objectiones.*
Quæstiones, *de resurrectionis circumstantiis.*

PROPOSITIO.

Futura est universalis corporum nostrorum resurrectio.

170. *De fide*, ut patet ex omnibus fidei Symbolis; item ex Lat. IV, cap. *Firmiter*, ubi dicitur : *Omnes* (tam reprobi quam electi) *cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint sive mala : illi cum diabolo pœnam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.*

171. PROB. 1° *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum : et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum, Salvatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius : reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Cui magnificæ proclamationi spei suæ, propheta Job solemne hoc præmiserat prooemium;

(1) I Cor. XV, 42 et seq.

Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro, stylo ferreo et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Job XIX, 23. — *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit... Potius est, ab hominibus morti datos spem exspectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos.* II Machab. VII, 9. — *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joan. V, 28.

172. 2° Traditio hujus dogmatis apertissima est: illud Ecclesia ab apostolicis temporibus uno ore professa est: *Credo... carnis resurrectionem;* illo Martyres in carnis suæ dilaceratione roborabantur; illud in sepulcrorum lapidibus insculpebatur, fidei ac spei tam viventium quam mortuorum splendidum et solemne documentum.

173. 3° Ratione Theol. Quemadmodum corpus in hac vita, particeps fuit bonorum vel malorum operum; ita æquum est, ut etiam in altera vita, præmium vel pœnam reportet. Atqui id fieri non posset, nisi corpus resurgeret, et quidem illud ipsum corpus, quod in morte ab anima separatum est. Quo spectant hæc Apostoli: *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* II. Cor. V, 10. — *Exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ.* Phil. III, 21.

174. OBJIC. 1° Multa V. T. eloquia conciliari non possunt cum fide resurrectionis. Ps. I: *Non resurgent impii in judicio;* Ps. LXXII, dicuntur Israelitæ *spiritus vadens et non rediens;* Ps. CXIII: *Non mortui laudabunt te, Domine;* Eccl. III: *Unus interitus est hominum et jumentorum.* Ergo. — R. *Neg. antec.* Illa testimonia, rite interpretata, nequaquam resurrectioni repugnant. *Impii non resurgent in* concilio et *judicio* justorum; vel juxta textum hebræum *impii non sustinebunt se in judicio:* id est, defendere se non poterunt. — Nomine *spiritus vadentis et non redeuntis,* intelligitur fluxa vita corporea. — *Mortui non laudant Deum* cultu publico, sicuti viventes. — *Unus est interitus hominum et jumentorum,* quoad corruptionem corporis, *conc.;* quoad corrupti corporis destinationem ultimam, seu futuram conditionem, *neg.*

175. *Obj.* 2° Corpus humanum resurgere nequit cum tota illa materia, quæ ad ipsum successive pertinuit; ergo *identitatem physicam,* cum corpore nunc vivente, non habebit.— R. *Dist, antec.* Cum *tota* illa materia, *trans.; cum parte* illius materiæ, ad essentialem corporis constitutionem sufficiente, *neg.* — *Dist. cons.* non habebit identitatem physicam *totalem, trans.; partialem* et sufficientem, *nego.*

176. *Inst.* 1° Corpus humanum, vitæ decursu, quoad totam materiam, perpetuis mutationibus non semel renovatur; ergo in resurrectione, non poterit esse physice idem cum seipso. — R. *Trans. antec.;* non enim id inter physiologos constat, nec constare potest. *Dist. conseq.* Non potest esse physice idem, *quod elementum suum formale,* quod est anima rationalis (1), *nego;* præcise *quoad elementum suum materiale, subd.:* non poterit esse physice idem (saltem *sufficienter*, ut modo diximus,) cum seipso, spectato uti erat certo tempore vitæ mortalis, puta extremæ, *neg.;* cum seipso, spectato uti exstitit singulis vitæ periodis, puta infantiæ, adolescentiæ, senectutis, *subd.*: et ista carentia identitatis physicæ quoad materiam, non obstaret quominus corpus foret *idem moraliter,* id est, identitate, quæ juxta prudentem æstimationem, æquivaleat physicæ, *conc.;* obstaret huic *morali* identitati, *neg.* Si enim ædificium, in quo, singulis pedetentim sublatis lapidibus alii successive sufficerentur, foret semper idem moraliter ædificium; a fortiori, humani corporis identitati morali non obstaret materialium partium successiva mutatio. Dico: *a fortiori*: cum in humano corpore fiat mutatio tantum secundum *materiam strictissime sumptam*, quam vocant *primam;* forma corporis, quæ est anima rationalis, semper eadem permanente.

177. *Inst.* 2° Fieri potest ut eadem materia in pluribus fuerit successive corporibus; ergo singuli homines cum proprio corpore non poterunt resurgere. — R. *Trans. antec.; neg. conseq.* Hic ordo, juxta S. Thomam, in resurrectione servabitur, ut, si aliqua materiæ pars fuerit successive in pluribus hominibus, resurgat in eo, ad cujus perfectionem

(1) Cfr Tom. I, tract. 7, *De creat.* cap. III, art. 1, n. 172.

magis pertinebit. Quare, v. g. si fuit eadem materiæ particula in capite unius et deinde in pede alterius, resurget in priore; in altero vero quod defuerit, supplebitur omnipotentia Creatoris. Quod si illa materiæ particula secundum eumdem perfectionis modum exstiterit in utroque, resurget in eo, in quo primitus fuit; supplebitur vero omnipotentia Creatoris in altero (1).

QUÆSTIONES.

1° *Quæ sunt futuræ resurrectionis causæ?* — 2° *Quid de integritate, quantitate, statu physico, et de identitate corporum resurgentium communiter censent Theologi?* — 3° *Quandonam generalis resurrectio fiet?* — 4° *Quid sentiendum de opinione Millenariorum?*

178. QUÆR. 1° *Quæ sunt futuræ resurrectionis causæ?* — R. 1) Causa *meritoria* et *exemplaris* resurrectionis justorum, est Christus moriens et resurgens: *Qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem.* II Tim. I, 10. — *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium.* I. Cor. XV, 20. — *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Phil. III, 21.

179. 2) Causa *efficiens* principalis erit solus Deus, qui, sicut creare solus potuit, ita solus omnipotentia sua humanam creaturam a morte suscitare potest. *Deus Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam.* I Cor. VI, 14.

180. 3) Causa *instrumentalis* erit Christus, vox Christi, caro Christi eucharistica rite suscepta. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Joan. VI, 55. — *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joan. V, 28. — *Ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo.* I Thess. IV, 15. — *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba (canet enim tuba), et mortui resurgent.* I Cor. XV, 52. — Probabilius vox Christi et archangeli erit una et

(1) S. Thom. *Contra Gentiles*, l. 4, c. 91. — Cf. Perrone, *De Deo creat.* n. 879 seqq.

eadem : nempe vox archangeli fiet jussu et auctoritate Christi, non proprio Christi ore ; proferetur autem sensibili sono : eritque articulata vox, et adeo efficax, ut per divinam virtutem ubique terrarum percipienda sit, hæc fere verba inclamans : *Surgite, mortui, et venite ad judicium* (1). — Theologi arbitrantur, archangelum resurrectionis fore Michaelem, qui Ecclesiæ, et omnibus angelis custodibus præesse creditur ; vel, juxta alios, Gabrielem, qui prioris adventus Christi optatissimus nuntius fuit. Archangelus igitur, assumpto corpore, tuba canet ; nec ipse solus, sed et angeli multi cum eo ingentem sonitum edent : *Mittet angelos suos cum tuba et voce magna.* Matth. XXIV, 31. Porro nomine tubæ significatur, vel instrumentum corporeum, juxta S. Anselmum ; vel vox angelica, quæ vocatur tuba propter magnitudinem, et propterea quod in V. T. clangore tubæ, præsertim ad res solemniores, signum dari solebat.

181. 4) Causæ *ministeriales* resurrectionis erunt angeli : non solum, ut modo dictum est, mortuos voce excitando ; sed etiam, ut multi TT. censent, sepulcra et viscera terræ aperiendo, sparsosque cineres ad corpora reformanda colligendo. Scilicet ad resurrectionem tria requiruntur : *a*) ut sparsa corporis materia colligatur ; *b*) ut ea, ad recipiendam humani corporis formam, ultimo seu proxime disponatur ; *c*) ut animetur in hominem. Operatio secunda, et præsertim tertia, efficietur a Deo solo ; prima, angelorum ministerio : nisi hæc etiam omniscienti Deo unice tribuenda videatur (2). Porro ista omnia celerrime fient : *In momento, in ictu oculi.* I Cor. XV, 52.

182. Q. 2° *Quid de integritate, quantitate, statu physico, et de identitate corporum resurgentium communiter censent Theologi?* — R. 1) Omnes, etiam reprobi, etiam parvuli cum peccato originali defuncti, resurgent in perfectione naturæ : resurrectio enim est opus Dei, *cujus perfecta sunt opera.* Deut. XXXII, 4. Resurgent ergo cum suo corpore integro, quoad omnia membra, sensuum organa, et facultates ; eaque statura et quantitate, quam quisque, vi suæ individuæ naturæ, flo-

(1) Hieron. *Reg. monach.* c. 30.
(2) Cf. Lessius, *De div. perfect.* l. 13, c. 21.

rente ætate habuit, vel habere debuisset. Natura enim non tantum secundum perfectionem speciei, sed etiam secundum perfectionem individuorum instaurabitur, quatenus individuum aliud aliam proportionem postulat (1). — Identitas corporis, quæ significat idem numero corpus, quod olim quisque gessit, saltem *moraliter* intelligenda est : qualis nunc perseverat in homine, dum per varias ætatis vicissitudines transit (2).

183. 2) Justi resurgentes erunt Christo redivivo, exemplari suo, quam simillimi, in omnibus corporis sensibus, facultatibus et ornamentis ; juxta debitam cujusque sexus et meritorum proportionem. *Resurgent*, ait Augustinus, *Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate;* additque, *cicatrices vulnerum in Martyribus cum decore quodam fortasse mansuras. Non enim*, inquit, *deformitas in eis sed dignitas erit, et quædam virtutis pulchritudo fulgebit* (3).

184. Q. 3° *Quando generalis resurrectio fiet?* — R. In novissimo die, ut Scriptura loqui solet. Ratio, cur ad diem ultimum resurrectio sit dilata, hæc affertur a Glossa : *Ut in communi gaudio omnium, majus fieret gaudium singulorum.* — Id tamen non obstitit, quominus, *ex peculiari privilegio*, nonnulli ante resurrectionem generalem, ad gloriosam vitam fuerint revocati : ut credimus de B. V. ; ut etiam de iis Sanctis, qui surrexerunt tempore mortis Christi, censendum videtur : hos enim vere ad vitam immortalem surrexisse, et cum Christo in cœlum ascendisse, S. Thomas probabilius existimat (4).

185. Q. 4° *Quid de opinione Millenariorum sentiendum?* — R. *Millenarii*, seu *Chiliastæ*, qui, sæc. II et III, fingebant Christum mille annis ante universale judicium regnaturum in mundo cum justis, opinionem suam fulciebant verbis Apoc. XX, 4 : *Vixerunt et regnaverunt* (justi) *cum Christo mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.* At perperam. Sensus

(1) S. Thom. *Supplem.* q. 81, art. 2. Cf. qq. 79 et 80. — Item Dissertat. Calmeti, *de resurr. mort.* — (2) Cf. supra object. allat. n. 175 seq.
(3) Enchirid. c. 91. — (4) *Supplem.* q. 77, art. 1 ad 3.

enim est : Christus in suo adventu primo, de quo angelus ibi loquitur, Satanam per mille annos, i. e. per diuturnum tempus a Scriptura non definitum, usque ad adventum Antichristi alligavit : non permittens illi tantam vexandorum hominum potestatem, quantam olim permiserat. Justi autem his mille annis, i. e. toto tempore usque ad Antichristum, in cœlis cum Christo regnabunt. — *Resurrectio prima*, de qua hic Joannes, est spiritualis illa, qua anima a morte peccati ad vitam gratiæ, ac deinde gloriæ, revocatur. Post illam igitur spiritualem resurrectionem, futura est resurrectio corporum, ut ibidem dicitur : *Mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant...* Apoc. XX, 13 (1).

ARTICULUS III.

DE JUDICIO UNIVERSALI.

Propositio I, *de dogmate judicii universalis.*
Propositio II, *de æternitate pœnarum et præmiorum — Object.*
Quæstiones, *de judicii circumstantiis et finali mundi statu.*

PROPOSITIO I.

Post resurrectionem fiet universale judicium.

186. *De fide*, ut patet ex omnibus Symbolis, præsertim ex Symb. Athanasiano : *Ad cujus* (Christi judicis) *adventum, omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.*

187. PROB. 1° *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ : et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.* Matth. XXV, 31. — *Et vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt... et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Apoc. XX, 12. — Cfr. Joel. III, 2 et 12.

188. 2° Omnes Patres certatim magnum istud spectaculum extollunt ac celebrant, ex quo tanta Deo gloria proveniet, justis laus, reprobis ignominia. Hinc divinæ Providentiæ ordo, et quasi tela, evolvetur atque expandetur; hinc

(1) Cf. Suar. t. 17, disp. 5?, sect. 8. Cf. supra, adnot. de Millenar. n. 14.

impiorum occultæ machinationes et artes, justorum autem afflictiones et ærumnæ, in apertam prodibunt lucem; hinc denique intimi cordium recessus omnium oculis patebunt: spectaculum profecto, quo nullum grandius ac Deo dignius excogitari possit.

189. 3° Rationes congruentiæ sunt; 1) ut ita infinita Dei justitia et misericordia manifestentur; 2) læsa justorum fama coram toto humano genere reparetur; 3) divina Christi majestas toti orbi innotescat, et *in Nomine Jesu omne genu flectatur*. Phil. II (1).

PROPOSITIO II.

Pœnæ damnatorum erunt æternæ; æterna quoque Sanctorum in cœlis felicitas.

190. *De fide* quoad utramque partem, ut patet ex ultimo Symboli Apostolici articulo, qui semper juxta sensum in propositione expressum ab Ecclesia intellectus est; cf. etiam Symb. Athanasianum. — Prior vero pars speciali modo fuit definita in Conc. OEcum. V, adversus Origenistas, qui tradebant, *temporanea esse dæmonum et impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, atque impios ac dæmones in priorem suum statum restitutum iri*. Porro hic error anathemate fuit perculsus.

191. PROB. I PARS, de æternitate supplicii. 1° *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*. Matth. XXV, 41.—*Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur*. Isai. LXVI, 24. Quibus verbis alludit Christus, Marc. IX, 42, dicens: *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur*.— II. Thess. I, 9: *Pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini*.

192. 2° Luculentissima est Traditio perpetua; cum frequentissime Patres æterna supplicia populo præ oculis ponant, et describant; ut Minutius Felix, in *Octavio*, cap. 53: *Nec tormentis*, ait, *aut modus ullus aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit. Sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt; sicut ignes Ætnæ montis*,

(1) Cfr S. Thom. *Suppl.* q. 88, art. 1.

et Vesuvii, et ardentium ubique terrarum, flagrant nec eroduntur; ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.—Ideo passim Martyres profitebantur, se nolle sacrificare idolis, quia *mortis æternæ mercedem, et inexplicabiles sine termino cruciatus* apostatæ incurrunt: ut legitur in actis S. Victoris, apud Ruinard et Bolland.

193 3° Confirmat omnium populorum consensus (1); adeo ut verum sit, quod recte, non ita pridem, animadvertit anonymus quidam inter Protestantes (2), religionem christianam nihil novi hac in parte intulisse, nisi medium ethnicis ignotum, per quod scelestissimi quique, vel in ipsa mortis extrema periodo, ab his æternis pœnis se eripere possint, et cœli compotes ac hæredes fieri.

194. II PARS, *de æternitate scilicet felicitatis*, æquali in lumine collocata est, nec in controversiam revocata.

195. 1° *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum.* Sap. V, 16. — *Benedictus Deus, qui regeneravit nos in spem vivam... in hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis.* I Petri, I, 4.

196. 2° Patres unanimiter cum S. Augustino proclamant: *Tunc plena erit, certa, secura, sempiterna felicitas.* De civit. I. 22. c. 30.

197. 3° Ratione theol. Beati, ex una parte, peccare jam non possunt; Deus autem, ex altera parte, omne genus mali removere debet; ergo nulla ex parte fieri potest, ut felicitati finis accedat.

198. OBJIC. 1° Docet Scriptura, servandam esse proportionem inter culpam et pœnam, ut Apoc. XVIII, 7; atqui non est proportio inter culpam transitoriam et pœnam æternam; ergo æternitas pœnarum ab ipsa Scriptura excluditur. — R. *Dist. antec.* Scriptura statuit, servandam esse in pœna proportionem quoad acerbitatem *C.*; quoad durationem, *neg.*, vel *subd.:* inter pœnam et culpam, quatenus culpa mere

(1) Cfr Perrone, *De futura hominis vita*, n. 737.
(2) In opusc. *Quelques réflexions sur la maxime chrétienne : Hors de l'Eglise il n'y a point de salut.* Par un ministre protestant. Paris, 1827.

actualis est, *neg.;* quatenus etiam est habitualis, *conc.* Porro culpa habitualis et ipsa æterna erit.

199. *Obj.* 2° Apostolus, Rom. V, docet, magis redemptionem Christi profuisse, quam Adami delictum nocuit; ergo non possunt *plerique* damnari *in æternum.* — R. *Dist. conseq.* Si Apostolus institueret comparationem inter Christi redemptionem et ruinam per Adam illatam, quoad salvandorum numerum, *transeat;* si de intrinseca virtute, efficacia atque utilitate redemptionis Christi loquitur, relate ad nocumenta, quæ intulit peccatum Adæ, *neg.* Dixi *transeat:* nam de electorum numero nequaquam constat (1). De quo nobis satis sit affirmare, eos omnes fore salvos, qui divinæ gratiæ, nullis denegandæ, cooperantur; eosque damnatum iri, qui eidem gratiæ reluctantur ut propriis indulgeant cupiditatibus, si absque pœnitentia moriantur.

200. *Obj.* 3° Act. III, 21, dicit Petrus, fore aliquando *restitutionem omnium*; ergo et damnati restituentur in ordinem pristinum. — R. *Dist. antec.* Restitutio erit omnium, id est, renovatio cœli et terræ, post universalem resurrectionem et extremum judicium, seu mundi finem, *conc.* ; restitutio impiorum, *neg.*

201. *Obj.* 4° Æternitas pœnarum repugnat rationi; ergo non potest admitti. — R. *Nego antec.* Imo potius recta ratio hanc æternitatem omnino suadet, et quatenus est pœna privativa, et quatenus est positiva seu afflictiva. Etenim pœna *privativa* seu damni, sponte sequitur ex vivendi ratione, quam reprobus sectatus est. Hic scilicet per prava opera, volens libens, summo bono in perpetuum renuntiavit, ac sese in eum statum projecit, in quo amissam semel felicitatem recuperare non potest; non aliter ac si quis se oculis privaret, et nihilominus æternum viveret, ille profecto æternum cæcus esset. — Deinde quatenus est pœna *positiva*, seu afflictio ex bono amisso, desperatio, horror; sponte nascitur ex privativa. Pœnas autem extrinsecas, quas cruciatus vocamus, reprobis deberi, ipsa pariter indicat recta ratio : quæ ostendit æquum esse, maximeque decere, ut sontes ab iis plectan-

(1) Cf. supra, *De gratia*, n. 284 seq.

tur, quibus dum viverent abusi sunt, ac sibi damnationem meruerunt (1).

202. *Obj.* 5° Æternitas pœnarum pugnat cum perfectionibus Dei, cum bonitate præsertim atque justitia; ergo. — R. *Dist. anteced.* Pugnat cum Dei attributis, prout concipiuntur ab incredulis aut gratuito effinguntur, *conc.*; prout revera in Deo sunt et concipi debent, *nego.* Non pugnat cum bonitate: etenim Deus bonus est ea bonitate, quæ consistit in amore ordinis, justi et recti; non vero ea bonitate, quæ removet pœnas et dolores, etiam cum detrimento ordinis atque justitiæ. — Nec pugnat cum divina justitia. Etenim justitia vindicativa proportionem quidem requirit, inter pœnæ acerbitatem et delicti gravitatem, quæ proportio in inferno obtinet; non autem inter durationem *actualis* delicti et durationem pœnæ. Ut enim homicidium momentaneum perpetuo carcere, aut etiam morte, quæ est perpetua e societate rescissio, juste punitur; sic etiam peccatum momentaneum punitur supplicio æterno. Quod quidem supplicium finitum est acerbitate; infinitum autem quodammodo duratione: utrumque merito. Nam peccatum quoque, finitum quidem malum est respectu peccatoris; sed infinitatem quamdam malitiæ habet, respectu infinitæ Majestatis et Bonitatis, cujus offensa est. — Quanquam ratio non indiget ex peccati gravitate justitiam pœnæ æternæ inferre; ipsam enim clarius infert ex eo, quod homo voluntarie se a Deo averterit, seseque in eum statum conjecerit, ubi nunquam converti possit.

QUÆSTIONES

1° *Qualis futura est Judicis persona et judicii apparatus?* — 2° *Qualis actio judicialis?* — 3° *Quis mundi status post judicium?* — 4° *Quænam proprietates corporum reproborum?* — 5° *Quæ dotes corporum Beatorum?* — 6° *An sensus in Beatis suas functiones, et quasnam sunt habituri?*

203. QUÆR. 1° *Qualis futura est Judicis persona et judicii apparatus?* — R. Apud Matthæum, cap. XXIV et XXV, hæc legimus: *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbant Filium hominis venientem*

(1) Cfr S. Thom. *Cont. Gentiles*, l. 3, c. 145, n. 4.

in nubibus cœli, cum virtute multa et majestate... et omnes angeli cum eo. Tunc sedebit super sedem majestatis suæ... Et mittet angelos suos, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum... Et congregabuntur ante eum omnes gentes; et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Ex his, aliisque collatis Scripturæ locis, sequentia statuunt Theologi:

204. 1) Omnes homines, tam mali quam boni, ministerio angelorum, ad locum judicii deducentur.

205. 2) Apparebit in cœlo signum Christi, i. e. signum Crucis splendidum, quod tanquam regium vexillum ante ipsum deferent angeli, totoque judicii tempore ómnium conspectui elatum tenebunt.

206. 3) Apparebit Christus in nube levi, ob ejus corporis fulgorem lucidissima, tanquam triumphali curru invectus, exhilarando electos, terrendo reprobos.

207. 4) Omnes angeli eum comitabuntur, probabiliter in assumptis corporibus, pulcherrimis et lucidissimis, sicut tempore resurrectionis Christi apparuerunt. Comitabuntur etiam omnes Sancti: *Esse venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium.* Jud. 14.

208. 5) In *throno*, i. e. non tantum in spirituali divinæ majestátis throno; sed etiam, *probabilius*, in throno sensibili corporaliter sedens, ad judicium descendet.

209. 6) Hanc judicis majestatem omnes aspicient, boni cum gaudio, mali cum tremore: *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Apoc. I, 7. Videbunt quoque illum dæmones eodem coacti, ut tunc Christo *Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.* Phil. II, 10.

210. 7) Separabit bonos a malis, ministerio angelorum, qui *exibunt et separabunt malos de medio justorum.* Matth. XIII, 49. Collocabuntur mali a Judicis sinistra, probabilius sensu proprio intelligenda; boni autem a dextra, aliquanto sublimiores, juxta Christum, in aere.

211. 8) Assidebunt cum Christo judice, et ipsi judicantes, duodecim Apostoli; imo, secundario ordine, alii quoque

justi, qui Christo fideliter adhæserunt, judicii exercendi erunt participes.— Porro judicii participatio intelligi potest tripliciter: *comparative*, *interpretative* et *formaliter*.—*Comparative*, i. e. eo modo, quo non tantum boni malos, sed etiam mali judicabunt pejores: ostendendo, alios comparatione sui majore pœna dignos esse; atque ita, Matth. XII, Ninivitæ et Regina Austri dicuntur judicaturi et condemnaturi Judæos. — *Interpretative*, approbando nempe judicis sententiam, eamque ut justam venerando; et ita omnes boni judicabunt, ut dicitur I Cor. VI, 2: *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* — *Formaliter*, ut judices et assessores Christi, non tantum sententiam Judicis approbantes, sed eam etiam in judicatorum notitiam ex officio deducentes (1). Hac ratione judicabunt Apostoli, et quicumque cum Apostolis sua reliquerunt, ut Christum sequerentur, juxta verbum Domini, Matth. XIX, 28: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (2).

212. Q. 2° *Qualis futura est actio judicialis?* — R. Ad hanc pertinent, 1) personæ judicandæ; 2) causa sive materia de qua decernetur; 3) causæ cognitio, seu testificatio, accusatio et defensio; demum 4) prolatio et exsecutio sententiæ.

213. 1) *Personæ* judicandæ erunt omnes omnino homines, sicut omnes resurgent; quod Symbolo Athan. non obscure indicatur. — *Probabilius* quoque judicabuntur angeli, boni quidem judicio approbationis, mali vero condemnationis. Scilicet dæmonum damnatio, dudum judicio particulari definita, ad manifestandam Dei æquitatem publico judicio declaranda est: ideo dicuntur prævaricatores angeli *in judicium reservari*. II Pet. II, 4.

214. 2) *Causa* erit uniuscujusque vita, i. e. opera cujusque, sive bona sive mala, quamvis per pœnitentiam deleta; nec non talenta, et gratiæ acceptæ (3). — Causa hæc materia erit judicii; quod duplex distinguitur: unum *meræ appro-*

(1) S. Thom. *Supplem.* q. 89, art. 1.—(2) Cf. Bedæ homil. in natal. S. Benedicti.— (3) Matth. XXV, 19, 20.

bationis, respectu justorum qui nunquam peccaverunt; alterum *discussionis*, respectu eorum, qui mala et bona commiserunt.

215. 3) Causæ *cognitio* fiet ex libris, qui aperiendi dicuntur. Dan. VII, 10: *Judicium sedit et libri aperti sunt.* — Apoc. XX, 12: *Vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt... et judicati sunt mortui, ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* — Hi libri vel sunt, ut sentit Augustinus, corda Sanctorum, in quibus divina lex ac voluntas ceu in speculo relucet; vel SS. Scripturæ; vel potius omnium hominum et angelorum conscientia ac memoria, in quibus tam jura quam facta conscripta reperientur. — Qui libri *aperti* dicuntur, quatenus conscientiæ tunc patebunt omnibus, perinde atque librum apertum legentibus patent ea, quæ descripta in illo sunt. Matth. X, 26: *Nihil est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur.* — I Cor. IV, 5: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.*

216. Causæ discussio, i. e. accusatio, defensio, testificatio, per eamdem conscientiarum illuminationem præcipue peragetur. Cf. Rom. II, 15, 16.

217. Divinus Judex, mentali, ut videtur, voce, bonos laudando, malos vituperando, alloquetur: *Esurivi enim*, etc.; et similiter utrique, mentali voce, respondebunt quæ leguntur ibid. Matth. XXV.

218. 4) *Sententia* ultima a Christo voce sensibili proferetur. Conversus ad omnes electos, suavissime dicet: *Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Ad reprobos vero severe dicet: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Matth. XXV, 34, 41. Statimque aperta terra, damnati absorbebuntur; — et patescente cœlo, Beati cum Christo ascendent, in æternum regnaturi.

219. Q. 3° *Quis futurus est mundi status post judicium?* — R. Post Christi reditum in cœlum, mundus innovabitur. *Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam.* Isai. LXV. 17. —

Novos vero cælos et novam terram, secundum promissa ipsius, exspectamus, in quibus justitia habitat. II Pet. III, 13.

220. Hæc innovatio, destructione aut annihilatione corporum elementorumque minime peragetur, omnia quoad substantiam suam manebunt, sed quoad accidentalia innovabuntur et perficientur. Ecclesiastes enim ait, *quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum.* III, 14. — Orbis, igne antea purgatus, nova quadam claritate ac luce purissima perfundetur: sole, luna, reliquisque astris in eo situ ac dispositione constitutis, quæ ad majorem universi mundi pulchritudinem conferre censebitur. Isai. LX, 20: *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur.* Astrorum etiam fulgor perficietur: *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui.* Isai. XXX, 26. Ut scilicet Beati pulchritudinem Dei, non solum in corporibus suis glorificatis, sed etiam aliis, terrestribus ac cœlestibus, quodammodo translucentem, conspiciant. *Contemplare cœlum,* ait S. Chrysostomus, *animadverte permutatum fore habitum totius creaturæ: nihil enim hujusmodi ut nunc est manebit, sed multo pulchrius erit ac præclarius; et quantum plumbo aurum, tantum hac rerum præsentium specie futurus ille decor illustrior erit: quemadmodum B. Paulus ait, quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis* (1).

221. Christus, post judicium, cum electis ascendet, ut *Rex gloriæ* perfecte triumphans: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.., Ascendisti in altum, cepisti captivitatem.* Ps. LXVII, 17. — Ingressus cœlestem Jerusalem, ibidem, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem suam, perpetuo regnabit: *Et regni ejus non erit finis.* Luc. I, 33. — Dicitur quidem, I Cor. XV, 25: *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus... Quum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus;* at sensus est: eum fuerint die judicii omnia Christo subjecta, ipse, secundum humanitatem suam, adhuc subje-

(1) *Epist. 5 ad Theodorum lapsum.*

ctus Patri, uti nunc est, manebit. Imo qui nunc, ad hominum salutem procurandam, angelorum ministerio aliisque instrumentis utitur; tunc, omni illo externo opere cessante, in id unum incumbet, ut seipsum totumque regnum suum, tanquam corpus mysticum, cujus ipse caput est, in Patrem referat: perfecta pace atque fruitione cum omnibus membris suis, sine fine regnaturus (1).

222. Q. 4° *Quænam futuræ sunt proprietates corporum in reprobis?* — R. 1) Erunt reproborum corpora incorruptibilia, saltem quoad necessarium est ne destruantur, vel ab animabus separentur. Matth, XXV, 46: *Ibunt hi* (utique cum corporibus) *in supplicium æternum.* — Huc etiam accommodari solent verba Apoc. IX, 6: *Quærent homines mortem, et non invenient eam; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.*

223. 2) Erunt ingloria atque horribilia: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* I Cor. XV, 51. Quemadmodum enim in corpora Beatorum relucebit animarum gloria; ita in corpora reproborum, animarum fœditas et turpitudo redundabit.

224. 3) Erunt passibilia: passione, si minus naturæ, saltem sensitivæ potentiæ; quippe ingratas acerbissimasque sensationes ab igne, aliisque cruciatibus, expertura sunt, absque læsione destructiva organorum.

225. Q. 5° *Quænam erunt dotes corporum in Beatis?* — R. Enumerantur quatuor: impassibilitas, subtilitas, agilitas, claritas; quibus Christus electas suas sponsas in die nuptiarum dotabit ornabitque: instar humanitatis suæ redivivæ, gloria atque honore coronatæ.

226. *Impassibilitas* est immunitas ab omni dolore. I Cor. XV, 42: *Seminatur* (corpus) *in corruptione, surget in incorruptione.* Intellige *incorruptionem perfectam*, quæ non tantum mortem, sed omnem etiam molestiam excludat. — Apoc. XXI, 4: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor*

(1) Cf. tom. 1, *De Incarn.* cap. 2, art. 1. *Obj.* 6a, n. 85. — Suar, tom. 17, disput. 58, sect. 4.

erit ultra. Quæ tamen impassibilitas sensuum operationes non impediet, ut infra dicetur. *Tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, plenitudo sanitatis, i. e. incorruptionis vigor.* August. Epist. 56 ad Diosc.

227. *Subtilitas* (1) est facultas, qua corpus beatum penetrare potest quodvis aliud corpus, sive cum illo in eodem loco coexistere. I Cor. XV, 44 : *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Corpus *animale* significat corpus crassum, grave, corruptibile, egens cibo, potu, somno, quiete; corpus *spiritale*, est corpus conveniens spiritui, seu animæ spirituali atque beatæ; scilicet memoratis imperfectionibus defæcatum, spiritui in motu et celeritate non obsistens : adeoque facultate præditum alia corpora penetrandi, una cum spiritu, absque ulla læsione, vel figuræ mutatione. *Hoc designat spiritale*, ait Damascenus, *quale Domini corpus post resurrectionem, clausis portis ingrediens.* De fide orthod. I. 4, c. ult.

228. *Agilitas* facultas est locales motus expedite ac velociter exercendi. I Cor. XV, 43 : *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Hac dote Christum redivivum præditum fuisse novimus; quippe qui ictu oculi ad varia loca transierit, et super omnes cœlos ascenderit. *Ipsis angelis Dei æque celeres erimus,* ait Anselmus, *qui dicto citius de cœlo ad terras et e converso, delabuntur.* Lib. De similitud. c. 51. —Quare Beati in quamvis mundi partem, incomprehensibili celeritate, pro libitu movebuntur, ut spectaculo delectentur creaturarum, in quibus Dei sapientia mirabiliter relucebit. *Ubi volet spiritus, ibi protinus erit et corpus.* Aug. De civit. l. 22, c. ult.

229. *Claritas* corporis gloriosi est interna lux, ac perfectissima qualitas illi intrinsece inhærens, qua fiet, non tantum ut extrinsecus sicut astrum effulgeat; sed etiam ut intrinsecus, in omnibus suis partibus et organis, sit pellucidum. Quæ tamen pelluciditas non impediet, quominus corporis lineamenta vel minutissima, et figuræ colorisque pulchritudo

(1) Ut probat Lessius, *De ultimo fine hominis*, q. 4, art. 6; item Suarez, t. 17, disp. 18, sect. 5.

omnis cernatur; quemadmodum fere crystallum coloratum, coloris ac symmetriæ pulchritudinem non amittit, eo quod sit pellucidum ac lumine perfusum. Matth. XIII, 43: *Tunc justi fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum.* — I Cor. XV, 41: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Seminatur* (corpus) *in ignobilitate, surget in gloria.* Cf. Phil. III, 21.—Hujusce claritatis Christus, in Transfiguratione sua, leve quoddam specimen dedit. Cf. Matth. XVII, 2.

230. Quatuor illæ dotes ad plenam perfectionem supernaturalem, qualem status Beatorum requirit, corporibus tribuendam sufficiunt; *supernaturalem* inquam: siquidem naturalis perfectio ad dotes non pertinet, sed illis præsupponitur, sicut natura præsupponitur gratiæ. Homo his dotibus instructus, licet corporeus, angelicis spiritibus similis existet, incorruptibilitate, penetrabilitate, celeritate, pulchritudine: *Erunt sicut angeli Dei in cœlo.* Matth. XXII, 30.

231. Dotes gloriosi corporis ab ipsa animæ gloria dimanabunt; quod de claritate ita asserit Angelicus: *Sicut anima divina visione fruens, quadam spirituali claritate replebitur; ita per quamdam redundantiam ex anima in corpus, ipsum corpus, suo modo, claritatis gloria induetur.* Cont. gent. l. 4, c. 86.—Hinc, quemadmodum visio essentiæ divinæ non erit in omnibus æqualis, ita inæqualis erit corporum glorificatorum claritas: *Stella enim differt a stella in claritate: sic et resurrectio mortuorum.* I Cor. XV, 41. — Non tamen gloria corporis a beatitudine animæ modo physico, sed morali, profluxura videtur: nimirum major minorve cuique corpori gloria a Deo affundetur, prout anima quæque beata postulabit, ut gloria corporis gloriæ animæ sit commensa. Simili modo perfectiones animæ Christi dimanasse ex unione hypostatica censentur; quia propter unionem hypostaticam, et proportionem tantæ dignitati convenientem, ipsi a Deo sunt collatæ.

232. Q. 6° *An sensus in Beatis functiones suas habituri sunt, et quasnam?*—Resp. affirmative: omnes vires sensitivæ, i. e. sensus et sensitivus appetitus, perfectissimas operationes exercebunt, et oblectationes sibi congruentes experientur.

Beati, ait S. Thomas, *utentur sensibus ad delectationem, secundum illa, quæ statui incorruptionis non repugnant.*

233. Etenim 1) sensus omnes erunt perfectissime dispositi suis organis et spiritibus, neque deerunt consentanea objecta; ergo

234. 2) Singuli sensus summæ cujusdam atque honestissimæ perfectionis, ad ordinem suum pertinentis, capaces sunt: quæ singulorum est beatitudo, seu vita beata; ea porro facile, sine incommodo aut dedecore, possunt in patria frui. Cur igitur ea non fruantur?

235. 3) Sancti, ob amorem Dei et virtutis, vexationes ac mortificationes plurimas sensibus perpessi sunt; ergo æquum est, ut pariter solatia atque oblectamenta sensibus percipiant.

236. 4) Damnatorum sensus omnes maximis tormentis afficientur; ergo contra, Beatorum sensus maximo solatio, deliciis maximis. Non enim severior Deus in puniendo, quam in remunerando benignior censendus est.

237. 5) Anima humana non solum est rationalis, sed etiam sensitiva: ergo non solum debet beari in parte rationali, quod visione et fruitione Dei fiet; sed etiam in parte sentiente, quod fiet perceptione objectorum sensibilium, et delectatione inde hausta. Quare, ex. gr. visus beatitudine sibi conveniente perfundetur ex pulcherrimorum corporum aspectu, maxime Christi Domini, et Sanctissimæ ejus Matris: quæ pulchritudo est omnium, quæ oculos rapere possint, jucundissima. Auditus suavissimo cantu recreabitur, etc. Appetitus sensitivus ineffabili delectatione, a purissimis animæ gaudiis profluente, inundabitur: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et de torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ps. XXXV, 19. — *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!... Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Ps. LXXXIII, 1. — *Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Ps. LXXII, 26.

238. Porro hæc secundum animam et corpus beatitudo prorsus ineffabilis est; quam nec oculus vidit, nec auris audivit: quam solum velut in imagine aut ænigmate descriptam cernimus in illa cœlesti Jesusalem, Apoc. XXI, XXII,

habente claritatem Dei, de qua vox de cœlo pronuntiat: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis;* et Ecclesia in hymno cantat:

Cœlestis urbs Jerusalem,
Beata pacis visio,
Quæ celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris;
Sponsæque ritu cingeris
Mille angelorum millibus;
O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa Sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo jugata Principi,
Cœli corusca Civitas!

239. Utinam hæc, quæ in terris breviter atque imperfecte delibavimus, in cœlis perpetuo contemplari, et in nobis ipsi perfecte experiri, per Jesu Christi gratiam, et Mariæ Immaculatæ patrocinium, mereamur! ut possimus cum regio Psalte (1) exclamare: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* — Cui honor et gloria.

(1) Ps. XLVII, 9.

INDEX.

—

TRACTATÛS IX.

De Gratia Christi.

CAPUT TERTIUM.

DE MERITO.

TRACTATUS X.

De Sacramentis in genere.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTORUM ESSENTIA ET EXISTENTIA.

CAPUT SECUNDUM.

DE SACRAMENTORUM CAUSIS INTRINSECIS ET EXTRINSECIS.

CAPUT TERTIUM.

DE SACRAMENTORUM CAUSALITATE ET EFFECTU.

—

TRACTATUS XI.

De Baptismo.

CAPUT PRIMUM.

DE BAPTISMI NATURA.

CAPUT SECUNDUM.

DE BAPTISMI ADMINISTRATIONE.

CAPUT TERTIUM.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

—

TRACTATUS XII.

De Confirmatione.

CAPUT PRIMUM.

DE CONFIRMATIONIS EXISTENTIA ET NATURA.

CAPUT SECUNDUM.

DE CONFIRMATIONIS ADMINISTRATIONE ET EFFECTIBUS.

—

TRACTATUS XIII.

De SS. Eucharistiæ Sacramento.

Pars prior.

DE EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM.

CAPUT PRIMUM.

DE REALI CHRISTI IN EUCHARISTIA PRÆSENTIA.

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA EUCHARISTIÆ, SEU DE MATERIA ET FORMA.

CAPUT TERTIUM.

DE EUCHARISTIÆ ADMINISTRATIONE.

Pars posterior.

DE EUCHARISTIA UT EST SACRIFICIUM.

CAPUT PRIMUM.

DE VERITATE SACRIFICII EUCHARISTICI.

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA ET QUALITATE SACRIFICII EUCHARISTICI.

CAPUT TERTIUM.

DE CELEBRATIONE ET EFFICACIA MISSÆ.

—

TRACTATUS XIV.

De Pœnitentia.

CAPUT PRIMUM.

DE VERITATE SACRAMENTI POENITENTIÆ.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

CAPUT TERTIUM.

DE ADMINISTRATIONE ET EFFECTIBUS SACRAMENTI POENITENTIÆ.

TRACTATUS XV.

De Extrema Unctione.

TRACTATUS XVI.

De Ordine.

CAPUT PRIMUM.

DE VERITATE ET GRADIBUS SACRAMENTI ORDINIS.

CAPUT SECUNDUM.

DE CAUSIS ET EFFECTIBUS SACRAMENTI ORDINIS.

—

TRACTATUS XVII.

De Matrimonio.

CAPUT PRIMUM.

DE MATRIMONIO IN SE SPECTATO.

CAPUT SECUNDUM.

DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS

CAPUT TERTIUM.

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS.

CAPUT QUARTUM.

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

TRACTATUS XVIII.

De Virtutibus.

CAPUT PRIMUM.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

CAPUT TERTIUM.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

TRACTATUS XIX.

De Novissimis.

CAPUT PRIMUM.

DE HOMINIS EX HAC VITA MIGRATIONE.

CAPUT SECUNDUM.

DE VIVORUM CUM DEFUNCTIS COMMUNIONE.

CAPUT TERTIUM.

DE CONSUMMATIONE SÆCULI.

— Another way to prove the propositio[n]
on page 210-211. &c. No 64. Pretera manifeste
[c]redunt Judaei tum et ipse Christus ad tradi-
tionem quae tum vigint docentem qu[od]
secundus liberator sive Messias previtu[rus]
erat novum mannam sicut et
prius liberator manna de caelo des-
cendent faceret. Insuper Christus p[ro]-
mittit donum praestantius manna [...]
patet his verbis non sicut manduca[verunt ...]
Atque panis communis non est d[on]-
um prestantius manna: Ergo non
de pane. Et pretera manna potius quam
panis communis habuit rationem
uno fidei cum per miraculum et est
vires natura datum fuit a Deo sicut [fi]-
des est a Deo et super vires rationis, ergo
non de pane communi. Etenim
de fide tantum loquitur unum per m[...]
cibi et alium per ~~Bruxellis, typis H. Goemaere.~~ modum [...]
cum in usu spirituale vel in fide sicut d[...]
~~imminens~~ habit inter cibum et potum. [...]
Tropus ammino ~~novus~~ fuisset et [...]
significandem fidem: quamvis [...]

arnis manducandi et sanguinis bibend
t quidem ipsius qui loquitur. 2° Si per ma
ucationem corporis Christus voluisset
fidem intelligi gravissimam offendi
ulum objecisset Judaei. Tunc potiu
as allucere debuisset quoties enim s
criptura occurit phrasis metaphor
ica manducare carnem alicujus tate
in malam partem sumitur et idem
vallit ad proferre maximum in
juriam alicui praecipui per columbo
et accusationem fidem Judaei praeterea a
nimi idee bibendi sanguinem pr
horrent. 3° Nulla metaphora hic in
venitur nulla, enim proportio ve
similitudo existit inter habere fide
et bibere aliquem sanguinem enim s
ille modus quo bene loquendi de
Eucharistia intelligatur. 4° Metaphorae inde
cantur vel explicantur non vero probantu
t multo minus maxima asseveratione co
firmatur "Ecce Agnus Dei". Atque videnti
st Christus. Ergo non metaphorae. 5° 8. Si Christ
solum haberet de fide in ipsam, cur verb
tam obscuris uteretur in hac secunda
cum tali verborum repetitione incul
explicatione quamvis videat ipsos disc
ulos turbatos praesertim cum jam in pri
parte omnino plane declaraverat hujus
fidei necessitate. 7 Non est vere simile Joan
in toto suo evangelio nihil dixisse de hoc
sacramento amoris. Ideo ergo in nocte ca
praetermisit institutionem quia hoc loco
atis narraverat promissionem alii autem
evangelistae ostendunt Christum implev
i canae quod hoc loco promiserat. Inde
consonantia scripturam et patri, cum pr
ssiones indicant quod hic agitur de Eu
lla est in quo datum est praeceptum de Eucharistia
jus sacramentum nec in quo pater ...
promissio gratiae tali sacramento atqui a
o pugnat haec fuisse omnino ab
omnibus Evangelista. Primo Heretici ex h
ebis nisi manducaveritis etc. conantu
robare contra nos obligationem com
municandi sub utraque specie Ergo
atere cognitur quod hic de Eucharistia
agitur.

Grand Seminary the 28th of Jan. 1876.

1 Cusack.
2 Mc Cardaugh x+
3 Gamley. x
4 Lynch
5 Mc Gill
6 Benise
7 Prine
8 Charpentier
9 Doherty John.
10 O'Leary+
11 Smithx
12 Buckley
13 Auclair
14 Gleason James
15 Mc Donough
16 Mason
17 Whaley
18 Decalt
19 Ralson
20 Doherty James
21 Baudrait Lamslous x
22 Galvin
23 Duet
24 Healy
25 Lumilevin
26 Edward
27 Mc Cline
28 Eyner
29 Phelan Thomas
30 Burn
31 Beassin
32 O'Sullivan
33 Pepin
34 Carlin
35 Clark
36 Keller
37 Boylan
38 O'Reilly Patrick
39 Leajeunesse
40 Wart
41 O'Sullivan James
42 Mc Elheny
43 Ellis.
44 Burk
45 O'Reilly Lawrence
46 McDuffay
47 Fanith
48 Kenny
49 Galigher Peter
50 Callan
51 Christi
52 Coyle James
53 Chasson
54 Preston
55 Baudran Names
56 O'Cannon
57 Phalan
58 Crook
59 ~~Guerrinet~~
60 Grace
61 Maloney
62 Brukenmie
63 Mitchell
64 Lee
65 Dannie

The Reporter must here

Fitzpatrick
Janey
Finnigan
Frank +
Snider
Bellivean
Brown
Sayre
Gall
Piper
Mc Guire
Nagin
McGuire
Lanchitti
Mc Closky
Murphy
Layle William +
De Rivarge +
Reilly
Raymann
Brohman
Browne
Galighar Eugene
Blodgett
Bussett
West
Buchanan
Doherty William

8 [illegible]
[illegible]

Two ~~[illegible]~~ conges during the examinations.

~~[illegible] to attention [illegible]~~

Where were you today that you were not to see Father Meahan & the Gary

War Bowles in the parlor today

1st [illegible]
2nd bouquet spiritual.

Examination finished on the of February 4th 1876.